





EX OFFICINA WETSTENIANA. cIↃ IↃ CCXXV

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM LIBRI QUATUOR,


Ad fidem VETERUM MEMBRANARUM,

CURIS SECUNDIS

JANI BROUKHUSII,

SEDULO CASTIGATI.

Accedunt terni Indices, quorum primus omnes voces Propertianas complectitur.






AMSTELAEDAMI,

Apud ROD. & GERH. WETSTENIOS,

MDCCXXVII.



VIRO. AMPLISSIMO

STEPHANO. HVRGRONJE. J. C.

DOMINO. IN. 'SHEERARENTSKERKE

HEINKENSSAND. OVESANDE

'SHEERABSKERKE. SINOVDSKERKE

&c. &c. &c.

VRBIS. MEDIOBURGENSIS. SCABINO

ET. SENATORI

RECENSIONIS. MILITVM. PRAEFECTO

SOCIETATIS. INDIAE. ORIENTALIS. QVAE

IN. ZELANDIA. EST. DIRECTORI

&c. &c. &c.

 SPON-

SPONSO. FELICISSIMO
AMICO. INTEGERRIMO
CONIVNCTISSIMO
CERTISSIMO

MVSARVM. ET. ELEGANTIORIS
LITERATVRAE. AMANTISSIMO

IN. MEMORIAM. CONSVETVDINIS
DIVTVRNAE. VENVSTAE. ERVDITAE
SINCERAE

S. A. PROPERTIVM
DELITIAS. TVAS
ELEGANTISSIMI. VIRI

IANI. BROVKHVSII
SECVNDIS. CVRIS. ORNATIOREM
ALIENO. PECVLIO. DIVES
QVIA. IN. SVO. NIHIL. HABVIT
CARIVS

D D D

P. VLAMING.

LECTORI

S. D.

SEx. PROPERTII quanta carminum fama apud veteres illos fuerit, quantaque ingenii ac facundiae gloria, nemo hodie est paullo humanior qui ignoret. Et tamen, quod merito miremur, fato ille usus est adeo non favente, ut post discussas immanis barbariae tenebras, quum jam respirare paullatim inciperet Res Latina, inter illos sit numeratus, quorum, praeter nomen, nihil pervenire quiverit ad notitiam posteritatis. Certe jam diu post *Francisci Petrarchae*, atque etiam *Joannis Boccatii* aetatem, latuit, atque ignoratus est: neque in ora hominum ac manus pervenit nisi circa medium saeculi quinti decimi, invento in cella vinaria sub doliis antiquo ejus elegiarum libro, literis corrosis ac longa vetustate collabentibus. Cujus rei historiam, ab *Joviano Pontano* acceptam, apud *Alexandrum Alexandrium* denarrat vir non vetusto clari sanguinis ordine, quam literarum laude nobilior, *Jacobus Sincerus Sannazarius.* Ex illa tempestate uti quisque fuit doctissimus, ita maxime animum intendit ad poëtam nobilissimum non modo evolvendum, verum etiam intelligendum. Quod quum fieri non posset sine luculenta rerum veterum ac sermonis Romani

Romani cognitione, obstarentque praeterea librorum minus bene descriptorum errores & multi & magni; opera certatim data est ab hominibus literatis, quo & fabularum tenebrae commode illustrarentur, & ritus ac mores antiqui in luce clara spectandi proponerentur, & denique vera ac germana poëtae scriptura, quoad ejus fieri posset, ex collatione vetustorum librorum constitueretur. In tam nobili palaestra quam quisque laudem promeruerit, non est meum definire hoc loco, aut pronuntiare. Et sane non erat desperandum de PROPERTIO persanando, quam diu res gesta est legitimis praesidiis, neque medicina ipsa modum excessit. Sed exorta est postmodum natio quaedam crudelis atque immisericors hominum acutulorum, qui se CRITICOS appellari volunt, quorum omnis industria in eo versabatur, ut nullis non partibus scriptorum veterum, sive sanis atque integris, sive adfectis ac languentibus scalpellum adhiberent, freti sola acie ingenii. Horum ferrum, horum ignem, saepe expertus est SEXTUS noster haud perfunctorie, sectus, ustus, laceratus membratim. Atque haec isti suo se periculo facere dictitabant, neque aliam superesse medicinam ulceribus jam putrescentibus. Tanta erat emendatorum copia, ut adsertore opus haberet, qui contra medicos adesset aegrotanti. Me quidem certe, quum a prima adolescentia supra modum cepisset Propertianae lectionis mirifica illa suavitas, tamen nihil ita vehementer deterruit ac variantis scripturae in libris criticorum moles infinita: unde nihil aliud proficiebam, nisi ut quae certa mihi prius fuissent, protinus evaderent incertissima. Atque adeo plus semel in eo fui, ut nihil foret propius, quam

ut

ut abjectis omnibus libris ejurarem ingratum legendi laborem. Sed tamen habitus est modus; & exorta aliquando occasio non una, qua satisfacerem animi cupiditati in perquirendis libris antiquis. Etenim quum ante annos aliquot post varias jactationes certior me ac tranquillior statio excepisset, non putavi honestum otium somno aut desidia transmittendum: potius deducendum quod restabat cum Musis veteris ratiunculae. Et successit satis feliciter hoc ipsum quod animo cogitaram. nam apud Virum Clarissimum, & longo amicitiae usu mihi conjunctissimum, *Petrum Francium*, duos inveni codices PROPERTII in membrana exaratos, unde initium fieret instituendae collationis. Horum alter scriptus est in Italia, litera non admodum antiqua, sed tamen plana ac facili, forma (ut vocant) octava: alter vero aetatis non paullo majoris, quique facile annos ipsos quadringentos excedere videatur, notae sane bonae, forma quarta, Italicae & ipse propaginis. Illos ego *nostros libros* vocare soleo. Habebam & variantis scripturae excerpta de codice *Posthiano*, *Jani Lernutii* manu (ni fallor) enotata, donum Viri Celeberrimi ac literarum nostrarum principis *Joannis Georgii Graevii*, cujus ego amori & plura debeo, & vero etiam majora. Neque reticeri debet jucundissimum beneficium, quo me devincire dignatus est Vir pietate ac literarum cultu insignis *Jacobus Gallaeus*, Ecclesiae Campensis Minister fidelissimus ac disertissimus. Quum enim istis temporibus apud nostrae reipublicae Oratorem, cui erat a sacris, Lutetiae degeret, usus est oportunitate urbis florentissimae, atque adnitente viro laudatissimo *Aegidio Menagio*, duos è Bibliotheca Regis Christianissimi li-

libros in membrana calamo exaratos, curiosa diligentia contulit cum excusis ac vulgatis. Neque contentus opimo hujus laboris fructu, duos item alteros Bibliothecae Colbertinae eadem sedulitate evolutos, in usus meos, imo in publicos convertit. Et jam ego his praesidiis munitus aliquid sperare coeperam de vigiliis PROPERTIO impendendis, quum ecce praeter votorum meorum desiderium, magnum atque insperatum bonum obtulit fortuita felicitas. *Joannes* enim *Mensinga*, quo ego viro, dum erat inter vivos, nihil umquam vidi candidius, humanius, officiosius, atque ad promovenda amicorum commoda paratius; is (inquam) *Joannes Mensinga* non ignarus mei consilii, ultro ad me pertulit librum scriptum, ex Bibliotheca Academiae Groningomlandicae, in qua ipse cum laude summa florebat, depromtum. At vero, dii boni, quem librum! Erat is ipse, quem superiorum temporum critici *Posthianum* vocitarunt: is ipse, è quo tot insignes lectionum gemmas erutas in lucem publicam protulerunt *Janus Mellerus Palmerius*, & *Franciscus Modius*. quamquam ille per lasciviam ingenii, bonis paratis male est abusus: hic vero, si voluisset, plura poterat vidisse. Usus est hoc ipso libro & *Joannes Livinejus*, vir acri ac recto judicio. Sed de ejus notis, in quibus tantum materiam rudem videmus futuro aedificio comparatam, eo mitius est sentiendum, quod sunt postumae, atque etiam plane imperfectae. neque tamen nusquam profuerunt. Accedebant, aliquanto tempore post, excerpta libri manu scripti, quem cum aliis rei literariae cimeliis reliquit Vir saeculorum memoria dignissimus *Olaus Borrichius*. Illa excerpta ad *Graevium* nostrum

strum

ſtrum transmiſerunt Viri Excellentiſſimi, *Paullus Vindingius*, & *Joannes Conradus Wolfenius*, hic Sereniſſimo Daniae Regi a Bibliotheca, ille a conſiliis. Quorum virorum praecellentem dignitatem ſumma exornat eruditio, eruditionem ſumma commendat humanitas. Nos vero utrique eas pro accepto beneficio gratias publice agimus, quas nos debere ſentimus clariſſimis utriuſque virtutibus. Symbolae quoque nonnihil contulit Vir Clariſſimus *Theodorus Janſonius ab Almeloveen*, Hardervicanae Academiae decus ſingulare, facta collatione editionis principis cum ea quam illuſtris *Scaliger* procuravit. Saepenumero (nam & hoc dicendum erat) mihi profuit vetus editio Veneta A. 1475. quam re ipſa comperi, nihilo eſſe inferiorem manuſcriptis. Hanc anno uno anteceſſit illa, qua uſus eſt *Almelovenius*. Neutram harum vidiſſe magnum virum *Gerardum Joannem Voſſium* ex eo liquet, quod in libris de Arte Grammatica ſemper tamquam omnium primam laudat illam, quae prodiit Regii Lepidi. A. 1481. Habes, Lector, recenſum copiolarum noſtrarum, unde natum nobis quidquid hoc eſt commentatiunculae. Quam tu qua fronte ſis accepturus, ego ſane neſcio; quamquam nihil ſiniſtri animus mihi auguratur. Si bonus es, & humani moris memor; cur ego metuam te? Sin vero Attila quispiam de ſchola; nihil te moror. Peſſimum iſtud eſt mortalium genus, atque implacabiliter contentioſum, quorum inimicitiae nec morte ipſa finiuntur. Idcirco decretum eſt, non commoveri, ſi quis me quaeret rufus. Verum enim vero bonum te eſſe plus multo expediet mihi, ſiquidem his chartis manum admovere non recuſabis. Itaque ſupereſt ut a bonitate tua puden

tem veniam petam, ſi tres quatuor conjecturae meae, illae quidem non nimis infirmae, ſed tamen conjecturae, neſcio qua mea incuria, in ipſum textum irrepſerunt. Has tu, ſi voles, quantocius ejicito: nam in notis legi, relicto tuo tibi judicio, ſatius fuiſſe arbitramur. Quae a membranis venerunt, neque tu (ſat ſcio) improbabis. Plura deprecari ſi velim, aut etiam longis abs te rationibus contendam ut tu ubique mecum facias, ridiculus ſim. Uti in convivio, ita in lectione ſuus cuique guſtus eſt: neque ut invitus probet, quae probanda non putat, rogari quisquam debet. Vale.

L. B.

L. B.

SExtus Aurelius Propertius, Vates doctissimus, secundis Curis Jani Broukhusii, Viri eximii, & per paucissimis, qui post renatas literas Musarum sacra coluere, Poetica laude inferioris, tibi, Lector Benevole, sese sistit emendatior ex codice, quem in auctione suppellectilis Literariae Viri Amicissimi Davidis Hoogstratani mihi comparatum utilitati publicae minime negare volui, id rogantibus Fratribus Wetsteniis, Typographis, si qui alii, optime de re Literaria meritis. Elegantissimae adnotationes, quae uberiores huic editioni accedunt, non in schedis jacebant, ut dispersa Sibyllae folia, sed adeo nitide descriptae erant, ut facile appareret, Virum omni laude majorem hasce novae Editioni destinasse; in animo enim habebat manum iterum, neque perfunctorie, admovere emendando Poetae, quem faciebat maximi, & adeo feliciter Elegis suis expressit. Nihil dedimus nisi mere Broukhusianum; ad manum quidem erant observationes fratris mei, & alia quibus Umbrum Callimachum, qui a pluribus legitur quam intelligitur, innumeris enim in locis pessime habitus est & laceratus, pristino nitori aliquomodo restituere possem. Sed neque temporis angustiae hoc concedebant variis negotiis occupato, & non adeo videbantur hujus loci: Elegiam tamen, haud invenustam, Jo. Mensingae, optimi Viri, hic legi volui, quam certe non dignam credebam, quae forte periret. Vale.

E L E G I A

IN

SEXTUM AURELIUM

PROPERTIUM,

EMENDATUM,

atque illustratum,

A

VIRO UTRAQUE PALLADE CLARO

JANO BROUKHUSIO.

Ergone Jane, tuo Vati, quem rite colebas,
  Non aliter Clarius ceu foret ille Deus,
Ergone felici Vates pro munere Vati
  Munera cum multo fenore plura refers?
Ille tuus Vates, primis tibi cultus ab annis,
  Cynthia cui Veneres materiemque dedit,
Callimachus plectrum cui tradidit, osque disertum,
  Clitumnus veniam potus aquasque suas;
Clitumnus sacer amne suo, Rex tramitis Umbri,
  Pegaseis mixtus ceu foret ille vadis.
Ille modos, numerosque suos & eburnea plectra,
  Ille suas artes & dedit arma tibi.
Tu memor, æterno pro munere, lætus honores
  Æternos Vati dasque refersque tuo;
Dum pulchro tergis fœdas è corpore sordes,
  Et tollis lima vindice mille notas;
Quas longæva dies, & iners alleverat ætas,
  Barbara quas dederant arma, vagusque furor.
Hoc est cum sacris vera contendere palma
  Vatibus, hoc primos demeruisse duces.

Lætus

E L E G I A.

Lætus in amplexus Vates properaret amicos,
  Elysia posset liber abire domo,
Officiumque tuum merito pensurus honore,
  Te servatorem diceret ille suum;
Et testaretur multis de millibus unum
  Aut aequasse suos, aut superasse modos.
Non datur ulterius suppresso promere curas
  Judice, nec tecto nomine Jane legi.
Non facit ad famam pudor hic laudemque perennem,
  Ulterius Famæ non dare verba potes.
Illa tuum nomen, malis licet ipse latere,
  Jam pridem in populos, ora, diemque, dedit.
At labor hic Vati datus, officiumque supremum,
  Diffundet nomen, qua datur, usque tuum.
Atria Pieridum myrtique, hederæque coronent,
  Cingat Hyanteas laurea multa fores.
Jam sibi promittant sacræ meliora Camenæ,
  Nec fastus metuant, ludibriumque Deæ,
Cum Mars ipse suum per te testetur amiorem,
  Et Vates habeant bellica castra Duces,
Qui pulchras referant utroque ex pulvere palmas,
  Inque acie possint has meminisse Deas.
Fertur ut Alcæus plectroque insignis & hasta,
  Et Vatis partes ac subiisse Ducis.
Broukhusi Vatum interpres, Phæbique sacerdos,
  Martis amor, Clarii fama superba chori,
Hos si rite tuos virtus Mavortia mores,
  Exemplumque colant ac tua facta Duces,
Accedet pretium Phoebo, doctisque Camenis,
  Vatibus accedet vis nova, forsque prior.

JOH. MENSINGA.

CAS-

CASPAR BARTHIUS

Animadv. ad Papin. L. 6. Theb. v. 6.

Istud de Delo *primi vidimus, quamvis infinitis doctis viris examinata haec sint: quorum sententias sane docte judicat Matthaeus Raderus; cujus doctissimis & accuratis Commentariis in Martialem, utinam similes in omnes Poëtas haberemus. Ineptiunt hodie qui sine doctorum hominum collectis sententiis, iisque censitis, tale quid scribere moliuntur: non enim fieri potest, quin ex pluribus unus aliquis, quocumque etiam Apolline doctus, plura quam ex sua industria discat; & praeterea necesse erit incurrat cogitationes & observationes aliorum, aliquando totas, aliquando partitim. Unde suspicionem malignitatis minime eximet prioribus scriptoribus, sua, ut fit ubique in his litteris, quae prorsus, nisi singulari ingenio praeditis, ridicule tractantur, tenerrime diligentibus.*

S E-

SELECTA
CLARORUM VIRORUM
DE
SEX. AURELIO PROPERTIO
JUDICIA.

P. Ovidius Naso L. 3. Artis Amator.

Et teneri possis carmen legisse PropertI:
Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum.

Idem Remed. Amor.

Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia *sola fuit?*

Idem L. 2. Tristium.

Invenies eadem blandi praecepta PropertI:
Distructus minima nec tamen ille nota est.

Idem L. 4. Trist. Eleg. 10.

Saepe suos solitus recitare Propertius *ignes,*
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.

. . . .

Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius *illi:*
Quartus ab his, serie temporis, ipse fui.

Idem L. 5. Trist. Eleg. 1.

Aptior huic Gallus, blandique Propertius *oris,*
Aptior ingenium come Tibullus erit:
***

M. Fa-

M. Fabius Quintilianus L. 10. Inſtit. Orat. C. 1.

Elegia Graecos quoque provocamus: cujus mihi terſus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium *malint. Ovidius utroque laſcivior: ſicut durior Gallus.*

M. Valerius Martialis L. 8. Epigr. 73.

Cynthia te vatem fecit, laſcive PropertI:
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli:
Leſbia dictavit, docte Catulle, tibi.

Idem L. 14. Epigr. 189.

Cynthia facundi carmen juvenile PropertI
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

P. Papinius Statius L. 1. Silv. 2.

date carmina feſtis
Digna toris. Hunc ipſe choro plaudente Philetas,
Callimachuſque ſenex, Umbroque Propertius *antro*
Ambiſſent laudare diem, nec triſtis in ipſis
Naſo Tomis, diveſque foco lucente Tibullus.

C. Plinius Caecilius Secundus L. 6. Epiſt. 15.

Paſſienus Paullus, ſplendidus eques Romanus, & in primis eruditus, ſcribit elegos. Gentilitium hoc illi: eſt enim municeps Propertii, *atque etiam inter majores ſuos* Propertium *numerat.*

Idem L. 9. Epiſt. 22.

Magna me ſollicitudine affecit Paſſieni Paulli valetudo, & quidem plurimis juſtiſſimiſque de cauſis. Vir eſt optimus, honeſtiſſimus, noſtri amantiſſimus, praeterea in literis veteres aemulatur, exprimit, reddit: Propertium *in primis, a quo genus ducit; vera ſoboles, eoque ſimillima illi, in quo ille praecipuus. Si ele-*

elegos ejus in manum sumseris, leges opus tersum, molle, jucundum, & plane in Propertii *domo scriptum.*

L. Apulejus Apolog.

Hic illud etiam reprehendi animadvertisti, quod cum aliis nominibus pueri vocentur, ego eos Charinum & Critiam appellitarim. Eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: & Ticidam similiter, quod, quae Metella erat, Perillam scripserit: & Propertium, *qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet, & Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu.*

L. Caecilius Lactantius Firmianus L. 2. Divin. Instit. C. 6.

Romulus urbem conditurus, pastores, inter quos adoleverat, convocavit. cumque is numerus condendae urbi parum idoneus videretur, constituit asylum. Eo passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique, sine ullo conditionis discrimine. Ita conflavit ex his omnibus populum; legitque in senatum eos, qui aetate anteibant; & Patres appellavit, quorum consilio gereret omnia. De quo senatu Propertius *elegiarum scriptor haec loquitur:*

Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
  Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
  Centum illi in prato saepe senatus erat.

Angelus Politianus Nutric.

ut tersi memorat pia Musa Tibulli,
Musa sibi primos quae jure adsciscat honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius *ora*
Solvat, & ambiguam faciat certamine palmam.

Julius Caesar Scaliger L. 6. Poëtic. C. 7.

Propertius *facilis, candidus, vere elegiacus: tersior tamen, quam existimatus est a Criticis. Nam & amat quaedam, quae*

minime sunt vulgaria, & quibusdam locis paucorum judicium secutus videtur.

Adrianus Turnebus L. 8. Adverſar. C. 2.

Lepidiſſimus & nitidiſſimus poëta Propertius.

Idem L. 11. C. 15.

Tanta verſuum Propertii *jucunditas & amoenitas eſt, ut eos dictantibus Gratiis a poëta exceptos cenſeas: tantum optarem ad aliam potius, quam amatoriam materiam, beatam illam & candidam ingenii venam contuliſſet.*

Juſtus Lipſius L. 2. Antiq. Lect. C. 10.

Propertium *qui non amat, eum profecto Muſae non amant. Tanta ejus verſuum ſuavitas eſt, ut quemadmodum comicus ille ait, nil niſi mulſa loqui videantur: tanta eruditio, ut non niſi Phoebo dictante credamus exceptos.*

Andreas Schottus L. 2. Obſervat. Human. C. 7.

Cynthia facundi carmen juvenile PropertI:
adeo elegans, & ſcitum, ut nihil eo venuſtius hoc in genere reperiri queat. Callimachum Graecum ut expreſſit, Euphorionem, alioſque non nullos; ita illum ſimiliter alii expreſſere.

Lucas Fruterius L. 1. Veriſimil. C. 14.

Propertium *vere* transmarinam Venerem *appellare poſſumus, cum propter varia in eo a Graecis tralata dicendi genera, tum etiam propter quaſdam & audaces & proprias ſibi phraſes, quas in alio poëta haud temere reperias.*

Daniel Heinſius dedicat. Monobibli.

Idem in nonnullis noſter ille inaffectatae elegantiae affectator Catullus praeſtitit, & in primo libro maxime Umber*: quamvis,*

ſi

si unam excipias elegiam aut alteram, minus in hanc curam incuvuit, minusque, sive certo judicio, sive alias naturae suasu, in proposito persistit. In reliquis, a se simulque a Graecis degenerat ac retro cedit. Qui vir curam & operam ubique ad elegiam, sed & gravitatem admirabilem non numquam contulit.

Caspar Barthius L. 9. Adversar. C. 10.

Dulciori eruditione & eruditiore dulcedine nemo scriptor est tota Antiquitate ante Propertium, *quem scriptorem quo magis rimaberis, eo magis amabis, quae enim primo intuitu obscuriora videbuntur, ea si penetraveris, omnium videbuntur naturali quadam Venere gratiosissima. Ita autem te velim hunc Poëtam exquirere, ut nulli tam parem credas, quam sibimet ipsi: quae regula cum omnibus praecipuis scriptoribus sit generalis, primo tamen loco quadam quasi Genii alicujus singularitate huic convenire magis videtur quam caeteris.*

Idem L. 32. C. 9.

Quod si & paucorum quidem sed maxime locupletium testium accessione juvari velimus, non deerunt etiam praestantissimi scriptores, qui nobiscum sentient. Ingeniosissimus & limatissimus, etiam eruditissimus scriptor est Propertius, *Graecarum elegantiarum sine pari gnarus & amator. At ille nascentem tum primum Aeneidem non parem sed priorem Iliadi ponere non dubitat, velut Paeanem post victoriam Latii canens, dum exclamat:*

Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Idem Animadv. ad Papin. L. 1. Silv. 2. v. 253.

Summa laus Propertio *data in Elego carmine, multorum judicio. Verissime Plinius Caecilius L. 9. Epist. 22.* praecipuum in Elegia, tersum, mollem, jucundum, *dixit. Addendum omnino a doctrina praeconium; est enim simul his, eruditissimus scriptor: prorsus Tibullo non comparandus, qui mera & inornata simpli-*

citas est, adeo tamen candida, delicata, nitida, & amabilis, ut nec ipse is auctor ulli possit comparari, nedum Propertio, *qui aliarum Venerum est.*

Idem ad L. 5. Silv. 1. v. 211.

Pompam *talem, quam sibi tamen non poscit, pulcre describit amoenissimus Poëta*, Propertius, *L.* 2. *Eleg.* 13.

Idem ad L. 3. Thebaid. v. 559.

Quatuor genera divinationum *enumerantur a* Propertio *L.* 4. *Eleg.* 1. *Qui liber ostendit quantus Poëta* Propertius, *quantus auctor, fuerit.*

Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum,
  Aut sibi commissos fibra locuta Deos.
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
  Umbraque nec magicis mortua prodit aquis.

Quo loco doceri magnopere cupiamus quae sint magicae *illae* aquae, *quibus cogatur umbra ventura aut occulta prodere. Sed dubitantibus commode subvenit admirabilis memoriae Exegetes Joannes Passeratius, sine cujus Commentariis non suadeam legendum illum suavissimum poëtam, licet infinitis adhuc locis inemaculatum.*

Franciscus Vavassor lib. de Ludicra Dictione.

Galli, qui duriuscule putatur scripsisse, nihil pervenit ad nos, injuria & iniquitate temporum. Tibullum, ita ut erat accepimus, excultum atque expolitum. Est Propertius *in manibus, & oris blandi poëta, & altioris spiritus, & fabulis creber, & imitatione Graecorum doctior.*

Daniel Georgius Morhofius lib. de Patavinitate
Liviana C. 12.

Propertius *Umber inter principes aureae aetatis poëtas omnium suf-*

suffragiis reponitur. Primus enim Italorum Elegiam Latio donavit. Blandi oris Ovidius illum vocat, & jure sodalitii sibi junctum fatetur.

Il Signor Giovanni Vincenzo Gravina nel discorso delle Antiche Favole.

Properzio *ha novità d'espressione, fantasia pressochè lirica, ed è atto non meno alle cose grandi, che a gli amori: ma in Tibullo, per auuentura, è naturalezza maggiore.*

Joannes Jovianus Pontanus L. I. Amorum.

O utinam & nostri fugiant nigra fata libelli,
Et sit perpetuo non sine honore rogus!
O si post cineres & me quoque jactet alumnum
Umbria carminibus non inhonora meis!
Umbria Pieridum cultrix, patria alta PropertI,
Quae me non humili candida monte tulit.
Vigia quem gelidis placidus circumfluit undis,
Et Nar sulphureis fontibus usque calens.

Franciscus Floridus Sabinus Apologiâ in linguae Latinae calumniatores, post recitatum Quintiliani judicium.

Quam parum tibi convenit cum Fabio, Marulle? Tu unicum Tibullum probas, caeteros excludis: is non modo Propertium *non exclusit, sed omnibus etiam aliquorum judicio anteposuit. Qua in re id sibi voluisse videtur, ut, cum eorum uterque in Elegia celeberrimus fuerit, unicuique sit liberum quem malit imitari. Quamvis autem nihil sit ferme odiosius, quam de summis viris & aequalibus praesertim judicare, nec libenter a Fabio dissentiam, cum quo bona eruditorum pars Tibullum* Propertio *cultiorem asserit, non vererer in eorum album, qui* Propertium *malunt, nomen dare, quippe qui quid in hujus poëtae scriptis desiderare liceat, non videam, ita omnia munda, absoluta, culta,*

con-

concinna, elegantia sunt, nihilque habent quod caudam trahat. Atque ut illum Tibullo parem statuamus, in hoc certe magis est laudandus Propertius, *quod Italorum primus Elegiam Latio donavit, ut ipse de se elegantissime testatur:*

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.

&,

Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis:
Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me Fama levat terra sublimis, & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis.

At id tam eleganter fecit, ut nihil quicquam ejus inventis posteri addere potuerint: quod nescio an Romanorum alicui (si Horatium, quamvis in diverso opere, excipias) adhuc contigerit. Ovidius certe blandi oris Propertium *appellat, quem & jure sodalitii sibi junctum fuisse fatetur. Sed quantulus est apud Marullum Ovidius? aut quam nihil ejus amoribus defert? &c.*

M. Antonius Muretus dedicatione Scholiorum in Propertium.

Non injuria dubitatum est a veteribus, Tibullone an Propertio *deferendus esset inter Latinos poëtas elegiae scribendae principatus. Nam ut insunt in utroque permulta, quae eos vulgarium numero exemptos in edito atque eminenti statuant loco: sic propriae quaedam extant & elucent in utroque virtutes, quibus uterque alterius palmam ambiguam facere videatur. Summa in Tibullo elocutionis elegantia & proprietas, summa in* Propertio *eruditionis poëticae copia & varietas: in illo Romana prope omnia, in hoc pleraque Transmarina. Illum, nativa quaedam & incorrupta Romani sermonis integritas, in media urbe natum & altum esse, perspicue ostendit: hunc praeter cetera forma & character ipse dicendi in Graecorum poetarum scriptis assiduissime*

me versatum esse demonstrat. cumque a sapientissimis viris traditum sit, duo esse praecipua poëticae dictionis ornamenta, τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ξενικὸν, *illo Tibullus, hoc* Propertius *excellere videtur. Mollior ille, & delicatior: nervosior hic, & accuratior: illo magis oblectere: hunc magis, ut opinor, admirere: illum judices simplicius scripsisse, quae cogitaret: hunc diligentius cogitasse, quid scriberet: in illo plus naturae, in hoc plus curae atque industriae fuisse perspicias. Quae cum ita se habeant, perdifficile est, decernere ac constituere, uter alteri praestet. Nam si praecipua laus poëtarum in imitatione consistit: mihi quidem videtur Tibullus varios illos fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari solent, melius imitatus esse. sin, ut quicque ad optimum proxime accedit, ita ipsum quoque optimum judicandum est: crediderim sane veterum illorum Graecorum, ac praecipue Callimachi,* Propertium *haud paulo similiorem fuisse: qua etiam fiducia ipse se* Romanum Callimachum *vocare ausus est. Sed haec ut sunt, neque nostrum est, neque cujusquam hominis pudentis, & considerati, qua de re veteres illi, quorum fuit & doctrina major, & judicium acrius, non liquere pronuntiarunt, de ea certi quicquam constituere, & litem secundum alterutrum dare. Satius fuerit, utrumque studiose ac diligenter evolvere, utriusque virtutes accurate perpendere, utrumque sibi ad imitandum proponere, si quando forte nos ad tentandum idem poëmatis genus aut voluntas adducet, aut naturae impetus feret.*

Gulielmus Canterus praefatione in Propertium.

Quem inter poëtas locum Sex. Propertius *& veterum & nostri temporis hominum judicio obtineat, non est, cur pluribus doceam. Atque de hoc ut constat, ita judicii hujus causa aeque est aperta. Ut enim Virgilio carminis heroici, sic huic elegiae principatum nemo non aut tribuit, aut tribuere saltem debet. Etenim sive insignem & perfectam a poëta doctrinam, sive versus omnis venustatis plenissimos, sive dictionem purissimam ac tersissimam requiras: unus tibi de omnibus abunde satisfaciet* Propertius. *Itaque non levi de causa quo numero apud Graecos esset Callimachus, eo hic apud nostros & habitus fuit, & haberi ipse voluit. Quocirca qui Tibullum cum hoc, aut Ovidium contendere voluerit,*

luerit, non leviter, arbitror, operam luserit. nam Catullus quidem in aliis excellere videtur.

Jacobus Pontanus L. 2. institut. Poëtic. C. 25.

Ad antiquitatem merito rediguntur historiae atque fabulae, quibus moderate utendum est: manu etenim serere oportet, non toto thylaco: secus est, cum inductione uti volumus: ibi quippe multas glomerari licet, imo vero oportet. Hoc in genere Tibullo praestat longe Propertius, *in quo major est, quam in altero, poëticae eruditionis supellex.*

Joannes Isaacius Pontanus L. 2. Analect. C. 2.

Sed pauso paulisper a tragico hoc opere, & Propertium *amatorem vatem interfero; sed vatem, ita Musae me ament, doctum, disertum, magnificum. Venustas vero in illo talis, ut eruditorum consensu non modo principem semper laudem meruerit, sed ob profundum quoque literaturae perpetuam admirationem.*

Philippus Carolus Animad. ad L. 2. Agellii C. 23.

Sicut pictores oculis defessis, ad floridos & virides colores se avertunt: ita bene natis & literatis ingeniis lenitas gravium longarumque meditationum Plautus est, & Terentius, & Publius, & Horatius, & smaragdus poëtarum Propertius.

Rolandus Maresius L. 2. Epist. 6. post prolata Quintiliani verba.

Durum mihi quidem est, ab acris judicii Critico discedere, qui Tibullum videtur praeferre. Sed tamen in iis me esse fateor, qui Propertium *malint. Quamvis enim Tibullus mire sit jucundus, & elegans, Latinae etiam proprietatis amantior, quam alter, qui saepe graecissat, & in carmine exactior, & rotundior: tamen* Propertius *illum eruditione, & ingenii suavitate videtur superare, blandus omnino & lenis in affectibus: in quibus etiam exprimendis nonnumquam, tanquam calidus amator, & amore deperditus, vehementior fuit.*

Paga-

Paganino Gaudenzio nella ſua Letteraria Hiſtoria.

Cintia fù la cagion illuſtre, chiara
Della gran fama, ch'acquiſtò cantando
Properzio, *la meſtizia in bando dando,*
E facendo la penna ſua preclara;
Perchè ſenza l'imago amatarrara
Chi può contra l'oblio vibrar il brando?
Chi può renderſi noto memorando,
Se coll' amor l'ingegno non prepara?

Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Latina.

Sextus Aurelius Propertius, *Umber, non minorem laudem ſcriptis elegis conſecutus eſt, quam apud Graecos Callimachus, Couſve Philetas, quos aemulatum eſſe ſe ipſe praedicat. Floruit paulo ante Ovidium. Exſtant* Propertii *libri quatuor Elegiarum, laſcivi paſſim, caeterum Tibullianis non concedentes lepore & elegantia, eruditione vero illos etiam antevertentes. Editi ſunt cum Tibullo & Catullo, ut ad utrumque horum monuimus. —— Novam vero eximiam hujus poëtae editionem moliri in Belgio dicitur, qui omnes ejus Veneres imbibit, elegantiſſimus* JANUS BROUKHUSIUS.

Gaſpar Scioppius L. 3. Veriſimil. C. 10.

Propertio *caput hoc a nobis dabitur, neque id immerito. Nullus enim fere eſt de ſcriptoribus, in quo exornando aeque bene laborari putem. ita ſuavis eſt, & elegans, ut quemvis ad ſui lectionem adliciat; ita rurſus difficilis, ut non unum, nec uno in loco, interpretem requirat. Difficilis, inquam, ut mihi, aliiſque paullo humanioribus, videtur: qui alios, quibus ille modo non facillimus perperam exiſtimatur, docere poſſumus.*

Blondus Flavius L. 1. Italiae illuſtratae, regione quarta.

E regione Trivii amoeno in colle Falcum eſt oppidum, haudquaquam vetuſti nominis, ſed populo frequentatum. Ad colliſque illius radices in via olim Flaminia eſt Mevania, de qua Livius in IX. Decius Coſ. magnis itineribus ad Mevaniam,

ubi tum copiae Umbrorum erant, perrexit. *Fuitque id oppidum cive ornatum* Propertio Aurelio, *qui de se ipso scribit ad Tullum libro Monobiblo, vel, ut Nonio Marcello placet, libro Elegiarum:*

Proxima suppositos contingens Umbria campos
Me genuit terris fertilis uberibus.

Idemque in Elegiarum quarto:

Umbria te notis antiqua penatibus edit:
Mentior, an patriae tangitur ora tuae,
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Umber aquis.

Petrus Crinitus L. 3. de Poëtis Latinis C. 43.

Sex. Aurelius Propertius *ex Mevania oppido oriundus, quod in Umbria est, ut ipse auctor copiose testatur, quo loco Umbriam Romani Callimachi patriam vocat,*

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Callimachum praecipue Cyrenaeum, Mimnermum, & Philetam, Graecos poëtas, in carmine secutus est, quorum Manibus comitem se profitetur. Nam ut illi apud Graecos in Elegia consensu omnium longe praestiterunt: ita Propertius *apud Latinos eorum imitatione primas videtur quorundam judicio consecutus.*

Lilius Gregorius Gyraldus Dialog. 4. de Histor. Poëtar.

Sex. Aurelius Propertius *Umber, ex Mevania oppido fuisse dicitur, vel potius ex Assisia vel Essisia, utrumque enim memini me legere in Graecis & Latinis scriptoribus, quam civitatem Axim vel Assim potius ipse poëta appellat, qua de re nonnihil Fl. Blondus, aliique viri docti. Ejus poëtae versus vobis ex quarto libro recitabo, ut plane rem percipiatis, quo loco vitam, patriam, fortunamque suam sub Hori mathematici persona recenset.*

Umbria

Umbria te notis antiqua penatibus edit.
  Mentior, an patriae tangitur ora tuae?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et sacer aestivis intepet hymber aquis.
Scandentisque Assis consurgit vertice murus,
  Murus ab ingenio notior ille tuo.

Videtis ut plane Assem *patriam suam faciat* , *&* sacrum hymbrem, *amnem sic adhuc ab incolis, paucis immutatis literis, vocitatum nominet. & idem paulo supra Assim* scandentes arces *appellat, cum canit,*

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
  Ingenio muros aestimet ille meo.

Nisi si quis audaciuscule eo versu scandentem Assem *legere maluerit. Callimachum in primis, poëtam Cyrenaeum, & Coum Philetam dicendi forma imitatus est. Quin & se ipse alicubi* Romanum Callimachum *appellat, ut & Virgilium, Mantuanum Homerum dicimus. Quatuor Elegiarum libros, cultos & eruditos, reliquit.*

Janus Pannonius, Episcopus Quinqueeclesiensis L. 2. Eleg. 2.

Nemo adeo est amens, quin Umbros praeferat agros
  Omnibus Italiae fertilitate locis.
Nec quoque gauderet se hac gente Propertius *ortum,*
  Ni studio belli, ni foret apta togae.

Gerar. Joan. Vossius lib. de temporib. Poët. Latinor.

Propertius, *patria Umber, ut ipse scribit, aemulus Philetae Coi, & Callimachi Cyrenaei, unde & se* Romanum *vocat* Callimachum. *Conqueritur & se excidisse agris paternis in divisione ea, quae sub Triumviris facta militibus. Puella, quam Cynthiam vocat, vero nomine Hostia est dicta, ut ex Apulejo constat. Videtur autem fuisse filia Hostii, qui de bello Istrico scripsit, ut superius relatum.*

C. Sollius Apollinaris Sidonius. Arvernor. Episc.
L. 2. Epist. 10.

Certe si praeter rem oratoriam, contubernio feminarum, poë-

ticum ingenium, & oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam, quereris obtundi, reminiscere quod saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, *Delia cum Tibullo.*

Joannes Pierius Valerianus Sermone de studiorum conditione.

Sermones, ait hic, Vates Venusine, securi
Caedi posse tuos, crassos accusat, & odit.
Est cui sit docti libertas dura Catulli:
Virgilio ingenium qui demat, propter Homerum:
Qui tibi mollitiem vitio dent, terse Tibulle:
Te quoque grandiloquum, atque elegum supra ire, PropertI,
Invideant potius, quam damnent, optime vates.

Gaspar Scioppius lib. de Stilo Historico.

Caeteri, quibus perennare, & ad nostram usque aetatem canescere contigit, ejus sunt notae, ut ad eorum scripta, tanquam ad obrussam puritatis atque elegantiae Latinae, omnium posteriorum orationum exigere debeamus. Ii sunt Caesar, Livius, Cornelius Nepos, Virgilius, Horatius, Propertius, *Tibullus, & Vitruvius.*

Olaus Borrichius Cogitation. de variis linguae Latinae aetatibus, in voce *Vigilax.*

Quanquam Sidonium inter capite censos non existimemus numerandum, hic tamen non tam Sidonium, quam incorruptissimos Latinae linguae auctores Propertium *& Columellam veneramur, vocis hujus patronos.*

Joannes Secundus L. 1. Eleg. 7.

Non, quia Virgilio primos concessit honores
Posteritas, Flacci sprevit iniqua lyram.
Aut male rejecit, quem protulit Umbria, *vatem,*
Sola cui longum Cynthia carmen erat.

Idem

Idem L. 2. Eleg. 1.

O tantum faveas Umbri *levis umbra poëtae,*
Cynthia si nostro semper in ore sonat.
Tu caput hoc circum pennis allapsa sonoris
Ter strepe; procumbens ter bona verba canam.
Deinde ubi Panchaeo fumaverit ara vapore,
Placatum Lethes & mihi numen erit;
Aspersam lactis niveo te rore remittam,
Cynthia ne caro vate sit orba diu.

Idem L. 3. Eleg. 3.

Cynthia deinde, potens oculis jaculantibus ignem,
Subsequitur Coa mobilis in tunica.
Haec domuit fortem, tactumque Cupidine nullo,
Et fastus spolium celsa tuentis habet.
Tu quoque qui cernes, cave ne laedaris ab illa:
Spirat adhuc flammas, & sua tela gerit.

Daniel Heinsius Monob. Eleg. *6.*

Nec modus, aut blandi carmen recitare PropertI,
Quem levis impositis pressit Amor pedibus.
Sive illum molli defixit Cynthia somno,
Horrentem notae jurgia saevitiae:
Seu cum non faciles impugnat carmine valvas,
Ebrius, & duris oscula dat gradibus.
Herculis aut magni raptos deducit amores,
Opprobrium castis non leve Naiasin.
Felix, qui dulces versu mercatus amores,
Haeret in exstincti nomine Callimachi,
Felix in roseis semper qui tempora fertis,
Inque Philetaeis semper habet foliis.

Paullus Manutius L. 3. Epist. 14. ad M. A. Muretum.

Tu modo, qui Catullum expolieris, da operam ut in Tibullo, & Propertio, *qui locum illi proximum in elegantia verborum atque in sententiarum concinnitate obtinent, quam simillimum tui te praebeas. ita tres pulcherrimi poëtae, & sine dubio inter Lati-*

Latinos in illo festivo genere principes, veterem suum splendorem ereptum vetustate, atque hominum inscitia, tuo maxime studio recuperabunt. Ego autem ipse mihi gratulabor, & quodam modo gratias habebo, quia te ad hanc industriam excitaverim.

Idem ibidem Epist. 21.

Nec integrum jam est: &, si sit, cur tu poëtam elegantem, maximeque omnium Latinorum fabellarum varietate, hoc est, vere poëtica eruditione florentem, abjicias? Etiam illud: oblitus ne es, ei te Commentarium publice esse pollicitum?

Octavius Ferrarius Epistolâ ad Franc. Sparaverium.

Erant quidem oculi mei amoenissimo Vicentinorum collium aspectu recreati, quos tam bacchata Lyaeo juga, quam veterum magnificentiae decertantia civium praetoria nobilitant. Ibi quindecim dies opimo aucupio, &, ut cum Pindaro loquar, uvae bullientis rore spumantibus pateris, sed praecipue Propertianorum *carminum dulcedine, jucundissime exegi.*

TYPOGRAPHI LECTORI

S. D.

PRopertium nunc damus cum Animadversionibus ingeniosissimi Broukhusii iterata vice; eâdem formâ cum ejusdem Viri egregii Observationibus prostat quoque *Tibullus*; brevi eadem ratione illustratum dabimus *Catullum.* Ita, ut solent, triumviri isti, qui nimium diu fuerunt separati, denuo jungentur, quod gratissimum fore literarum amantibus credimus. Ceterum, quum ipsius *Broukhusii*, non minoris quovis veterum, *Poëmata*, eodem chartae nitore & eadem magnitudine ac forma, apud nos habeantur impressa, illa his juncta efficient veluti Corpus quoddam, praecipua ingenii Broukhusiani monumenta complectens, quod ut non dubitamus quin sit futurum literarum cultoribus longè gratissimum, ita hoc loco monendum duximus. Vale.

S E X.

SEX. AURELII
PROPERTII
CYNTHIA.
LIBER PRIMUS.

1 SUper nominibus poëtæ nostri suaviter nugatur Joannes Goropius in Vertumno p. 30.

2. Hunc librum ab antiquis criticis dictum fuisse *Monobiblon*, eo quod solus, & ante tres reliquos editus fuerit, jam pridem docuit illustris Scaliger, rejecta simul hominum ineptorum opinione, qui totum opus, id est, omnes quatuor Elegiarum libros, *Monobibli* titulo insigniebant. Id autem iis persuaserant membranae veteres, in quarum multis haec coronis conspicitur, PROPERTII AURELII NAUTAE MONOBIBLI QUARTUS ET ULTIMUS LIBER EXPLICIT. Veram epigraphen servavit nobis bonus ille codex Groninganus, in quo ita legitur,

PROPERTII NAUTAE MEVAN. UMBRI CYNTHIA.

& hoc quidem nomen, ut scias librarium intellexisse, auro illitis characteribus praefulget. (veram dixi epigraphen: nam de NAUTAE agnomine post paullo dicam) Ejus mihi adsertionis fundus ipse noster Propertius L. 2. Eleg. 17.

Tu loqueris, cum sis jam noto fabula libro,
Et tua sit toto CYNTHIA *lecta foro?*

tum ipso fine ejusdem libri:

CYNTHIA *quin etiam versu laudata Properti,*
Hos inter si me ponere Fama volet.

& Martialis L. 14. Epigr. 187.

CYNTHIA, *facundi carmen juvenile Properti,*
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

ibi lemma est in vulgatis, *Propertii Monobiblos:* in scriptis vero, monente elegantissimo viro Petro Scriverio, *Cynthia Monobiblos.* unde non sine ratione suspiceris lectum fuisse antiquitus, *Propertii Cynthia Monobiblos.* certe Domitius Calderinus in suis ita invenisse videri potest, quum haec scribat: CYNTHIA. *Monobiblos Propertii carmen ita inscribitur, qui ardentissime amavit* HOSTIAM, *ficto nomine appellatam* CYNTHIAM. Hujusmodi inscriptiones in re amatoria veteribus poëtis admodum erant familiares. Antimachi LYDE. Parrhasius Epist. p. 199. Suetonius lib. de illustr. Grammat. in Catone: *Scripsit praeter grammaticos libellos etiam poëmata, ex quibus praecipue probantur* LYDIA *&* DIANA. *Lydiae Ticida meminit,*

LYDIA *doctorum maxima cura liber.*

Dianae Cinna,

Saecula permaneat nostri DIANA *Catonis.*

Porphyrio in Horat. L. 1. Od. 22. *canto Lalagen*] *compono scilicet librum* LALAGEN, *ita liber Sex. Decii* COLLYRA *inscribitur, eo quod de Collyra amica scriptus sit. Etiam nos sic plerumque loquimur.* ita & Cornelius Gallus amores suos LYCORIDIS nomine proscripserat, quod ex Ovidio colligere licet, L. 1 Amor. Eleg. 15.

Gallus & Hesperiis, & Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota LYCORIS *erit.*

Nam praeter eum librum, transtulerat quoque Latino carmine Euphorionem Chalcidensem. exstabat etiam tum temporis MELAENIS, nobilis Poetae Domitii Marsi amor. cujus memoriam posteris servavit Valer. Martialis L. 7. Epigr. 28.

Et Maecenati Maro cum cantaret ALEXIN,
Nota tamen Marsi fusca MELAENIS *erat.*

Nautae agnomen poetae nostro adhaesit ex male transcripto loco libri secundi, Eleg. 19.

Tu mea compones, & dices, Ossa, Properti,

Haec tua sunt: eheu, tu mihi certus eras.
Certus eras, eheu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.

Ibi enim *navita dives eras* fere legitur in codicibus scriptis. qua de re agetur alibi opportunius. Equestri loco natum fuisse, ipse testatur L. 4. Eleg. 1.

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo.

firmat Plinius Caecilius L. 6. Epist. 15. *Passienus Paullus, splendidus eques Romanus, & in primis eruditus, scribit elegos. gentilitium hoc illi. est enim municeps Propertii, atque etiam inter majores suos Propertium numerat.* antiquior est Catonis auctoritas apud Servium in L. 7. Aen. ℣. 697. LVCOSQVE CAPENOS. *Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, cum adolevissent, miserat.* utinam paullo esset longior paulloque integrior haec lacinia Catonis. meminit Cicero cujusdam *Sexti Propertii*, Orat. pro domo sua C. 19. *denique etiam ille novitius Ligur, venalis adscriptor & subscriptor tuus, cum M. Papirii, sui fratris, esset testamento & judicio improbatus, mortem ejus se velle persequi dixit, nomen Sexti Propertii detulit. accusare alienae damnationis scelerisque socios propter calumniae metum non est ausus.* hunc *fortasse* nostri Sexti patrem fuisse, Lipsius ac Passeratius cogitabant. quod si est; nae ille loco conspicitur parum honorifico. Sed res est incerta. de patria non constat inter eruditos: neque ignota lis est, quam Scaligero movit Schoppius in Paradoxis Literariis. sed opinor omne argumentum exhauserit Thaddaeus Donnola, edito *de Patria Propertii* libro. quem ego librum oculis numquam usurpavi, Propertium interea pro Mevaniense habiturus. Desiderari aliquid ex scriptis Propertii Scaliger suspicatur, adducto ex Fulgentii Expositione, in voce *dividias*, hoc versiculo,

Dividias mentes conficit omnis amor.

Quamquam eum versiculum postea Petronio adscribit: quod & Petrus Daniel fecit in Notis ad Petronium, ubi & hoc fragmentum, quod in verbo *catillare* idem habet sub Propertii nomine Fulgentius, *catillata geris vadimonia publicum prostibulum.* mihi potius de aliquo vetere comico desumtum videtur. Etiam Servius nescio quam naufragii suspicionem quasi suscitat, in L. 1. Geor. ℣. 19. *uncique puer monstrator aratri] alii Triptolemum, alii Osirim volunt: quod magis verum est. ut dicit Propertius, vel Tibullus. Nam Triptolemus frumenta divisit.* sane apud Propertium nulla est usquam mentio de inventione aratri. at vero Tibullus ejus rei gloriam ad Osirin retulit L. 1. Eleg. 8.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

& quae plura istic sequuntur. Quocirca scribendum in Servio arbitror, *ut dicit Tibullus*, duabus his voculis, *Propertius*, *vel*, deletis. Ad gentem Propertiam spectant hi lapides, hominum (ut apparet) libertinorum, apud Gruter. DCCCXXV. 9.

D. M.
SECVNDINAE
PRIMI. FIL
S. PROPERTIVS
EPAPRA. VXORI

& DCCCCLII. 4.

DIIS. MANIBVS
Q. PROPERTIVS. SECVNDVS
FECIT. SIBI. ET
PROPERTIAE. TRYPHOSAE
PATRONAE. SVAE. BENE
MERENTI. ET
PROPERTIAE. DVNAME
LIBERTAE. ET. CONTVBERNALI
SANCTISSIMAE

I.

CYNTHIA prima suis miserum me cepit ocellis
Contactum nullis ante Cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus.

Do-

1. CYNTHIA] Nuptam fuisse Cynthiam contendit Barthius ad Statium T. 2 p. 757. vere, opinor. vide quae notavi ad 2, 6, 1

SUIS OCELLIS] Primum Propertium hujusmodi homoioteleuta invexisse in Elegiam Romanam autumat Barthius, eoque nomine acerbe eum increpat Anim. ad Statium T 2. p. 397. sq.

2. CONTACTUM NULLIS ANTE CUPIDINIBUS] Tamen infra L. 3. Eleg. 13. dicit se amoris tirocinium posuisse in Lycinna. qui *antecupidinibus* conjunctim legunt, videntur mihi rus illud horridum reducere, atque ex Propertio Attium aliquem vel Pacuvium effingere velle. Τὸ *contactum* pro impulso divina numinis vi atque externato recte exponit Gebhardus L. 1. Crepund. C. 15.

3. TUM MIHI CONSTANTIS DEJECIT LUMINA FASTUS] *constantis* legebat Beroaldus, & Janus Douza F. *constantes dejecit lumine fastus*, Gebhardus; & Theod. Marcilius ad Horat. sensu non nimis concinno. vulgatam agnoscunt omnes libri. superbia ac rigor indomitae Cynthiae contudit mihi spiritus istos meos feroces, & oculos suppliciter humi figere coëgit. *dejicere lumina* quid sit, bene exposuit Passeratius. ei opponitur *tollere vultum, tollere supercilium.* Petronius: *postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit.* & alibi: *superbus ille sustulit vultum, &, Non tam jactura me movet, inquit, quam negligentia nequissimi servi.* Catullus de homine iracundo atque irritabili ac fastuoso,

— *quem dicere nolo*
Nomine, ne tollat rubra supercilia.

itaque Propertio oculos dejiciebat constantis Cynthiae fastus. aliter Barthius L. 3. Adversf. C. 14. nempe, ocellis puellae suorum luminum fastum, alioqui constantem, esse dejectum. sic & Gebhardus L. 1. Crepund. C. 15. ut hoc totum referatur ad Amorem. quod fane verum puto, & prae mea interpretatione sequendum. visa Cynthia, Amor dejecit mihi oculos, antea satis constantes ac satis superbos.

4. ET CAPUT IMPOSITIS PRESSIT AMOR PEDIBUS] pulcre contumeliam militarem transtulit ad Amorem, deum superbum atque insolentem, ubi plena potitur victoria. mos autem constans victoriae, hostium corpora pedibus calcare, praecipue caput, & cervicem. Virgilius de Turno L. 10. Aen. occiso Pallante,

Quem Turnus super adsistens,
Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte
Euandro.

& hoc quidem ante spoliationem. pergit poeta:

laevo pressit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens immania pondera baltei.

Ovidius L. 2. Pontic. Epist. 2.

Nec dedignata est abjectis Illyris armis
Caesareum famulo vertice ferre pedem.

Valerius Flaccus L. 4. ℣. 312. ubi mors Amyci regis describitur:

labentem propulit heros
Ac super insistens; Pollux ego missus Amyclis,
Et Jove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes; sic & memori noscere sepulcro.

pari superbia Equus ille Maximus Domitiani calcabat jacentis Rheni victum caput. Papinius L. 1. Silv. 1.

vacuae pro cespite terrae
Aenea captivi crinem terit ungula Rheni.

Curtius L. 9. C. 7. *occupatum complexu, pedibus repente subductis Dioxippus arietavit in terram; ereptoque gladio pedem super cervicem jacentis imposuit, stipitem intentans.* Lactantius lib. de mortib. persecut. C. 5. de Valeriano imperatore: *Rex Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerat aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat ac ter-*

Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, & nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno,
Quum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Sævitiam duræ contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille ferire feras.

Ille

ga praebere, & imposito pede super dorsum ejus, Illud esse verum dicebat, exprobrans ei cum risu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. etiam in venatione, si qua nobilior fera esset strata, id faciebant. Ovidius L. 8. Metam. de apro Calydonio, quem occiderat Meleager:

Gaudia testantur socii clamore secundo;
Victricemque petunt dextrae conjungere dextram:
Immanemque feram multa tellure jacentem
Mirantes spectant: neque adhuc contingere tutum
Esse putant: sed tela tamen sua quisque cruentant.
Ipse pede imposito caput exitiabile pressit

ritum plene illustrarunt, etiam sacris literis in testimonium adductis, doctissimus Jesuita Jo. Lud. de la Cerda ad L. 10. Aen. ℣. 736. & Caspar Barthius ad Papin. L. 2. Theb. ℣. 713. & L. 3. Adv. C. 14. Longepierre sur la seconde Idylle de Bion p. 50. v. l'Ariosto XXIII. del Furioso, 66. Josue X. 22. sqq. *Praecepitque Josue, dicens, Aperite os speluncae, & producite ad me quinque Reges, qui in ea latitant.* ------ ------ *Cum que adducti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, & ait ad principes exercitus qui secum erant, Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum. Qui cum perrexissent, & subjectorum colla pedibus calcarent, rursum ait ad eos, Nolite timere, nec paveatis, confortamini & estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.* atque huc referendam puto gemmam Cyaneam Gorlaei, num. 143. in qua juvenis nudus cum hasta & clypeo terra defixis, dextra oleae ramum gestans, sinistro pede galeam proculcat: devicto nimirum bello & facta pace. sic Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 11.

Vicimus; & domitum pedibus calcamus Amorem.

Venerunt capiti cornua sera meo.

5. CASTAS ODISSE PUELLAS] Minervam & Musas. ita recte Barthius, ac Gebhardus. nam Passeratii nota nimis quam abnormis est. Philippus Silvius, interpres nostri poëtae novissimus, ita est interpretatus: *quousque malus me erudiit pudicas odio habere feminas.* & nos etiam querimur de obscaenitate veterum poëtarum? scilicet postquam iis nostram dedimus mentem.

8. ADVERSOS] Seneca Troad. ℣. 28. *Testor Deorum numen adversum mihi.*

COGOR] in uno nostro est *cogar.*

9. MINALION] ita omnes libri, pertinaci errore. mirum autem, omnes editiones, etiam novissimas, in eodem haesisse luto, cum *Milanion* scribi debere jam ante duo saecula constiterit apud eruditos. Fabulam ipsam eleganter, ut solet, exposuit Muretus in Scholiis ad hunc locum. de Iaside Atalanta vide illustrem Spanhemium Obs. in Callimach. p. 275. sqq.

11. PARTHENIIS AMENS ERRABAT IN ANTRIS] errabat apud antra montis Parthenii. sic Eleg. 2.

Surgat ut in solis formosius arbutus antris.

Eleg. 3.

Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano.

neque enim cubabant Bacchae in ipso fluvio, sed ad fluvii ripam. Caesar L. 1. Bel. Civil. C. 61 *Pompeii magnis affectae beneficiis, eum diligebant: Caesaris autem in barbaris erat nomen obscurius.* h. e. apud barbaros. haec praepositionis vis ideo notanda erat, ut liqueret, inutiliter hic refingi a Guyeto *in antris.* ea vox quamvis in Philoxeni inque Isidori Glossis legatur, non tamen legitur apud ullum poëtam Latinum, neque adeo apud ullum scriptorem aetatis bonae. quocirca *antras* suas Guyeto & Glossographis libenter redonamus, rati nitidissimum

Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam.
Tantum in amore preces, & bene facta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes:
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis:

En

mum poëtam non debere conspurcari foetutinis ignobilium grammaticorum. Milanion longe ab hominum conspectu saevitiam Atalantae deflebat in locis solis. qualia sunt antra montana. sic & Sappho a Phaone derelicta:

Antra nemusque peto; tamquam nemus antraque prosint.
Conscia deliciis illa fuere meis.
Antra vident oculi scabro pendentia topho,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant.
Invenio silvam, quae saepe cubilia nobis
Praebuit, & multa texit opaca coma.

sic de Orpheo, post amissam Eurydicen, Virgilius L. 4. Geor.

Septem illum totos perhibent ex ordine mensis
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, & gelidis haec evolvisse sub antris.

& Ovidius L. 10. Metam.

Esse Deos Erebi crudeles questus in altam
Se recipit Rhodopen, pulsumque Aquilonibus Haemon.

12. IBAT ET HIRSUTAS ILLE VIDERE FERAS] Nic. Heinsius ad L. 1. Fastor. Ovidii ℣. 287. reponit *ferire feras*. Quod ego verum arbitror. Ita Sallustius loquitur Jugurth. C. 6. *Ad hoc pleraque tempora in venando agere: leonem atque alias feras primus, aut in primis, ferire.* ceterum Passeratius hic notat *hirsutum* aliquando poni pro libidinoso: cui sententiae firmandae adducit versum Ovidii ex libro Tristium 2.

Sumserit Annales: nihil est hirsutius illis.

atqui *hirsutum* ibi notat rusticum, severum, incomtum, nullis deliciis corruptum, adeoque castum. Virgilius Pharmac.

O digno conjuncta viro, dum despicis omnis,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae,
hirsutumque supercilium, promissaque barba.

noster L. 4. Eleg. 1.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona.

nihil poterat fingi magis contrarium, nec magis alienum a mente Nasonis. feras *hirsutas* pulcerrime expressit noster Hoofdius, scriptor nobilissimus, & masculae facundiae primus apud Belgas conditor:

Die, veele maenden, van de wereld afgescheiden,
Begraven onder sneeuw hun leven zullen leiden
By 't hongrigh huilen van 't ruig ongedierte fel,
In 't koninkrijk der Nacht, gelijk als in de hel.

13. PERCUSSUS VULNERE RAMI] ita libri omnes. Passeratius e vetere suo producit *perculsus pondere*. quod non videtur spernendum. Corn. Nepos Eumene C. 5. *Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administravit.* sed & vulgata lectio bona est.

RAMI] *nervi* malebat Heinsius in notis nondum editis. recte. Ovid. II. Art. Amat. 191.

Sensit & Hylaei contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.

15. POTUIT DOMUISSE] id est, domuit. elegans & crebra poëtis locutio. Horatius L. 3. ode 3.

— stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.

usum ejus ac venustatem plurimis exemplis ostendit G. Canterus L. 2. Nov. Lect. C. 2.

17. NON ULLAS COGITAT ARTES] *non nullas*, unus Colbertinus, duo Regii. *ullas*, nostri & Groninganus liber. Douza P. malebat *illas* uti & Guyetus. quod nec ego damnaverim.

19. AT VOS DEDUCTAE QUIBUS EST FALLACIA LUNAE] *subductae* unus Colbertinus, bini nostri. male. pro *fallacia* obtrusit nobis Ianus Mellerus Palmerius *pellacia*, invitis omnibus libris, & repugnante ipso sensu: de cujus hominis temerariis conatibus, in sollicitan-

En agedum dominæ mentem convertite nostræ,
  Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
  Posse Cytaeaeis ducere carminibus.
Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
  Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sævos patiemur & ignes:
  Sit modo libertas, quæ volet ira, loqui.

Ferte

citandis veterum scriptorum locis non adfectis, audire operae est Janum Douzam P. ne meum id unius judicium credas, si quando iterum ad partes vocabitur. Sic ergo ille Salinarum libro primo, praemissis binis nomini ipsius Palmerii respondentibus anagrammatismis,

IN VERSUS MERA MELLA PLUIS.
IUS PALMAE NULLUS MERERIS.
Attica scribenti placuit tibi formula: felix,
  Transversum Critices ni rapuisset amor.
Quid grave, IUS PALMAE *hinc* NULLUS *si, Jane*, MERERIS?
  Sit satis, IN VERSUS *quod* MERA MELLA PLUIS.

quamquam non nescio in alia omnia ire Casp. Schoppium L. 1. Verisim. C. 2. cujus melos, haud quidem aere perennius, sed profecto multo durius, ibi videre potes, si te delectant carmina, quae, ut capitalis ille Hispanus loquitur, *per salebras altaque saxa cadunt.* vocem *fallaciam* bene pro fascinatione & praestigiis exposuit in Crepundiis Gebhardus.

20. IN MAGICIS SACRA PIARE FOCIS] Douza apud Livinejum per *sacra* Manes & umbras defunctorum intelligit, adducto Suetonii loco ex Ner. C. 34. *Quin & facto per Magos sacro evocare Manes, & exorare tentavit.* noster L. 3. Eleg. 1.

Callimachi manes, & Coi sacra Philetae.

sacra piare Guyetus exponit, Deos per sacra piare. potior videtur Douzae sententia: magorum enim fere cum Manibus res agebatur. v. Douza Schediasm. succidan. pro Tibullo p. 62

21. EN AGEDUM] Laurentius Valla, hunc locum laudans, legit *Vos agedum*, ll. Elegant. 16. contra omnes libros. Τὸ *agedum* etiam Cicero cum plurali junxit, orat. pro Sulla C. 26. *Agedum, conferte nunc cum illis vitam P. Sullae, vobis populoque Romano notissimam, judices, & eam ante oculos vestros proponite.* ubi Lambini *agitedum* nullo modo est admittendum. uti neque hic loci *Eja agedum* Gulielmi Canteri. Valerius Flaccus L. 3. ℣. 311.

Vos, age, funereas ad litora volvite silvas,
Et socios lustrate rogos.

24. POSSE CITAEINIS DUCERE CARMINIBUS] *Nosse* praefert nostrorum alter. *Cytheinis*, duo Regii. *Cytalinis* Borrichianus, & duo Colbertini. *Cytallinis*, Groninganus. *Citheniis*, unus noster: nam in altero lacuna est. veram lectionem eruit Guyetus, *Cytaeaeis.* nam Κύταια facit Κυταιαῖος, unde *Cytaeaeus*, ut ab Αἶα, Αἰαῖος, *Aeaeus.* Virgil. *Aeaeaeque insula Circes.* sic *Ptolemaeea Pharos* infra 2, 1, 30. sed quod idem *cedere* reponit pro *ducere*, non placet. *Ducere* hic est devocare, deripere, detrahere. Ovidius Metam. L. 7.

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant.

Horatius Epod 17.

Per atque libros carminum, valentium
Refixa coelo devocare sidera.

& deinde:

polo
Deripere Lunam vocibus possim meis.

Virgilius *deducere* dixerat Pharmac.

Carmina vel coelo possunt deducere Lunam.

& Tibullus L. 1. Eleg. 9.

Cantus & e curru Lunam deducere tentat.

est autem dilogia in verbo *ducere*: nam alio modo deducuntur coelo sidera, alio reducuntur amnes ad suos fontes. de quo Passeratius.

26. NON SANI PECTORIS] Seneca Herc. fur. ℣. 974.

infandos procul
Averte sensus: pectoris sani parum,

Magni

Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
  Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit ore,
  Sitis & in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
  Et nullo vacuus tempore defit Amor.
Hoc, moneo, vitate malum. sua quemque moretur
  Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quod siquis monitis tardas adverterit aures,
  Heu referet quanto verba dolore mea.

Magni tamen, compesce dementem impetum.

28. QUAE VELIT IRA] *volet* reponit Gebhardus ex codice Palatino. in nostris nihil tale. & tamen *volet* commodius est, ac sensui convenientius.

30. QUA NON ULLA MEUM FEMINA NORIT ITER] qua nulla me puella sequi possit. Sic Vetus poeta apud Ciceronem, *ubi nec Pelopidarum facta neque nomen audiam.* notaverat & Passeratius. quod cum non ignoraret Barthius, maluit tamen L. 3. Adv. C. 14. *semita* reponere, & cum Palmerio ineptire, quam probam ac simplicem veterum librorum lectionem non sollicitare. *novit*, unus noster.

31. ANNUIT AURE] Nonius Marcellus: *inter* NUTARE *&* ANNUERE *&* NICTARE *veteres hoc interesse voluerunt: ut Nutare capitis; Annuere vel Innuere narium vel labiorum; Nictare oculorum significantiam esse decreverint.* ibi Josias Mercerus, Nonium corrigens, *Annuere*, inquit, *est aurium. Sic Propert. Vos remanete quibus facili Deus annuit aure.* miror tam profunde dormitasse elegantissimi ingenii virum. auribus ut annueret, soli fortasse Sileno datum fuit, si unum Midam exceperis Phrygiae regem. Gebhardus veram nobis lectionem servavit, nec percepit tamen ipse, ex libro Comelini, *annuit ore.* Martialis L. 2. Epigr. 24.

Mecum eris ergo miser. quid, si deus ore sereno
Annuerit? felix, Candide, solus eris.

saepe librarii *au* in *o*, & viceversa *o* in *au* mutabant: quod multis exemplis, etiam hoc ipso nostri loco, ostendit Nic. Heinsius Not. in Ovid. L. 12. Metam. ℣. 430.

II. Quid

II.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercato perdere cultu?
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

Cre-

1. QUID JUVAT] laudat hunc versum interpres vetus Junii Juvenalis, apud Barthium L. 56. Adverf. C. 3. HAVD SIMILIS TIBI CYNTHIA. *Cynthia Propertii amica sumtuosa, proprio nomine Hostia dicebatur. Ait autem uxorem illam rusticanam non fuisse similem Cynthiae, quae luxu vestium & margaritarum oblectabatur, ut saepe conqueritur Propertius:*

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?

2. COA VESTE] in Groningano est *Cea:* quod etiam legitur in editione Veneta A. 1475. id in *Coa* primum mutasse Aldum Manutium suspicatur Barthius L. 9. Adverf. C. 10. sed non ita est: nam *Choa* jam legebatur in editione principe A. 1474 tamen multi, ut videre est apud Volscum ac Beroaldum, *Cea* legere maluerunt. Plinius L. 4. C. 12. *dein Ceos ab ea totidem, quam nostri quidam dixere Ceam, Graeci & Hydrussam. Ex hac profectam delicatiorem feminis vestem, auctor est Varro.* & L. 11. C. 22. ubi de telis bombycum: *Prima eas redordiri, rursusque texere invenit in Ceo mulier Pamphila, Latoi filia,* [*Platae* legit Vossius ad Melam III. 7 p. 267.] *non fraudanda gloria excogitatae rationis, ut denudet feminas vestis.* quibus locis adductus Hermolaus Barbarus, vir insignis, statuebat, ubicumque apud poëtas Coarum vestium mentio est, *Ceas* legi oportere, non *Coas.* contra stant alii, nec sine ratione: quum idem Plinius eodem loco statim dicat, etiam in Coo insula nasci bombycas, e quarum telis vestes fiant, quas nec viros usurpare puduerit, levitatem propter aestivam. Videre super hac re poteris, si tanti erit, Muretum ad Tibull. L. 2. Eleg. 3. Brodaeum L. 2. Miscell. C. 22. Torrentium ad Horat. L. 1. Sat. 2. ℣. 101. Petrum Fabrum L. 1. Semestr. C. 16. sed totam litem certissime diremit eruditissimus Salmasius Exerc. Plinian. p. 143. sqq. ubi validis rationibus *Coas* vestes, ubicumque in Romanis scriptoribus reperiuntur, numquam in *Ceas* mutari debere ostendit: tamen Coas vestes posse etiam *Ceas* dici, non est penitus improbabile. non quin diversae insulae fuerint *Coos* & *Ceos*: sed quod ipsa Coos olim *Cea* quoque fuerit dicta. Plinius L. 5. C. 31. *Nobilissima autem in eo sinu Cos, ab Halicarnasso quindecim mill. passuum distans, circuitu centum: ut plures existimant, Merope vocata: Cea, ut Staphylus: Meropis, ut Dionysius: dein Nymphaea.* quamquam hoc in medio Salmasius reliquit. Joannes vero Harduinus in omnibus manuscriptis legi *Cea* profitetur.

3. ORONTEA MYRRHA] *hoc est*, inquit Parisinus interpres, *Syrio malobatro*, quo errore vix ullus alius poterat errari abnormior. neque vero dici potest, quam foede perverterit Passeratium suum. Olim Itali *myrrham* hic pro *benzuino* ceperunt. Paullus Jovius Epist. 5. *Quanto al Stace, ed al Laserpitio, mi riservo à ragionare assai dottrinalmente. Perche di ciò, oltre gli antichi, Ermolao, Virgilio Marcello, Leoniceno, ed il Manardo in scritti ne disputarono assai,* & adhuc sub judice lis est. *Basta che quando Propertio disse,* Orontea crines perfundere myrrha, *dicono volse intendere il Bengioì. E di questa opinione fu ancora il buno Sannazzaro, ancor che poeta, e non simplicista.* satius est ut *stacten* intelligamus; quae odoratissima, ideoque pretiosissima, per se sola, unguentum faciebat. vide Dioscoridem L. 1. C. 64. & 69. quaeque inibi vir doctissimus Marcellus Vergilius adnotavit. noster autem *Oronteam* cur vocet, bene jam pridem exposuerat Scaliger: neque nos *Orontis* patriam discere nunc habebamus ex Philippo Silvio T. E. C. P.

3. CRINES] figuratius, & magis poëtice, dixisset

Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ eſt.
Nudus Amor formæ non amat artificem.
Adſpice quot ſubmittat humus formoſa colores,
Et veniant hederæ ſponte ſua melius:
Surgat & in ſolis formoſius arbutus antris,
Et ſciat indociles currere lympha vias:

Litora

dixiſſet *crinem.* & dixit credo. Virgilius L. 3. Aen.

Et circum Iliades crinem de more ſolutae.

Cornelius Severus, apud Fl. Chariſium L. 1.

Huc ades Aonia crinem circumdata ſerta.

5. MERCATO PERDERE CULTU] quum in Poſthiano codice (qui nobis Groninganus) *pendere* in veniſſet Palmerius, calide id amplexus, more ſuo explicavit non ſine ſolenni acumine. melius Barthius L. 9. C. 10. & ante eum Beroaldus, ac Paſſeratius. nec male Gebhardus.

7. NON ULLA TUAE MEDICINA FIGURAE EST] Tò *eſt* non comparet in uno noſtro. videtur quoque abeſſe non ſine elegantia. reliqui minus concinnè, *non ulla tuae eſt m. f.*

9. QUOS SUMMITTIT HUMUS] *quod*, unus Regius; alter *quot. ſubmittat*, duo libb. Gebhardi, unus noſter, Colinaei editio. *ſummittat*, Borrichianus, noſter ſecundus. *quot ſubmittat*, Nic. Heinſius ad Ovid. L. 1. Amor. El. 13. ỿ. 43. quae vera lectio eſt, & jam olim Volſco agnita.

10. ET VENIANT] *Ut* ſcriptum eſſe, tam in hoc quam duobus ſequentibus verſibus, in vetere libro Achillis Statii, pridem monuit elegantiſſimus Muretus. noſtri nihil habent tale.

10. EDERAE] ita ſcribi debere, ſine adſpiratione, praecipit Junius Philargyrius in Virgil. Eclog. 3. quem refellunt majorum gentium magiſtri. Terentianus Maurus, in tractatu de Syllabis, ubi de litera H:

Una nam ſpiramen addit omnibus vocalibus,
Haſta quando, & Hedera dicis, Hiſter, Hoſpes, atque Humus.

rationem reddit Jo. Jovianus Pontanus L. 1. de Aſpirat. ſcilicet ut differret *hedera* quibusdam temporibus verbi *edo*, (unde denominatam volunt) *ederam*, *ederas*, *ederis*. quod ſequitur Ger. Jo. Voſſius in Etymologico Linguae Latinae. ſane hoc loco *hederae* eſt in omnibus libris ſcriptis.

11. IN SOLIS ANTRIS] hic iterum nobis Guyetus *ancris* obtrudit. ſed nihil eſt mutandum. de uſu praepoſitionis *in* diximus modo. ita & hic intellige, arbutum felicius creſcere ſine cura circa fauces antrorum, quas inumbrant frondes temere enatae, ac ſua ſponte luxuriantes. Virgilius Eclog. 3.

Sive ſub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius ſuccedimus. aſpice, ut antrum
Silveſtris raris ſparſit labruſca racemis.

Eclog. 9.

Hic ver purpureum: varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet, & lentae texunt umbracula vites.

Ovidius L. 12. Metam.

Nubigenaſque feros, poſitis ex ordine menſis,
Arboribus tecto diſcumbere juſſerat antro.

Claudianus Epithal. Palladii & Celerinae:

Forte Venus blando quaeſitum frigore ſomnos,
Vitibus intexti gremio ſucceſſerat antri,
Denſaque ſidereos per gramina ſuderat artus,
Acclinis florum cumulo: criſpatur opaca
Pampinus, & mites undatim ventilat uvas.

ſunt vero antra tam paſtorum receptacula, quam nympharum, & numinum, ſemper frondibus veſtita, ſemper laetis umbris amoena. ſic antrum paſtoritium deſcribit Theocritus in Comaſte, atque in Cyclope: Atalantae antrum Aelianus L. 13. Var. Hiſt. C. 1. Calypſus, Homerus initio L. 5. Odyſſ. Polyphemi, idem ille vir divinus L. 9, ejuſdem operis, ỿ. 182. Nympharum, L. 13. ỿ. 103. e quibus ſingulis videre licet, quam nihil huc faciant Guyeti *ancrae.* Floridam Aeliani picturam non peſſimè expreſſit Daniel Ceretus in Salice:

Ecce tumens ſpoliis, atque oblita caede ferarum
Antra ſubit lucis Hecate laſſata ſub altis,

An-

Litora nativos per se dent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phoebe,
Pollucem cultu non Hilaïra soror.
Non Idae, & cupido quondam discordia Phoebo
Eueni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla satis forma, pudicitia.

Non

Antra hedera & raris labruscae sparsa racemis.
Intus aqua, viridique obsessa sedilia musco:
Ante fores thymbrae surgunt, flentesque Hyacinthi,
Et cum flammeolis Lethea papavera calthis,
Innumeraeque herbae, grato quas murmure labens
Rivus, & attritos versans alit unda lapillos.
Non latices illic, nitidi non uda profundi
Lanigerae turbastis oves: saltuve protervo
Indomiti ripis insultavere juvenci:
Non fera, non imis serpens educta cavernis,
Nec cum se pastae referunt è monte capellae.
Saepe tamen Dryades fessos venatibus artus
Fonte lavant, humeroque tenus contingere gaudent.

13. LITORA NATIVOS PER SE DENT PICTA LAPILLOS] haec est Scaligeri lectio editionis secundae. v. Nonius in *Sonit.* in priore erat *nativis persudent picta lapillis.* libri mire turbant. *persuadent* est in uno Colbertino, duobis nostris, uno Gebhardi, uno Livineji. idque probum visum Lipsio L. 4. Ant. Lect. C. 11. & Palmerio in Spicileg. nisi quod malit *persqualent*; verbo elegante, sed hic valde alieno. *pellucent*, editt. veteres. *collucent*, Groninganus codex, Borrichianus, duo Regii, unus Colbertinus, & Beroaldi editio, cum Veneta. quod valde arridet Barthio L. 9. Advers. C. 10. elige quid malis. ego à Scaligero haud facile discessero. valde pulcro epitheto *litora* vocat *picta*. & sic ante nostrum purissimi oris poeta T. Lucretius L. 2.

Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Litoris incurvi bibulam lavit aequor arenam.

quomodo quidem postremum versum laudavit Nonius in verbo *Lavit.* Dionysius autem Lambinus, elevans Nonii auctoritatem, ex libris scriptis reponendum censet *bibulam pavit aequor arenam*, h. e. ferit, percutit, plangit. quae est notio verbi *pavire.* Lambinum secutus est Tanaquillus Faber; & filia Tanaquilli Anna, in notis ad Anacreont. od. ℣. 37. sed versione ad Lucretii mentem parum commoda: *où la mer nourrit de ses ondes molles le sable alteré du rivage*, credidit videlicet τὸ *pavit* esse praeteritum τοῦ *pascit.* sed & sic obstaret prioris syllabae modulus, qui corripi nullo modo potest.

16. TELAIRA] & hic valde variant scripti. *Hylaira*, unus Regius; & in margine, *Ilaira.* quomodo & Comelini liber, cum Borrichiano, & editio Beroaldi. legendum *Hilaira*, ut luculenter ostendit eruditissimus Meursius L. 2. Miscell. Lacon. C. 15. ubi & hoc disces praeter alia, confudisse poetam nostrum matrimonia, & re vera Phoeben fuisse uxorem Pollucis, Castoris vero Hilairam. *Ilaira* legebant Turnebus L. 11. Advers. C. 15. & Passeratius: ac Nic. Heinsius in Ovid. L. 5. Fastor. ℣. 708. Longius abit Jo. Jovianus Pontanus, cui *Ichaira* dicitur, L. 2. de Aspiratione.

20. AVECTA EXTERNIS HIPPODAMIA ROTIS] recte *externis rotis.* nam procis certamen ineuntibus, cam concedebat Oenomaus,

Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.
Uni si qua placet, culta puella sat est.
Quum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram:
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
Omnia quaeque Venus, quaeque Minerva probat.
His tu semper eris nostrae gratissima vitae,
Taedia dum miserae sint tibi luxuriae.

niaus, ut eodem curru sedentem veherent, atque a carceribus ad metas secum raperent. ea ratione Pelops, acceptis a Neptuno equis alatis, virginem curru suo avexit. pulcre hanc fabulam illustravit Vir saeculorum memoria dignissimus Janus Parrhasius commentario in L. 2. Claudiani de raptu.

25. NE SIS MIHI VILIOR] ita optime restituit Scaliger; & ex codice Memmiano Passeratius. reliqui omnes, quasi in Velabro olearii, *ne sim tibi vilior.* prave ac perperam.

27. QUUM TIBI PRAESERTIM PHOEBUS SUA CARMINA DONET, &c.] quid est cur Cynthiam a coetu Musico segregaverint Clararum Mulierum buccinatores? fuisse eruditam, & domesticam poëseos gloriam, ad avi Hostii exemplum, non segniter excoluisse, vel hic unus locus evicerit. sed & plures supersunt. ecce, Eleg. 4. hujusdem libri,

Haec sed forma mei pars est extrema furoris.
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.

& quae istic sequuntur. tum Eleg. 7.

me laudent doctae solum placuisse puellae,
Pontice.

L. 2. El. 2.

Et quantum Aeolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeae ludere docta lyrae.
Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
Carminaque aequaevis non putat esse suis.

Ejusdem libri El. 10.

Me juvat in gremio doctae legisse puellae,
Auribus & puris scripta probasse mea.

& Eleg. 8. ubi juveniliter insultabundus dissidium & vastitiem amoribus suis minitatur:

Et tua transilit contemnens ossa viator.
Nec dicet, Cinis hic docta puella fuit.

L. 3. El. 17.

Est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.

Donetur itaque, magno suo merito, poëtica civitate illustris puella, cujus nomen inter Romanae lyrae cultrices adhuc desiderari piaculum fuerit. Haec est illa Calliope, quae dulcissimum poëtae sui ingenium tam felici auspicio movit, ut ne nunc quidem spirare desinant calores Umbris fidibus commissi.

III.

Qualis Thesea jacuit cedente carina
  Languida desertis Gnosia litoribus:
Qualis & accubuit primo Cepheïa somno,
  Libera jam duris cautibus Andromede:
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
  Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
  Cynthia non certis nixa caput manibus.
Ebria quum multo traherem vestigia Baccho,
  Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditus omnes
  Molliter impresso conor adire toro.

Et

1. QUALIS THESEA] has comparationes aliis comparationibus commutavit Titus Vespasianus Stroza, & sanguine & ingenio nobilissimus poeta, Erotic. L. 1.

Qualis erat roseis in odorae vallibus Aetnae
Virgineo lusu languida Persephone;
Qualis apud Xanthum nemorosa sedit in Ida
Oenone socias inter Hamadryadas;
Qualis pinifero confecta caede ferarum
Procubuit Cynthi fessa Diana jugo;
Talis Coppari peragratis Anthia campis
Lassa sub umbrosis concidit arboribus.

in primo versu legendum est *in odorae vallibus Ennae.* quamquam hic nulla poetae culpa: cujus tempestate *Enna* tantum non semper abierat in *Aetna*, etiam in Ciceronis Verrinis, & in Claudiani Raptu Proserpinae. quo magis ignoscendum est Petro Bembo, viro magno etiam inter magnos, qui in Aetna sua, dialogo longe pulcerrimo, puellam Proserpinam ex Aetnaeis convallibus a Dite patre fuisse raptam tradidit, & nobilissimum Cereris templum in ipso Aetnae monte constituit: deceptus videlicet codicibus Tullii parum emendatis, Accusat. 4. C. 48. & loco Nasonis pariter inquinato, L. 5. Metam. ℣. 385. Etiam Servius in hac voce mendosus est, ad VI. Aen. 273. in *faucibus Orci.*

2. GNOSIA] ita recte Groninganus, Regii, Colbertini, & editiones priscae. vulgo, & male, *Gnossia.*

4. DURIS COTIBUS] *cautibus*, Gebhardus ex Comeliniano. super qua ratione scribendi aliquid notavit Helenius Acro in Horat. L. 2. Sat. 4.

5. EDONIS] de modulo hujus vocis Servium vide ad L. 12. Aen. ℣. 365. nec monerem, nisi secundam Lucano ac Silio corripi scirem, contra praescriptum castae antiquitatis. quod Statius servavit, alioqui non semper religiosus in his talibus, L. 5. Theb.

Dulcius Edonas hiemes, Arctonque frementem Excipere.

12. HANC EGO —— CONOR ADIRE] eleganter dixit *conor.* notat enim hoc verbum cogitare, decernere, sibi aliquid proponere. Valerius Aedituus, apud Gellium L. 19. C. 9.

Dicere quum conor curam tibi Pamphila cordis,
Quid mi abs te quaeram, verba labris abeunt.

Terentius Phorm. Act. 1. Sc. 2.

G. *Si quis me quaeret rufus.* D. *praesto est, desine.* G. *oh.*
At ego obviam conabar tibi Dave.

Lucretius L. 1.

Sed veluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore.

Ci-

Et quamvis duplici correptum ardore juberent
Hac Amor, hac Liber, durus uterque Deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto,
Osculaque admota sumere ad ora manu:
Non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
Expertae metuens verbera saevitiae.

Sed

Cicero L. 5. ad famil. Epist. 4. *Nunc mihi Quintus frater meus mitissimam tuam orationem quam in senatu habuisses perscripsit: qua inductus ad te scribere sum conatus.* ita recte Lambinus, pro vulgato *sum coactus*, emendavit. neque satis prudenter, tanto tempore post, ejus rei laudem ad se derivavit Tanaquillus Faber, in notis ad hunc Lucretii locum, initio L. 1.

Te sociam studeo scribundis versibus esse
Quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadae nostro.

ibi luculenter hanc notionem verbi *conari* illustrat. in τῷ *adire* sensum involvi nuptum, idemque significare quod *inire*, operose contendunt Passeratius ac Gebhardus. Hoc demum est quod ajunt, e violis venenum. *hanc adire* nihil aliud significat quam *ire ad hanc.* Terentius Phorm. Act. 2 Sc. 1.

Sed quid cessas hominem adire, & blande in principio adloqui?

ibidem paullo post:

Laudo hunc: sed cesso adire quam primum senem?

Cicero L. 3. ad App. Epist. 9. *quoniam plures tu habes quam ceteri, quos scias in hanc provinciam proficisci, quod te adeunt fere omnes si quid velis.* L. 7. ad Attic. Epist. 20. *Cnaeus autem Luceriae dicebatur esse, & adire cohortes legionum Attianarum.* Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 7.

A tenera quisquam sic surgit mane puella,
Protinus ut sanctos possit adire Deos.

Pedo Albinovanus:

Cur adeo fratres heu sine fratre Deos?

Terentius Eunuch. Act. 3. Sc. 5.

Edicit, ne vir quisquam ad eam adeat: & mihi, ne abscedam, imperat.

Haec si non evincunt id quod volo, quaeso quid fiet his Catulli versibus? Carm. 8.

quae tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? cujus esse diceris?
Quem basiabis? quoi labella mordebis?

ohe jam satis est. nimirum fuere ab omni aevo scarabaei.

16. OSCULAQUE ADMOTA SUMERE ET ARMA MANU] ecce iterum hydram malarum explicationum. nam quem non criticorum in invidiam poetae nostri armarunt ista *arma*? virilia exponunt fere. ita sane Beroaldus, Volscus, Passeratius, Livinejus, uterque Douza, Palmerius, & Is. Vossius ad Catullum. qui de muliebris corporis flore caperet, unus inventus est Barthius Animadv. ad L. 2. Theb. Statii ℣. 339. is tamen ipse, parum sibi constans, hoc modo versiculum torserat L. 9. Adv. C. 10: *Osculaque amota sumere amara manu.* nihilo felicius *inerma* tentabat Palmerius; ut sint *inerma* oscula, quum in unum omnia vota non conjunguntur; *armata* tum, quum armis res geritur, hoc est, summa linea amatur. papae! quanti est sapere! Scaliger pudentius *tarda* malebat, vel *certa.* sed jam ineptiarum satis. numquam eluisset sibi Propertius hanc notam, ni medicam manum admovisset egregius bonarum literarum vindex J. F. Gronovius L. 4. Observ. C. 6. docuissetque ex compendio scribendi errorem fuisse enatum, ac legi debere,

Osculaque admota sumere ad ora manu.

eximie bene. favet magni viri restitutioni codex Groninganus, in quo τὸ & non comparet, nulla tamen lacuna relicta. in eodem codice, L. 3. Eleg. 11. legitur, *Gallica Parnasi sparsit in ora nives.* ibi omnes alii habent *in arma*, eadem hallucinatione. quae & fraudi fuit L. 4. Eleg. 4. ℣. 34. mendo istic delendo. etiam apud Senecam *arma* nuper legebatur pro *ora*, Oedip. ℣. 736. vide istic Gronovium p. 356.

18. VERBERA SAEVITIAE] *jurgia* est in nostris, Groningano, Regiis, Colbertinis.

Sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
  Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
  Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus.
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
  Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.
Omnia quae ingrato largibar munera somno,
  Munera de prono saepe voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
  Obstupui vano credulus auspicio:
Nequa tibi insolitos portarent visa timores,
  Neve quis invitam cogeret esse suam.
Donec diversas percurrens Luna fenestras,
  Luna moraturis sedula luminibus,

Com-

sed praestat *verbera*, quod in suis repererunt Scaliger, & Passeratius. Horatius *patruae verbera linguae* multa cum elegantia dixit L. 3. Od. 12.

20. ARGUS UTI NOTIS] nescio cur ita legi voluerit Scaliger. certe omnes libri unanimi consensu habent *Argus ut ignotis.* de qua lectione adeantur Passeratius, Gebhardus, Schoppius L. 1. Verisim. C. 6. Barthius L. 21. Adv. C. 5. *ignota Inachidos cornua* suo more posuit noster pro *ignota Inachis.* neque enim Argus, quum a Junone servandam acciperet vaccam, in ea puellam latere sciebat. Ovidius L. 1. Metam.

Pellice donata, non protinus exuit omnem
Diva metum; timuitque Jovem, & fuit anxia furti.
Donec Aristoridae servandam tradidit Argo.

Hyginus Fab. 145. *ex Inacho & Argia Io. Hanc Jupiter dilectam compressit, & in vaccae figuram convertit, ne Juno eam cognosceret. Id Juno cum rescivit, Argum, cui undique oculi refulgebant, custodem ei misit.* ex utroque loco colligas solam Junonem mutatae formae Iûs consciam fuisse, non item Argum. confer cum iis (nec poenitebit) locum longe pulcerrimum Valerii Flacci, L. 4. ℣. 351.

23. LAPSOS FORMARE CAPILLOS] *laxos* reponit Livinejus, id est solutos. minus bene. *labuntur* capilli qui de statione sua decedunt, & novam ornatricis acum requirunt. id *jacere* dixit Ovidius L. 3. Artis Amat.

Et neglecta decet multas coma. saepe jacere
Hesternam credas: illa repexa modo est.

imitatus est Propertium Secundus noster L. 2. Eleg. 9.

En, nuveo lapsos formavit pollice crines.

25. OMNIAQUE INGRATO] laudo Douzae scripturam, *Omnia quae ingrato.* ita Catullus:

Omnia quae ingratae perierunt credita menti.

31. DONEC DIVISAS] ita Scaliger; cui astipulantur unus Colbertinus, unus noster. *adversas*, Borrichii liber. reliqui omnes, cum editionibus priscis, habent *diversas*; quae est vera lectio. *diversae* fenestrae sunt, ex adversum oppositae, & e quarum regione collocatus erat Cynthiae lectulus. bene hunc locum vindicavit J. F. Gronovius Not. ad Senecae L. 2. de Ira C. 23. quem suadeo videas. tetigerat & Passeratius. Guyetus reponebat.

Donec diffissas luna subeunte fenestras,

quae temeritas si feratur, jam pro munditiis Propertianis legamus oportet commictiles Franc. Guyeti naenias. cujus a sinistra liberalitate & hoc habe: *Luna moraturis*] legendum omnino videtur *Luna immaturis*, &c. id est, *πρωΐμοις*, ante tempus orientibus intempestivis, intempestive sedulis, officiosis. *τὸ moraturis* nullum hic locum habet.]

haec

Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait in molli fixa toro cubitum,
Tandem te nostro referens injuria lecto
Alterius clausis expulit e foribus?
Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis,
Languidus exactis, hei mihi, sideribus?

O

haec ille. quae si vera sunt, non satis intellexit, puto, quid scriberet, ipse Propertius. ita enim rursus L. 3. Eleg. 18.

Nox mihi prima venit: primae data tempora noctis.
Longius in primo, Luna, morare toro.
Tuquoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.

addit Latinus Latinius, post versiculum *Compositos levibus*, &c. desiderari duos alios, hos scilicet,

Et subito adventu palluit illa meo.
Mox ut erat neglecta comis, & pectore nudo.

festivam vero corniculam, cujus tam belli sint pulli. nos eos cum auctore suo illuc redire jubemus, unde malum pedem adtulerunt.

34. SIC AIT] *Sic* agnoscunt omnes libri. Muretus in suo invenerat *Hic*; ut sit *hic* pro tunc, quod ipsum *Tunc* in Memmiano codice legi testatur Passeratius; & pro conjectura posuit J. Douza. sed videtur τὸ *Sic* omnino retinendum, idemque valere quod negligenter, languide, leviter; ac gestu adjuvandum. plene extulit Horatius L. 2. Od. 11.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti?

Ibid. IN MOLLI FIXA TORO CUBITUM] Passeratio legendum videbatur *nixa*, adductis optimorum auctorum exemplis: mavult & Nic. Heinsius ad Ovid. L. 7. Metam. ℣. 344. sed quum omnes membranae habeant *fixa*, nihil videtur mutandum. dixit autem *fixa cubitum* eadem mente, qua *figere vestigia* Virgilius extulit L. 6. Aen.

cui fidus Achates
It comes, & paribus curis vestigia figit.

id est, inquit Servius, *stat subito: quod cogitantes facere consuerunt. figere gradum*, Valer. Flacc. VII. 559. de quo vide Hadr. Junium nostrum Centur. 3. Adag. 36. ita hic Cynthia discusso sopore paullulum cogitabunda, cubitum figit in lectulo.

36. REPPULIT E FORIBUS] *expulit e foribus* habent omnes membranae: quod non debuit mutari. antiqui mirum in modum gaudebant his praepositionibus geminatis. Caesar L. 7. Bel. Gall. C. 4. *magnisque coactis copiis, adversarios suos, a quibus paullo ante erat ejectus, expellit ex civitate.* Cor. Nepos Epamin. C. 10. *duce Pelopida, exsules Thebas occuparunt, & praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt.* Cicero L. 6. ad famil. Epist. 6. *cum me ex republica expulissent ii, qui illam cadere posse stante me non putarunt.* Catullus Carm. 73.

Quae mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omnu pectore laetitia:.

Seneca Herc. fur. ℣. 457. de Baccho:

E matris utero fulmine ejectus puer.

Cicero in Pison. C. 39. *L. Opimius ejectus est e patria, ss, qui praetor & consul maximis rempublicam periculis liberaras.* pro Milon. C. 12. *exhibe librarium illud legum vestrarum, quod se ajunt eripuisse e domo, & ex mediis armis turbaque nocturna tamquam Palladium extulisse.* ibidem C. 37. *Vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, & huic judicio praecedentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur?* C. 38. *Hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt?* Philipp. 12. C. 6. *Excessurum se ex Italia dixit, deos penates & sedes patrias relicturum.* ibidem C. 7. *Idcircone saga sumsimus, arma cepimus, juventutem omnem ex tota Italia excussimus?* Philipp. 13. C. 15. *Vide ne tu veteranos, tamen eos, qui erant perditi, perdideris, in eumque locum deduxeris, ex quo ipsi jam sentiunt se numquam exituros.* lib. de Senect. C. 22. *Mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere: cum exissent ex iis, emori.* ibidem C.

23.

O utinam tales producas, improbe, noctes,
  Me miseram quales semper habere jubes.
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
  Rursus & Orpheae carmine fessa lyrae.
Interea mecum graviter deserta querebar
  Externo longas saepe in amore moras:

Dum

23. *sed nescio quo modo animus erigens se posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique victurus esset.*

39. PERDUCAS, IMPROBE, NOCTES] Nic. Heinsius legit *producas*, not. ad Claudian. de III. consulatu Honorii ℣. 48. & sane ita habebat Seb. Gryphii editio A. 1551. ac Plantiniana A. 1560. quod merito nunc sequimur; & sequi jubet consensus bonorum Scriptorum Terentius Adelph. Act. 4. Sc. 2.

unum quidquid, quod quidem erit bellissimum,
Carpam, & cyathos sorbillans paullatim hunc producam diem.

Tibullus L. 1. Eleg. 4.

Nudus & hibernae producis frigora brumae,
Nudus & aestivi tempora sicca canis.

Festus Avienus descript. orbis p. 267.

hic chorus ingens
Feminei coetus pulchri colit orgia Bacchi:
Producit noctem ludus sacer.

Papinius VIII. Theb. 219.

At non Sidoniam diversa in parte per urbem
Nox eadem. vario producunt sidera ludo
Ante domos intraque.

Hoc est (inquit Scholiastes Barthii) *noctem extendunt, siderum tempus student prolongare, in multum diem bacchantur & ludunt.* Cato apud Ciceronem lib. de Senect. C. 14. *Quae quidem in Sabinis etiam persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quam maxime possumus, vario sermone producimus.* Somn. Scipion. C. 1. *post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus.* Catullus Carm. 105.

Ut liceat nobis tota producere vita
Aeternum hoc, sanctae munus amicitiae.

Horatius L. 3. Od. 21.

Te Liber, & si laeta aderit Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae
Dum rediens fugat astra Phoebus.

& L. 1. Sat. 5.

Prorsus jucunde coenam produximus illam.

Lucanus L. 10.

Postquam epulis Bacchoque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Caesar producere noctem
Inchoat alloquiis.

hoc est quod Horatius alicubi vocat

Aestivam sermone benigno tendere noctem.

videndus Nonius in verbo *Producere*.

43. INTERDUM GRAVITER] *Interdum leviter*, Borrichianus, duo Regii, uterque Colbertinus, & Groninganus, cum Veneta. quod & in suis invenerat Muretus. *Interea leviter* noster secundus. *Interdum graviter* primus. *Interdum mecum graviter* Volsci editio. τὸ *leviter* non videtur admittendum. alia res est de isto *interea*. *interdum* certe, quum in proximo subsequatur *saepe*, quem hic sensum facit? nam quod *saepe-meras* Livinejus acceperit tanquam Catulli *olim-amicitas*, & *semper-lenitas* Terentii, minus nihilo est. non queritur Cynthia unam dumtaxat noctem sibi periisse; sed vero quod saepe & multoties sola cubare cogatur, quum interea fructum sui amoris intercipiant aliae. clarum id ex superioribus,

O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes.

clarius ex Eleg. 22. Libri secundi; 4, 13, 18, 21 tertii; 5, 7, & 8 quarti. unde non incommode hoc modo constituendus videri possit versus,

Interea mecum graviter deserta querebar.

44. EXTERNO LONGAS SAEPE IN AMORE MORAS] *Hesterno* mallet Livinejus. frustra. *externum amorem* recte vocat Cynthia, quem foris exerceret columbus suus. exempla, quibus id adstruatur, cum cura collegit Passeratius. noster ipse L. 2. Eleg. 22.

Haec te non meritum totas exspectat in horas:
At tu nescio quas quaeris, inepte, foris.

pro

Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrimis ultima meta meis.

pro *moras* habet Groninganus *vias.* quod neutiquam placet. si quis tamen hic sensum aliquem teneriorem subesse putat, videat ille utrum sibi cum Franc. Modio convenire possit Novant. Lect. Epist. 18. sed melius noster L. 3. Eleg. 18.

Et scribenda mihi lex in amore novo.
Quam multae ante meis cedant sermonibus horae.

45. DUM ME JUCUNDIS LAPSAM SOPOR IMPULIT ALIS] *jocundis* secundus noster cum Groning. male, quum a juvando deducat Cicero L. 2. de Finibus: *Hanc jucunditatem transfer in animum. Juvare enim, in utroque dicitur: ex eoque Jucundum.* deinde pro *lapsam* reponebat Lipsius ex Vaticano *lassam:* quomodo & Latinus Latinius, & Comelini liber. *lapsam* omnes nostri. quod verum est. vide sis Passeratium, & Nic. Heinsii Notas ad Ovid. L. 3. Amor. Eleg. 5. ℣. 1. & ad L. 3. Tristium Eleg. 3. ℣. 44.

46. ILLA FUIT LACRIMIS ULTIMA CURA MEIS] *creta meis* volebat Scaliger ad L. 4. Eleg. 2. *meta meis* Heinsius ad Ovid. L. 1. Fastor. ℣. 287. neque aliter scripsisse puto Propertium. certe ejus lectionis non obscurum vestigium est in altero Colbertino, ubi *nota meis.* vide notata ad L. 4. Eleg. 2. ℣. 58.

46. ILLA FUIT LACRIMIS] Papinius VIII. Theb. 215.

Jam fessis gemitu paullatim corda levabat
Exhaustus sermone dolor: noxque addita curas
Obruit, & facilis lacrimis irrepere somnus.

IV.

QUid mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitae quodcumque sequetur,
Hoc magis assueto vivere servitio?

Tu

1. BASSE] non alius videtur hic Bassus ab Iamborum poeta illo cujus meminit Naso L. 4. Trist. Eleg. 10.

Ponticus Heroo, Bassus quoque clarus Iambo
Dulcia convictus membra fuere mei.

Battum vocat eruditissimus Vossius in libro de Poët. Lat. secutus Gyraldum Dial. 4. quem errorem, uti & ceteros omnes editionis Basileensis, fidelissime servavit nupera ista Leidana, tanto cum fastu recentata. fuere hujus cognominis plures poetae. ad *Caesium Bassum* extat Persii Satira 6. unde apparet vixisse sub Nerone, & lyricorum carminum gloria plurimum inclaruisse: atque adeo quidem, ut hunc unum Horatio comitem addat Quintilianus L. 10. C. 1. *Lyricorum Horatius fere solus legi dignus. ----- Si quem adjicere velis, is erit Caesius Bassus, quem nuper vidimus.* Passeratius cur *epicum* vocaverit, ego sane ignoro. Vespasiani temporibus celeberrimum fuit *Salleji Bassi* ingenium, cujus & Fabius meminit ibidem, & Scriptor Dialogi de Orator. & Juvenalis Sat. 7. Hunc autem *Bassum*, nostri poetae ac Nasonis familiarem, eundem cum *Caesio* illo *Basso* Persii amico fuisse contendit Joannes Baptista Fontejus L. 1. de prisca Caesiorum gente C. 19. quam rem accuratius perpendant velim interiorum literarum doctores. mihi veris propiora sunt quae noster Vossius tradidit L. 1. de Histor. Latin. C. 22.

4. ASSUETO VIVERE SERVITIO] ita Groninganus, unus Colbertinus, duo Regii. minus recte alii *ducere. vivere vitam* eleganter dicitur, ut *servire servitutem, gaudere gaudium, nocere noxam,* & ad eam faciem plura. monuerat ex codice Modii (is est Groninganus) Janus Douza F.

Tu licet Antiopae formam Nycteidos, & tu
  Spartanam referas laudibus Hermionen,
Et quascumque tulit formosi temporis aetas,
  Cynthia non illas nomen habere sinet.
Ne dum, si levibus fuerit collata figuris
  Inferior duro judice turpis eat.
Haec sed forma mei pars est extrema furoris:
  Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat.

In-

5. 6. TU LICET ANTIOPAE FORMAM NYCTEIDOS, ET TU

SPARTANAE REFERAS LAUDIBUS HERMIONAE,] valde turbant libri in flexione horum nominum. neque sane tanti est, quomodocumque legas, vitando tamen tot syllabarum similiter cadentium ingrato sono refingam:

Tu licet Antiopae f. N. & tu
Spartanam r. l. Hermionen.

Spartanam Hermionem in quatuor MSS. Lipsius invenerat, L. 4. Ant. Lect. C. 11. sed accusativos nominum Graecorum magis litera *n* terminari, quam *m*, bene observavit Nic. Heinsius ad L. 2. Velleji Paterculi C. 33. Ceterum *Spartanae* epitheton minime est otiosum, ut videri poterat quibusdam non nimis peritis poesios Romanae. Hoc enim oppidum, prae ceteris omnibus universae Graeciae, florebat venustate ac pulcritudine feminarum. unde Σπάρτην καλλιγύναικα cavit pater Homerus L. 13. Odyss. ℣. 412. Laus igitur amplissima Hermionae. virtute formae excelluisse inter ipsas etiam Spartanas.

7. FORMOSI TEMPORIS AETAS] eadem locutione utitur nitidissimae facundiae scriptor M. Minucius Felix, ipso fine Octavii sui: *Quid ingrati sumus? quid nobis invidemus, si veritas Divinitatis nostri temporis aetate maturuit?* Lucretius L. 1.

longa diei
Infinitae aetas ante acti temporis omnis.

sed & Cicero, & Tibullus, ac Naso ita loquuntur.

8. CYNTHIA NON ILLAS NOMEN HABERE SINAT] *finit* duo Regii. *finet* noster primus cum Groningano. quod verum est, & notatum Douzae F.

11. HAEC SED FORMA] pulcram enim vero imitationem Ciceronis, orat. pro Marcel. C. 2. *Quae quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens, aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia maiora.* Tu vide sis locum, & expende. Philipp. 5. C. 11. *Sed hoc minus vereor. sunt alia, quae magis timeam & cogitem.*

12. SUNT MAIORA, QUIBUS, BASSE, PERIRE JUVAT] Philippus Silvius stulte haec interpretatur: *O mi Basse, sunt alia longe meliora, pro quibus mori juvat.* iste homo non nobis interpretationem dedit versuum Propertii, sed versionem male Latinam versionis Gallicae Marollii. ibi hunc locum his verbis detortum videbis: *Cette beauté est la moindre partie qui me touche pour allumer mon ardeur; il y en a bien de plus grandes, Bassus, pour lesquelles je voudrois mourir.* hae quidem sunt nugae, & praeficarum naeniae. Ceterum observare debes, *perire*, *ardere*, *furere*, & quae plura sunt hujus notionis verba, fere gaudere ablativo. noster L. 2. Eleg. 12.

Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
Cum Menelaeo surgeret e thalamo.

& Eleg. 9. hujus libri:

Dicere quo pereas, saepe in amore levat.

Horatius L. 1. Od. 27.

Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

L. 2. Od. 4.

Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta.

ubi male Lambinus illud *rapta virgine* accipi posse dicit tamquam absolute positum: debet enim omnino referri ad verbum *arsit.*

sed

Ingenuus color, & multis decus artibus, & quae
Gaudia sub tacita ducere veste libet.

Quo

sed pergamus. idem ille olor Romanus L. 3. Od. 9.

Donec non alia magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloën.

Epod. 14.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium.

L. 4. Od. 11.

Non enim posthac alia calebo
Femina.

Epod. 11.

Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere,
Silvis honorem decutit:

quo loco Laevinus Torrentius, vir magnus, minus recte *Inachiam furere* reponit, uno tantum libro subfultus.

Epod. 12. in re mollicula:

Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:
Inachia langues minus, ac me.
Inachiam ter nocte potes.

noster L. 2. Eleg. 2.

Hac ego nunc mirer si flagrat nostra juventus?

L. 3. Eleg. 17.

Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo.

Horatius Epod. 5.

Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

L. 1. Od. 4.

Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 8.

Thessalus ancillae facie Briseïdos arsit.

Papinius L. 1. Silv. 2. de Violantilla Aruntii Stellae:

ipsam jam cedere sensi,
Inque vicem tepuisse viro.

13. MULTIS DECUS ARTIBUS] ita omnes libri. & sane recte. *artes* illae sunt dotes tum corporis tum animi, quas *multas* & varias non uno loco decantat poëta noster, ut bene observatum Passeratio ac Gebhardo. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 10.

Utraque formosa est: operosae cultibus ambae:
Artibus in dubio est haec sit, an illa, prior.

nihil erat clarius. tamen Schoppio L. 1. Verisl. C. 18., visum fuit medicinam facere loco neutiquam adfecto, ac reponere *nullis decus artibus*: id est, inquit, forma nativa. quid igitur erat *ingenuus color*? Theodorus autem Marcilius, ut plus aliquid videatur sapere, in Quotidianis ad Horatium, suo (ita loquitur) & bono periculo corrigit *mutis decus artubus.* ut *muti artus* sint, non verborum lenocinio, sed decore ipso & specie se commendantes. id vero tale est, ut si pravis mutationibus ac fatuis expositionibus praemium aliquod decretum & constitutum fuerit, uni profecto debeatur Marcilio. haud multo rectius Barthius *mutis artibus* malebat L. 25. Adverf. C. 4. cujus viri ceteris in bonas literas meritis deliquium hoc judicii condonemus.

14. ET QUAE GAUDIA SUB TACITA DICERE VESTE LIBET] quid est *ducere gaudia sub veste?* an (quod Schoppio visum, & Barthio,) nimiam istam felicitatem suam sub veste narrare, ne scilicet malus aliquis invidere possit, aut etiam ipsa Nemesis exaudire? cras credam. tu cum Douza repone *ducere*, quod in Comelini libro Gebhardus invenit, & in sua editione expressit Grafferus. neque aliter lectum Fruterio. *ducere* est haurire, bibere. quomodo Horatius dixit *ducere nectaris succos*, & *pressu m Calibus ducere Liberum.* ipsum *bibere* pari elegantia ad amorem transtulit Phoenix Mantuanus L. 2. Aen.

vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem.

tacitam autem *vestem* dixit, ut Catullus *tacitum cubile*; testem nempe fidam ac taciturnam deliciarum suarum, & cui tuto crederet sua gaudia. Catullus Carm. 6.

Nam te non viduas jacere noctes
Nequidquam tacitum cubile clamat
Sertis ac Syrio flagrans olivo.

neque absimiliter Galienus Imp.

Ludite: sed vigiles nolite exstinguere lychnos.
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernae.

Quo magis & nostros contendis solvere amores,
Hoc magis accepta fallit uterque fide.
Non impune feres. sciet haec insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post haec committet Cynthia, nec te
Quaeret: erit tanti criminis illa memor.
Et te circum omnes alias irata puellas
Differet: heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore Deus.

· Prae-

15. QUO MAGIS ET NOSTROS] *at* reponit Barthius L. 25. C. 4: ut haec cum superioribus connectantur. eleganter dixit *quo magis, hoc magis.* Lucretius *tam* & *quam* posuit L. 1.

Et quam quaeque magis cohibet res intus inane,
Tam magis his rebus penitus tentata labascit.

19. NEC TIBI ME POST HAEC COMMITTET CYNTHIA] Cicero Philipp. 2. C. 46. *Sed ex plurimis malis, quae ab illo reipublicae sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit jam P. R. quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret.* Pythias illa Terentiana, Eun. Act. 4. Sc. 3.

At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos
Sed nihil potesse. verum miserae non in mentem venerat:
Nam illum aliquo conclusissem: neque illi commisissem virginem.

Ovidius L. 1. Art. Amat. ipso fine:

Inde fit, ut, quae se timuit committere honesto,
Vilis in amplexus inferioris eat.

26. QUAM SIBI CUM RAPTO CESSAT AMORE DEUS] cessat id, cujus possessio atque usus-fructus alio transfertur, ut bene exponit Gebhardus adducto Plinii loco L. 2. Epist. 4: *Sunt quidem omnino nobis modicae facultates, dignitas sumtuosa, reditus propter conditionem agellorum, nescio minor, an incertior: sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur, ex qua velut a fonte liberalitas nostra decurrit.* apposite Columella L. 2. C. 1. *seu sponte, seu quolibet casu destituta humus, cum est repetita cultu, magno foenore cessationis.* C. 2: ubi de agro sicco & macro: *itaque hic ager, sive exercetur, seu cessat, colono est poenitendus, ac tamquam pestilens refugiendus.*

27. PRAECIPUE NOSTRI] Comelini liber *nostro.* utrumque ferri potest.

27. MANEAT SIC SEMPER ADORO] quia noster verbis simplicibus saepe utitur vice compositorum; compositis autem saepe pro simplicibus; ideo dicunt *adoro* hic esse idem quod *oro.* &, puto, verum dicunt. nam & ita Servius exponit in L. 10. Aen. ℣. 677.

In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,
Forte ratem.

sed Hadrianus Valesius, in eo libello qui *Valesianorum* titulo circumfertur, rejecta Servii opinione, omnino legendum putat, *volens vos Turnus id oro*: neque *adorare* umquam positum fuisse credit pro *orare.* liceat seorsim sentire a viro magno. certe nostri *adoro* non aliud quam *oro* potest significare. neque aliorsum trahi debet Ovidii locus Epist. Ariadnae:

Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro:
Debita sit facto gratia nulla meo.

itemque ille L. 2. Pont. Epist. 2.

Hanc ego non, ut me defendere tentet, adoro:
Non est confessi culpa tuenda rei.

aut

Praecipue nostri. maneat sic semper, adoro:
Nec quidquam ex illa quod querar, inveniam.

aut hic Juvenalis. Sat. 3.

libertas pauperis haec est,
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

vel etiam Livii L. 6. C. 12. *Romanus dictator castris eo die positis, postero cum auspicato prodisset, hostiaque caesa pacem Deûm adorasset.* nimirum *adorare* proprie erat, manum ad os admotam osculari: qui quia precantium ac supplicantium cultus erat, ideo positum fuit pro *orare.* quae in hanc rem multi observarunt, non exscribo.

28. NE QUIDQUAM] ita Douza F. & Borrichianus. *Nec quidquam*, nostri, Groninganus, Regii, Colbertini.

V.

INvide tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix, properas ultima nosse mala.
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis conlata puellis:
Molliter irasci non sciet illa tibi.
Quod si forte ausis non est contraria nostris,
At tibi curarum millia quanta dabit?

Non

9. AUT SI FORTE AUSIS NON EST CONTRARIA NOSTRIS] vulgatae habent *Quod si forte tuis non est contraria votis*; quam lectionem retinuit Passeratius, & sanissimam Gebhardus pronuntiavit. neque aliter scribunt duo codices Regii. reliqui fere *Q. s. f. tuis non est contr. nostris*: unde Lipsio placebat *Q. s. f. animis n. e. c. nostris.* in nostro primo libro clare legitur *Quod si forte ausis non est contraria nostris.* itaque nihil muto, Scaligeri explicationem amplexus, nisi *aut* in *quod* converso.

10. CURARUM MILLIA QUANTA DABIT] *milia* & *mile* constanter scribit codex Groninganus, & Veneta editio A. 1475. neque umquam aliter membranae Horatii Graevianae. docte, atque ex antiquissimo veterum usu. Lapis vetustus, quem Romae vidit Joannes Jacobus Boissardus:

T. SEMPRONI. GRACCHI. COS. IMPERIO AVSPICIOQ. LEGIO. EXERCITVSQ. P. R. SARDINIAM. SUBEGIT. IN. EA. PROVINCIA. HOSTIUM. CAPTA. SVPRA. LXXX MILIA.

neque aliter scribi in optimis quibusque membranis, testis est locuples, Pierius Valerianus Castig. in Virgil. L. 4. Georg. ℣. 473. & in L. 9. Aen. ℣. 132. ac Nic. Heinsius in Ovidianis. rationes grammaticas tradit Claudius Dausquius in secunda parte Orthographiae. tamen aliter obtinuit usus, scribendi loquendique magister. *millia multa* est in nostro primo, & in principe editione: minus significanter. magnitudinem pro numero saepe ponebant antiqui. Lucretius L. 5.

Quantae conscindunt hominem cuppedinis acres
Sollicitum curae, quantique perinde timores!

Valerius Flaccus L. 2.



Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.
  Illa feros animis adligat una viros.
Ah mea contemtus quoties ad limina curres,
  Quum tibi singultu fortia verba cadent.
Et tremulus moestis orietur fletibus horror,
  Et timor informem ducet in ora notam:

Et

Quot mihi post lacrymas, post quanta piacula patrum
Serus ades!

Papinius L. 4. Silv. 3.

Annos perpetua geres juventa,
Quot fertur placidos obisse Nestor,
Quot Titonia computat senectus,
Et quantos ego Delium poposci.

loquitur ibi Sibylla Cumana. Justinus L. 12. C. 15. *scire vaticinarique se, ac pene oculis videre dixit, quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia; quantis caedibus, quo cruore, mortuo sibi parentatura.* & horum vestigia premens M. A. Flaminius, purissimi oris poeta, L. 3. Carm. 6. de Hercule Hylam quaerente:

Quantas ille fero profudit corde querelas,
Pallenti quantas ore dedit lacrimas?

Taubmannus ad Trinum. Plauti Act. 2. Sc. 4. hujus voculae vim exponens, ita citat versiculum Propertii,

Curarum peperit millia quanta tibi?

memoria lapsus videlicet. & fuere postea, qui Taubmanno, quam Propertio ipsi, credere maluerunt. Cellarius Thes. Fabr. p. 2098. in *Quantos* pro *quot*.

12. ILLA FEROS ANIMIS ADLIGAT UNA VIROS] eleganter & apposite *adligat*. Terentius Adelph. A. 5. Sc. 3. DE.

---- & istam psaltriam
Una illuc mecum hinc abstraham. MI. *pugnaveris,*
Eo pacto prorsum illic alligaris filium.

ibi Donatus: *haec cum risu dicit Micio. Et ligare est injicere alicui vincula. quis vero dicitur alligari ad aliquid, sine quo esse non possit? ergo proprie ad amicam alligari adolescentem dixit amatorem.* Horatius L. 1. Od. 27.

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaerae.

noster L. 3. Eleg. ult.

Correptus saevo Veneris torrebar aëno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.

14. SINGULTU FORTIA VERBA CADENT] Valerius Flaccus L. 8. ℣. 45.

Sic ait: & primis supplex dedit oscula palmis.
Contra virgo novis iterum singultibus orsa est.

15. ET TREMULUS MOESTIS] ita recte duo nostri, cum Borrichiano. *Et tremulis moestus* Groninganus, duo Regii, unus Colbertinus. *Et moestus tremulis* Colbertinus alter. sed nihil mutandum. *quem tremulum horrorem* noster dixit, eum *tremorem horridum* Seneca Troad. ℣. 165.

Pavet animus: artus horridus quassat tremor.

pulcre ad rem nostram Valerius Flaccus L. 7. ℣. 407.

jam jam ora levare
Aesoniden, farique cupit Medea priorem.
Quam simul effusis pavitantem fletibus heros,
Flagrantesque genas vidit, miserumque pudorem,
Has eandem voces dedit, & solatus amantem est.

sed nos eas, ne nimii simus, omittemus, istic legendas. deinde.

illa tremens, ut supplicis adspicit ora
Conticuisse viri, jamque & sua verba reposci;
Nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo,
Quove tenus, prima cupiens effundere voce
Omnia: sed nec prima pudor dat verba timenti.

16. ET TIMOR INFORMEM DUCET IN ORE NOTAM] *tremor* Groninganus. quod irrepsit ex versu praecedente. *timorem* vocat puerilem istum pudorem, quo suffundi solent quibus peregrina res est amor. Ovidius L. 1. Artis Amator.

Colloquio jam tempus adest: fuge rustice longe
Hinc pudor.

pu-

Et quaecumque voles fugient tibi verba querenti.
  Nec poteris qui sis, aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostrae cogere puellae
  Discere, & exclusum quid sit abire domum.
Nec jam pallorem toties mirabere nostrum,
  Aut cur sim toto corpore nullus ego
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
  Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
  Quam cito de tanto nomine rumor eris?
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
  Quum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore
  Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
  Quaerere: non impune illa rogata venit.

pudor autem *est timor justae reprehensionis*, ut Tauro placuit apud Gellium L. 19. C. 6. deinde *in ora*, idem liber: quod retinendum videtur, ut figuratius, atque ideo magis Propertianum.

17. ET QUAECUMQUE VOLES FUGIENT TIBI VERBA QUERENTI] facundum hoc atque efficax silentium bellissime expressit ingeniosissimus Tassus in Amynta, choro Act. 2.

Tu in bei facondi detti
Sciogli la lingua de' fedeli tuoi;
E spesso (o strana, e nova
Eloquenza d'Amore!)
Spesso in un dir confuso,
E'n parole interrotte
Meglio si esprime il core,
E piu par, che si mova,
Che non si fa con voci adorne e dotte:
E'l silentio ancor suole
Haver prieghi, e parole

haec tam florida tamque plena venustae amoenitatis si conferre voles cum veterum scriptorum locis huc facientibus, noli committere quin Dionysii Lambini commentarium evolvas in Horat. L. 1. Od. 13.

30. ALTER IN ALTERIUS MUTUA FLERE SINU] summae istud familiaritatis. Petronius:

Grandine qui segetes & totum perdidit annum,
In simili deflet tristia fata sinu.

Plinius Caecilius L. 2. Epist. 1. *Quibus ex causis necesse est tamquam immaturam mortem ejus in sinu tuo defleam.*

VI. Non

VI.

NOn ego nunc Hadriae vereor mare noſcere tecum
Tulle, neque Aegaeo ducere vela ſalo:
Cum quo Riphaeos poſſim conſcendere montes,
Ulteriuſque domos vadere Memnonias.
Sed me complexae remorantur verba puellae,
Mutatoque graves ſaepe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos eſſe relicta deos.
Illa meam mihi ſe jam denegat, illa minatur,
Quae ſolet ingrato triſtis amica viro.

His

1. NON EGO NUNC HADRIAE] *Adriae* duo noſtri, & Borrichianus; reliqui *Hadriae*; quod rectum eſſe jam olim docuit Jov. Pontanus L. 1. de Aſpiratione. neque aliter lapides literati apud Ald. Manutium in Orthographia.

4. ULTERIUSQUE DOMOS VADERE MEMNONIAS] *Memnonias* duo Colbertini cum Groningano, & Borrichiano. *in emonias* primus noſter, ſupra ſcripto *Memno*. *in Emonias* unus Regius, noſter ſecundus. *Moemonias* alter Regius. *in Aemonias* videtur probare Lipſius L. 4. Ant. Lect. C. 11. ſed *Memnonias* legi debere jam alii evicerunt. Beroaldus utrum *Memnonias domos* pro Aethiopia capiat, an pro Suſis, non ſatis certus eſt, & in bivio haeret. Suſa intelligi docuit Turnebus L. 21. C. 16. Salmaſius autem Exercit. Plin. p. 612, de Memnonis regia Aethiopica capi poſſe innuit. quod verum eſt. Curtius L. 4. C. 8. *Cupido haud injuſta quidem, ceterum intempeſtiva inceſſerat, non interiora modo Aegypti, ſed etiam Aethiopiam inviſere. Memnonis Tithonique celebrata regia cognoſcendae vetuſtatis avidum trahebat pene extra terminos ſolis.* de tali itinere loquitur noſter, quo fidem ſuam probet Tullo, ſi per Cynthiam liceret, vel extra mundi terminos iturus comes. pariter ad uxorem ſuam Papinius L. 3. Silv. 5.

Quamquam, & ſi gelidas irem manſurus
ad Arctos,
Vel ſuper Heſperiae vada caligantia Thules,
Aut ſeptem gemini caput haud penetrabile Nili,
Hortarere vias.

9. ILLA MEAM MIHI JAM SE DENEGAT] inſuavis numerus, ſed quem levi transpoſitione reddas ſuaviorem, *illa meam mihi ſe jam denegat*. nec dubito quin ita fuerit a manu poetae.

10. QUAE SOLET IRATO TRISTIS AMICA VIRO] quo altius circumſpicio, & rimor mentem Propertii, eo minus adridet Paſſeratii expoſitio. non dicit poëta, ſe iratum velle relinquere Cynthiam; ſed vero eam ſibi cum Tullo amicitiam eſſe, ut vel in ultimas orbis oras una proficiſci poſſit, imo velit, niſi obſtet amor Cynthiae, deſeri ſe conquerentis, ac crebris magniſque precibus ut ne id faciat contendentis, & turpem perfidi ingratique animi notam totis noctibus occentantis. noli itaque dubitare quin ſcriptum fuerit *Quae ſolet ingrato*, quum paullo poſt clariſſime mentem ſuam exponat poëta hoc verſu, *Et nihil infido durius eſſe viro.* vides ut *infidum* & *ingratum* conjungat. Ovidius Epiſt. Medeae:

Eſt aliqua ingrato meritum exprobrare vo-
luptas.
Hac fruar: haec de te gaudia ſola feram.

ac deinde:

Aut nos Scylla rapax canibus miſiſſet edendos!
debuit ingratis Scylla nocere viris.

durum in eadem re dixit idem Naſo Remed. Amoris:

Illic & juvenes votis oblivia poſcunt:
Et ſi qua eſt duro capta puella viro.

hoc

His ego non horam possum durare querelis.
  Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
  Atque Asiae veteres cernere divitias:
Ut mihi deducta faciat convicia puppi
  Cynthia, & insanis ora notet manibus:
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
  Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
  Et vetera oblitis jura referre foris.

Nam

hoc est, ingrato, & (ut pater Ennius loquitur) lapideo, quem non miseret neminis, qui neque bene meritis movetur, neque lacrimis emollescit. idem mendum est in Plauto, Amphitr. 3, 4, 5.

Ille navem salvam nuntiat, aut irati adventum senis.

ubi recte Acidalius *ingrati* reponebat. non enim senes semper irati: sed eorum adventus plerumque ingratus adolescentulis dissolutis. exempla passim in comoediis obvia.

17. OSCULAQUE OPPOSITO DICAT SIBI DEBITA VENTO] *didita* Palmerius; quod insuper ridicule exponit. male quoque Fruterius *dedita* L. 2. Verisf. C. 18. quum in libris suis exstare fateatur *debita*; quod in suis & Gebhardus invenit, & agnoscit Groninganus cum duobus nostris & Colbertinis. *Hoc est*, inquit Scaliger, *exprobrat Vento, sibi eripi oscula ab ipso.* Opposito, *adverso, ut oppositi sunt vultus eorum nobis, quibuscum expostulamus. In priore editione non bene haec assequebamur.* haec ingenue vir ille maximus. puto tamen veriorem sensum fore, si dicamus, ventum secundum ac vela facturo Propertio faventem, Cynthiae votis *oppositum* vocari, hoc est contrarium, qui violenter ei eriperet oscula ab infido amatore sibi debita, quorum usufructu in posterum sit carendum. sic Laodamia apud Nasonem:

Aulide te fama est vento retinente morari.
Ah, me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant vestris obsistere remis.
Illud erat saevis utile tempus aquis.

ac deinde:

Raptus es hinc praeceps: &, qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautae, non ego, ventus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.
Solvor ab amplexu, Protesilae, tuo.

debeo hanc observationem insigni Viro Petro Burmanno, cui hae nostrae literae indies plura & majora debebunt. mihi autem volupe est in amicitia carissimi capitis gloriari.

19. v. Passeratius p. 170. 532. 539. Livinejus p. 55.

20. ET VETERA OBLITIS JURA REFER SOCIIS] Τὸ *sociis* retinendum videri possit. Cicero pro Lege Manil. C. 8. *dico, ejus* (L. Luculli) *adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse; urbemque Asiae clarissimam nobisque amicissimam Cyzicenorum, obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine, & oppugnatam vehementissime.* pro Murena C. 15. *cum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia constitisset, eamque urbem sibi Mithridates Asiae januam fore putavisset, qua effracta & revulsa, tota pateret provincia, perfecta ab Lucullo haec sunt omnia: ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, & omnes copiae regis diuturnitate obsidionis consumerentur.* pro Archia C. 9. *populi Romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum ejusdem* (L. Luculli) *consilio, ex omni impetu regio ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam.* & isto quidem bello libertatem meruerunt. Deinde autem, quod in quadam seditione cives aliquot Romanos flagris caesos necassent, ab Augusto redacti sunt in servitutem, A. V. DCCXXXIII. *M. Apulejo, P. Silio Coss.* tamen ab eodem Augusto reddita iis libertas est haud ita multo post, A. V. DCCXXXVIII.

Nam tua non aetas umquam ceſſavit Amori;
    Semper at armatae cura fuit patriae.
Et tibi non umquam noſtros puer iſte labores
    Adferat, & lacrimis ultima vota meis.

25 Me

M. Druſo Libone, L. Calpurnio Piſone Coſſ. ut auctor eſt Dio L. 54. Strabo quoque liberam fuiſſe urbem ſua aetate teſtatur L. 12. quae quum ita ſint, haud difficulter amplector Nic. Heinſii correctionem, ex corrupta membranarum ſcriptura *referre ſonis* feliciter reſtituentis veram ac legitimam.

Et vetera oblitis jura referre foris.

nam in foro jus dicebatur. quo jam aliquo tempore caruerant Cyziceni. id quod & aliis civitatibus accidit non ſemel. Tacitus L. 12. Annal. C. 58. *Redditur Rhodiis libertas, ademta ſaepe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant.* factum hoc D. Junio, Q. Haterio Coſſ. orante Nerone. Cicero orat. de Provinc. Conſular. C. 4. *te imperatore infeliciſſimo, & taeterrimo, Caeſonine Calventi, civitas libera, & proximis ſuis beneficiis a ſenatu & a populo Romano liberata, ſic ſpoliata atque nudata eſt, ut, niſi C. Virgilius, legatus, vir fortis & innocens interveniſſet, unum ſignum Byzantii ex maximo numero nullum haberent.* quod noſter *referre jura* vocat, id Caeſar dixit *reddere* L. 7. Bell. Gall. C. 76. *Hujus opera Comii, ita ut antea demonſtravimus, fideli atque utili ſuperioribus annis erat uſus in Britannia Caeſar: pro quibus meritis civitatem ejus immunem eſſe juſſerat; jura legeſque reddiderat: atque ipſi Morinos attribuerat.* intellige nara & leges patrias; quibus carendum erat gentibus devictis. quod tam ferociter conqueritur Critognatus Arvernus ibid. C. 77. *depopulata Gallia, magnaque illata calamitate, Cimbri finibus noſtris aliquando exceſſerunt, atque alias terras petiverunt: jura, leges, agros, libertatem nobis reliquerunt. Romani vero quid petunt aliud, aut quid volunt, niſi invidia adducti, quos fama nobiles potenteſque belli cognoverunt, horum in agris civitatibusque conſidere, atque his aeternam injungere ſervitutem? neque enim umquam alia conditione bella geſſerunt. quod ſi ea, quae in longinquis nationibus geruntur, ignoratis; reſpicite finitimam Galliam, quae in provinciam redacta, jure & legibus commutatis, ſecuribus ſubjecta, perpetua premitur ſervitute.*

21. NAM TUA NON AETAS] h. e. jam inde a prima adoleſcentia laudem tibi & gloriam peperiſti re militari. peculiari notione vocabulum *aetas* hic uſurpatur; uti & apud Ciceronem L. 2. de Offic. C. 13. *Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt, in qua multi apud majores noſtros exſtiterunt: ſemper enim fere bella gerebantur. Tua autem aetas incidit in id bellum, cujus altera pars ſceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, cum te Pompejus alae praefeciſſit, magnam laudem & a ſummo viro & ab exercitu conſequebare,* &c. Jam, quod ſequitur, Tullo ſemper fuiſſe curam patriae armatae, hoc ipſum oſtendit, eum adoleſcentulum militiam fuiſſe auſpicatum ab aliquo gradu honoris eminentiore, videlicet a tribunatu legionis, vel ab alae praefectura, ex inſtituto Auguſti, quod apud Suetonium reperies in ejus vita C. 38.

21. CESSAVIT AMORI] *ceſſavit*, quod bene reſtituit Scaliger, agnoſcunt omnes libri. *ſervivit* a Beroaldo eſt: quum tamen Volſci quoque editio *ceſſavit* praeferat, nec non Veneta A. 1475.

22. SEMPER AT ARMATAE] *& armatae* libri Livineji cum Borrichiano & uno Colbertino. parum refert quid malis. odioſe nugatur Palmerius cum ſuo *inarmatae*, quod vult oppoſitum eſſe *τοῦ exarmatae.*

24. LACRIMIS OMNIA NOTA MEIS] locus adfectus, quem medicando etiam pejus corruperunt. Turnebus refingebat *omina nota* L. 21. Adv. C. 6. Paſſeratius vero *ſomnia nota.* ſed quantivis precii eſt lectio codicis noſtri ſecundi, ſaepe boni, in quo claris literis legitur *lacrimis ultima vota meis.* Mortem intelligit, quae eſt linea poſtrema omnium votorum, & ſacra anchora miſerae mortalitatis, qua omnia infelicis vitae mala expiari putabant. Ovidius L. 4. Pont. Epiſt. 14.

Ipſa

Me sine, quem semper voluit Fortuna jacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.

Mul-

Ipsa quoque est invisa salus, suntque ultima vota
Quolibet ex istis scilicet ire locis.

Virgilius L. 11. Aen.

at non, Evandre, pudendis
Volneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater.

Seneca Phoeniss. ℣. 75.

exstingui cupis,
Votumque, genitor, maximum mors est tibi?

& Troad. ℣. 1170.

Gnatam, an nepotem; conjugem, an patriam fleam?
An omnia? an me? sola mors votum meum.

id vero vel maxime locum habet in amore aerumnoso atque infelice. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 5.

Nullus amor tanti est; (abeas pharetrate Cupido)
Ut mihi sint toties maxima vota mori.
Vota mori mihi sunt, cum te peccasse recordor.

& L. 3. Eleg. 14.

Tunc ah, tunc odi frustra quod amare necesse est.
Tunc ego, sed tecum, mortuus esse velim.

L. 10. Metam. ubi Myrrhae historia:

Nec modus aut requies, nisi mors, reperitur amoris.
Mors placet. erigitur: laqueoque innectere fauces
Destinat.

Virgilius L. 4. divini operis:

Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: taedet caeli convexa tueri.

& infelix ille Damon in Pharmaceutria:

vivite silvae.
Praeceps aërii specula de montis in altum
Deferar. extremum hoc munus morientis habeto.

sic Clitophon ille, quum Leucippen e medio sublatam falso crederet, in publico judicio crimen alienum in se transtulit, sola spe mortis, apud Achillem Tatium L. 7. adposite Balthasar Castilionus, scriptor utraque lingua, non minus quam sanguine, nobilissimus, in Curiali, sive Aulico, L. 1. *i quali pallidi, mesti, e taciturni, par che sempre habbiano la propria scontentezza dipinta ne gli occhi; e se parlano, accompagnando ogni parola con certi sospiri triplicati, di null' altra cosa ragionano, che di lachryme, di tormenti, di disperationi, e desiderii di morte.* Chryseis apud Vrsaeum T. 3. Astreae L. 7. *Toute la nuict je ne fis que plaindre, & le jour me trouva dans le lict sans avoir pû clorre l'oeil. Enfin (voyez a quoy une grande affection nous porte quelquefois) je me resolus de mourir, sçachant bien que ma mere, pour quelque supplication que je lui pusse faire, ne changeroit point de resolution: & ne me pouvant figurer que mon affection, ny celle d'Arimant pust supporter cet outrage, je pensay qu'il valoit mieux mourir une fois, que de remourir tous les moments qui me resteroient de vie.* Talium ultimorum votorum, etiam talium exemplorum pleni sunt libri, & quotidiana experientia. unum non possum quin addam, tragicum sane ac miserabile, Hieronymi Angeriani, patricii Neapolitani, cujus habemus *Erotopaegnion*, libellum argutum atque elegantem. in eo libello quod postremum est epigramma, colore adeo naturali praepingit infaustos illos fluctus animi desperata salute rabidi, ut vel silicem movere possit. finit autem in his verbis:

Vivite vos alii, quibus omnia jugiter affert
Laetus Amor. gladium tu mea sume manus.
Ne trepida. rapidus quum spiritus ibit ad auras
Clamabit, Mortis Caelia caussa fuit.

& perfecit cogitatum nefas. de quo non sine caussa lamentatur noster ille Hoofdius in epistola luculenta, quam Florentia scripsit ad amicos sodalitatis poëticae Amstelodamenses:

Ziet ook Puozzoles strant, de kuilen, bergen, daelen,
Die Celia haer lof wel plachten op te haelen,
Wanneer d'Angeriaen vertrok zyn ware min,
Poëtery geacht van zyne afgodin:
Zoo dat zyn min en pijn geen ander loon mogt beuren
Dan laas! met eigen handt zijn lijf en ziel te scheuren.
Bewegelijk ongeluk! waarom werdt (dit's mijn vraeg)

Be-

Multi longinquo periere in amore libenter,
  In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis:
  Hanc me militiam fata ſubire volunt.
At tu ſeu mollis qua tendit Ionia, ſeu qua
  Lydia Pactoli tinguit arata liquor.
Seu pedibus terras, ſeu pontum carpere remis
  Ibis, & accepti pars eris imperii:

Tum

Bedrukte min geſtraſt, die zelſ doch is een plaeg?

male meruerunt de poſteritate noviſſimi editores ſcriptorum Hooſdianorum, qui carmen & notum & nobile nullo ſuo merito ſtrangularunt. Ceterum paris vecordiae facinus, quamquam ex diſpari cauſſa, videre eſt in Joanne Valdeſio, homine Hiſpano, apud Jo. Pierium Valerianum L. 1. de infelicitate literatorum. v. Pontanus I. de Fortitud. 16. p. 117. Janus Nicius Erythraeus III. Pinacoth. 35. p. 147. (de Lucretii interprete recens memoria eſt.)

26. HANC ANIMAM EXTREMAE REDDERE NEQUITIAE] *extremae nequitiae* exponit Paſſeratius, *tam diſſolutae inertiae, ut nihil ſupra.* aberravit vir doctiſſimus a ſcopo poëtae, qui ipſe melius mentem ſuam exponit L. 2. Eleg. 19.

Quod mihi ſi ponenda tuo ſit corpore vita;
Exitus hic nobis non inhoneſtus erit.

& jam reſipiſcens L. 3. Eleg. 19.

Seu moriar: fato, non turpi fractus amore.
Atque erit illa mihi mortis honeſta dies.

Vide & Naſonem L. 2. Amor. El. 10. *Felix, quem Veneris certamina mutua perdunt.* & quae iſtic ſequuntur pluſcula. haec eſt illa *extrema* noſtri *nequitia.* quam nimis aperte interpretatur Janus Etruſcus in tomo 1. Deliciar: Ital. p. 910.

27. LONGINQUO PERIERE IN AMORE] Livinejus putat *longinquum* hic *amorem* dici, quia Propertius in Umbria natus Romanam Cynthiam deperibat. qui error eſt jocularis. *Longinquus* ſaepe idem valet quod longus, ſive diuturnus. Lucilius L. 30.

Scito etenim bene longinquum mortalibus morbum
In vino eſſe, ubi qui invitavit dapſilius ſe,

Livius L. 1. C. 31. *nulla tamen ab armis quies dabatur ab bellicoſo rege; ſalubriora etiam credente militiae quam domi juvenum corpora eſſe, donec ipſe quoque longinquo morbo eſt implicitus.* Caeſar L. 3. Bel. Civil. C. 80. *ſe confidere munitionibus oppidi, ſi celeriter ſuccurratur: longinquam oppugnationem ſuſtinere non poſſe.* Livius L. 6. C. 8. *cohortatus milites, ne tamquam Vejos oppugnantes in opere longinquo ſeſe tererent, victoriam in manibus eſſe.* Corn. Nepos Themiſt. C. 4. *majore cum labore, & longinquiore tempore bellum confecturum, cum ſingulos conſectari cogeretur.* Gellius praefat. *longinquis per hiemem noctibus, in agro terrae Atticae commentationes haſce ludere ac facere exorſi ſumus.*

31. MOLLIS IONIA] Beroaldus non intellexit hunc locum. tu Lud. Caelium vide L. 7. Ant. Lect. C. 10: Eraſmum noſtrum in proverbio *Riſus Ionicus*; & Lambinum, ac Torrentium, ad illud Horatii, *Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo*, L. 3. Od. 6. nec male Paſſeratius, priores ſecutus. tamen Philippus Silvius eorum nullum ſequitur, mera Beroaldi verba exſcripſiſſe contentus.

32. LYDIA PACTOLI TINGUIT ARATA LIQUOR] *tinguit* eſt in codice Borrichiano. recte. nam iſtud Regiorum *cingit*, quod & in uno Mureti erat, profluxit ex vulgari ſcriptura *tingit. tinguere* autem debere ſcribi, oſtendit compoſitum *diſtinguere.* idque plus ſemel monuit doctiſſimus Pierius in Caſtigationibus Virgilianis. *aratra* habent noſtri libri, quaſi ex condicto: ſed *arata* ex ſuis jam olim reſtituerunt viri magni, Turnebus, Lipſius, Paſſeratius. optime. Seneca Phoeniſſ. ℣. 604.

Et qua trahens opulenta Pactolus vada

Inun-

Tum tibi si qua mei veniet non inmemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

Inundat auro rura.
Naso XI. Metam. 144.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venae
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.
culta vocaverat Maro in ejusdem regionis commemoratione, L. 10. Aen.
Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno,
Maeonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolusque inrigat auro.
35. TUM] adverbium *Tum* esse ordinis, *Tunc* vero temporis, scifcit Servius ad L. 5. Aen. ℣. 513. sed fallitur. V. Cicero pro L. Flacco C. 7. pro Sulla C. 4. 14. 17. 18. pro Sextio C. 33. de Provinc. Consular. C. 6. 7. atque aliis locis infinitis.

VII.

DUm tibi Cadmeae ducuntur, Pontice, Thebae,
Armaque fraternae tristia militiae:

Atque

1. DUM TIBI CADMEAE DICUNTUR, PONTICE, THEBAE] *dicuntur* Regii, Colbertini, & omnes nostri, cum editionibus vulgatis. non male, quum *dicere* sit canere. Ovidius L. 1. Metam.
In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.
sed multo majoris est elegantiae, quod Scaliger in suis invenit, *ducuntur.* non equidem ob eam solam rationem, quam dedit Scaliger, *forte epos acer, ut nemo, Varius ducit;* & *Caesaris in nomen ducuntur carmina:* sed quod poëtae quae facta esse ab aliis scribebant, ea ipsi facere dicebantur. Minucius Felix, de Homero, & Diis Homericis: *Hic eorum paria composuit, sauciavit venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit.* Ovidius L. 2. Amor. El. 18. ad Aemilium Macrum, qui scribebat Paralipomena Homeri,
Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,
Primaque juratis induis arma viris.
& L. 4. Pontic. Epist. 16.
Et qui Penelopae rescribere jussit Ulyssen,
Errantem saevo per duo lustra mari.
Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium duxit in arva senem.
rursus L. 2. Tristium:
Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumque toros,
longe autem uberrime L. 3. Amor. Eleg. 12. *ducere* vero hic valet condere, exstruere, excitare. Cicero pro Milon. C. 27. *Qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu & limine.* Virgilius L. 1. Aen.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa.
Horatius L. 3. Od. 3.
Ter si resurgat murus aëneus
Ductore Phoebo.
& L. 4. Od. 6.
Divum pater annuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.
Papinius L. 4. Theb.
rarus vacuis habitator in arvis
Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces.
dicit itaque noster: Dum tu, o Pontice, eversas Thebas e ruderibus suis excitas, & novas iterum condis, dumque nova arma fabricas impiis fratribus; ego, qui mos est meus, aetati ludum do, & amare non desino. &c. *Arma* etiam *ducuntur.* Tibullus L. 1. Eleg. 3.
Non acies, non ira fuit, non bella: nec enses
Immiti saevus duxerat arte faber.
Virgilius L. 7. Aen.

Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus:
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quaerimus in dominam.
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, & aetatis tempora dura queri.

Hic

alii thoracas aënos;
Aut leves ocreas lento ducunt argento.

non dubito quin haec sit vera loci hujus expositio. ad Ponticum iterum scribit Propertius Eleg. 9. e qua colligit Vossius, lib. de Poetis Latinis, etiam Amores eum lusisse. mihi secus videtur, quod cum pace maximi viri dixerim, nam si & hanc, & eam quae secundi libri ultima est, (Lynceus enim ille non est alius a Pontico, ut ibi videbimus) cum cura excusseris; numquam ad hos lusus descendisse clare liquebit. Et hic, & istic, hortatur Aurelius noster amicum suum, ut abjecta epici carminis gravi materia, res canat domi gestas & sua bella, praesertim quum tam festivam in mundo possideat copiam, nec foris quaerere necesse habeat. utrobique etiam ut hominem severi supercilii, ac philosophiae studiis inmersum, non sine aliquo morsu traducit. *Heroo clarum* Ovidius vocat L. 4. Trist. Eleg. 10. noster etiam ipsi Homero conferre audet. Quod ut amicitiae datum merito videri potest; sic tamen magnum poetam arguit, & illustris Musae cultorem. Barthius, Animad. ad Statii L. 4. Theb. ℣. 45, quamvis Pontici scripta nunquam viderit, quae & viderant & probaverant Naso ac Propertius, non magnae rei fuisse censet, aut cito neglectum disparuisse, quum nemo post Ovidium ejus meminerit. Quis vero indicavit Barthio, neminem post Ovidium Pontici meminisse, in tanto naufragio optimorum scriptorum? deinde quum tot disparuerint poetae, quorum memoriam uni debemus Nasoni, quis inde colligere audebit, omnes istos proletarios fuisse, ac capite censos? Vellem exstaret Pontici Thebais, etiamsi redimenda foret tota Papinii Thebaide. Etenim quum Virgilio propior fuerit, vixeritque saeculo omnium cultissimo; (ignoscat hoc stupori meo irritabilis Perraltus;) & puriore usum sermone, quam Papinius, & judicio castigatiore, caussa nulla est cur dubitemus. Neque me movet, quod Papinium Ponticus ab eadem materia tractanda deterrere non potuerit: quum sciam id ne ipsum quidem Homerum in Achille suo potuisse. Certum quoque mihi est, Ovidium ac Propertium meliores fuisse poetarum judices, quam Barthium: quem tamen virum ab aliis virtutibus commendatissimum habeo.

3. PRIMO CONTENDIS HOMERO] *prisco* habet unus noster. quomodo Cratinum indigitat Horatius L. 1. Epist. 19.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,

& ipsum Melesigenem Ovidius L. 2. Artis Amatoriae,

Sit licet antiquo Nireus adamatus Homero.

Juvenalis Sat. 9.

Ipse facit versus, atque uni cedit Homero,
Propter mille annos.

sed vulgata non videtur tentanda, quum *primus* exstet in omnibus aliis libris. *primus* hic *principem* notat. Horatius L. 4. Od. 9.

priores Maeonius tenet
Sedes Homerus.

quum vero dicat noster Ponticum Homero contendere, primario epici carminis poetae, ac palmam ei ambiguam facere: non obscure amicum suum Antimacho praefert. at quanto poetae! cui Critici antiqui uno quasi consensu secundas ab Homero detulerunt. Fabium audi L. 10. C. 1. ubi post amplissimum Homeri elogium, *raro assurgit*, inquit, *Hesiodus, magnaque pars ejus in nominibus est occupata, tamen utiles circa praecepta sententiae, lenitasque verborum, & compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi. Contra in Antimacho vis & gravitas, & minime vulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat; & affectibus, & jucunditate, & dispositione, & omnino arte de-*

fi-

Hic mihi conteritur vitae modus, haec mea fama eſt.
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctae ſolum placuiſſe puellae
Pontice, & injuſtas ſaepe tuliſſe minas.
Me legat aſſidue poſt haec neglectus amator,
Et proſint illi cognita noſtra mala.
Te quoque ſi certo puer hic concuſſerit arcu,
Quod nolim noſtros evolüiſſe deos:

Longè

ſcitur: ut planè manifeſto appareat, quanto ſit aliud, proximum eſſe, aliud ſecundum. noſter vix ullum diſcrimen agnoſcere videtur L. 2. Eleg. 24. quae eſt ad hunc ipſum Ponticum ſcripta:

Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.

ſed Catullus agnoſcit Carm. 91.

Parva mei mihi ſunt cordi monumenta ſodalis:
At populus tumido gaudeat Antimacho.

Proclus autem, omiſſo tumore, inter epicos poëtas, poſt Homerum, excellere dicit Heſiodum, Piſandrum, Panyaſin, & Antimachum.

9. CONTERITUR] bene Gebhardus I. Crepund. 9. p. 26.

9. HAEC MEA FAMA EST] τὸ *eſt* non comparet in codice Groningano.

10. HINC CUPIO NOMEN CARMINIS IRE MEI] Gebhardus, eo quod in uno Palatino inveniſſet *capio*, citra ullam neceſſitatem refingit *capior*, corruptis ſimul inſcitiſſime duobus aliis poëtae noſtri locis, qui manum medicam neutiquam deſiderabant. in omnibus noſtris clare legitur *cupio*, quod & Regii & Colbertini agnoſcunt. imo ipſe poëta agnoſcit hac ipſa elegia,

Et fruſtra cupies mollem componere verſum.

ſed quis verbo tam probo dicam ſcribat?

16. QUOD NOLIM NOSTROS EVIOLASSE DEOS] *eviolaſſe* habent noſtri libri; Groninganus; Regii; Colbertini. *te violaſſe* Vaticanus, Lipſio ac Livinejo teſtibus. *evoluiſſe* cum in vetuſtis membranis reperiſſet Beroaldus, minus tamen commode id ipſum expoſuit. Canterus quoque in ſuis *evoluiſſe* invenerat; ſed praetulit *evaluiſſe.* primus Scaliger vidit *evoluiſſe* poſitum eſſe per diaereſin pro *evolviſſe.* quod verum eſt, & Catulli quoque exemplo clarum, in Coma Berenices:

Pace tuâ fari haec liceat, Rhamnuſia virgo:
Namque ego non ullo vera timore tegam:
Non ſi me infeſtis dyſcerpant ſidera dictis,
Condita quin veri pectoris evoluam.

Naſo II. Triſt. 238.

Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
Numquam te noſtros evoluiſſe jocos?

volvere autem de fatis fere dicitur. Virgilius L. 1. Aen.

Hinc populum late regem, belloque ſuperbum,
Venturum excidio Lybiae: ſic volvere Parcas.

& L. 3.

ſic fata deûm rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo.

Statius L. 1. Silv. 4.

Eſtis io Superi: nec inexorabile Clotho
Volvit opus.

Martialis L. 4. Epigr. 73.

Ultima volventes orabat penſa ſorores,
Ut traherent parva ſtamina pulla mora.

Propius etiam ad Aurelium noſtrum Claudianus L. 1. de Raptu Prof. ℣. 51. de Parcis:

quarum ſub jure tenentur
Omnia; quae feriem fatorum pollice ducunt,
Longaque ferratis evolvunt ſaecula fuſis.

Scaligerum ſequitur Gebhardus: qui utrum poëtae mentem recte ceperit, jam examinemus. *Dicit* (inquit Gebhardus) *quod ſi te quoque amor tentaverit, Quod nolim (ominis eſt rejectio) noſtros Deos (hoc eſt, nobis propitios) evolviſſe, in fatis ſuis ſcripſiſſe. Virgilius: volvens arcana fatorum.* haec ille. (aliter, nec tamen recte, Douza Schediaſm. ſuccidan. pro Tibull. p. 63.) atqui nihil minus cogitavit Propertius. qui deriſus à Pontico & male habitus quod nihil niſi amores ſcriberet, premeretque ingenium ignobilitate materiae, reſpondit, tamquam vaticinans; Si te quoque, o Pontice, tetigerit

cer-

Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in aeterno surda jacere situ.

Et

certo jactu Cupido: (neque enim spero fusos istos furori tuo destinatos à Diis nostris, amorum praesidibus, jam fuisse evolutos) longis tenebris aeternoque situ damnabis susceptam cum tanto fastu Thebaida, elegosque ac molles blanditias adhibebis, expugnando puellae tuae rigori, abjectis ac conculcatis heroum tuorum telis. sed frustra, quum jam pridem occallueris ad has delicias. Tùm saepe mirabêris hos meos lusus, quos nunc alto supercilio contemnis. Tum Romani poetae omnes prae me uno sordebunt tibi. &c. ita haec pulcrè cohaerent; & clariora etiam fiunt ex Elegia 9. hujus libri,

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores.

nam quomodo istic ita insultare potuit Pontico jam amanti, si hoc loco id egit omnibus votis ne Ponticus umquam amaret? verbum autem *evolvere* accipi debere pro ad finem volvere, expedire, docet Ovidius Epist. Medeae, loco unice huc faciente, ipso initio?

Tunc, quae dispensant mortalia fila, sorores
Debuerant fusos evoluisse meos.

& L. 15. Metam.

trepidosque obitumque timentes
Sic exhortari, seriemque evolvere fati.

Seneca Oedip. ỳ. 252.

Tuque o, sereni maximum mundi decus,
Bissena cursu signa qui vario regis,
Qui tarda celeri saecula evolvis rota.

Claudianus L. 1. de raptu Proserp.

quae seriem fatorum pollice ducunt,
Longaque ferratis evolvunt saecula pensis.

ubi vides ad tempus & annos transferri. quod etiam fecit veteribus istis non ignobilior poeta Hieron. Fracastorius Syphil. L. 1.

tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curae.

fecit autem exemplo Maronis sui, qui praeiverat L. 2. Geor. ubi de aesculo:

Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multosque nepotes,
Multa virum volvens durando saecula vincit,

hinc *evolvere* est, secum repetere memoriam praeteriti temporis. Virgilius L. 4. Geor. de Orpheo suam Eurydicen lugente:

Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam
Flevisse, & gelidis haec evolvisse sub antris.

sunt autem ista verba, ut recte Servius notat ad L. 1. Aen. à filo & lanificio traducta, propriis Parcarum rebus. Virgilius L. 4. Geor.

Carmine quo captae, dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas impulit auris
Luctus Aristaei.

estque imago multo lepidissima, Venerem cum populo Cupidinum nere fata hominum amatorum, itidem ut Parcas facere ajunt in ceteris mortalibus.

17. LONGE, MISER, AGMINA SEPTEM FLEBIS IN AETERNO SURDA JACERE SITU.] Minus commode poetae mentem interpretatur Passeratius, ac si is voluisset, *quereris à te caepta & intermissa carmina de bello Thebano, carie putrescere, & nequicquam à te invocari magna illa Ducum nomina, quae te exaudire non poterunt, aut ullo pacto juvare.* nec hilo melius Marollii versio; & omnium interpretum miserrimus, is quem modo dixi, Silvius. hoc vult Aurelius noster; Plorabis saepe, o Pontice, opus illud tuum tam magnifice inchoatum, nec tamen perfectum, excuti tibi de manibus, neque ullam spem superesse pertexendi caeptam telam, quia te totum sibi vindicet ferus iste amor. itaque Thebaïs tua, nulli umquam audienda, quia supremam manum non receperit, tenebris damnata cum carie ac blattis luctabitur. *Surdus* est tam qui non auditur, quam qui non audit. noster L. 4. Eleg. 5.

Qui versus, Coae dederit nec munera vesti,
Istius tibi sit surda sine aere lyra.

& apposite ad nostri mentem Juvenalis Sat. 7.

Nam, si Virgilio puer & tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes à crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina.

idem Sat. 13.

quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere caedit.

Ovi-

Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subjiciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere saepe poëtam:
Tunc ego Romanis praeferar ingeniis.
Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro,
Ardoris nostri magne poëta jaces.
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu.
Saepe venit magno foenore tardus Amor.

Ovidius L. 2. Pontic. Epist. 6.

Dignus es: &, quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officii gratia surda tui.

20. NEC TIBI SUBJICIET CARMINA SAEVUS AMOR] *saevus* habent omnes editiones veteres, pro quo Scaliger *serus* reposuit; quomodo legitur in Borrichiano. neque aliter legunt nostri duo. ita L. 2. Eleg. 24. insultat huic ipsi Pontico, quem ibi Lynceum vocat,

Lynceus ipse meus seros insanit amores.

servus erat in Vaticano, & Groningano: proxime verum. Palmerius, quum non ignoraret Scaligeri correctionem, maluit tamen praeferre τὸ *servus*, cum ridicula expositione. verbum *subjiciet* latius patet, quam ut ad solas operas scaenicas referatur. hic ponitur pro eo quod est *dictare*, ducta tralatione a praeconibus, qui verba legum ferendarum ad populum pronuntiabant, & scribis, qui dictabant. Asconius argumento Cornelianae prioris: *P. Servilius Globulus tribunus pl. inventus est, qui L. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundae dies venit, & praeco subjiciente scriba verba legis recitare populo coepit, & scribam subjicere & praeconem pronuntiare passus non est.* atque ita capiendus Naso L. 2. Amor. Eleg. 1.

Ad mea formosae vultus adhibete puellae
Carmina, purpureus quae mihi dictat Amor.

24. MAGNE POETA VALE] *jaces* habent scripti omnes. sed testatur Scaliger, in suo *vale* exaratum fuisse: ideo hoc ei potius visum. quamquam ego nec illud damnem. sic mater Euryali Aen. L. 9.

Heu terra ignota canibus date praeda Latinis
Alitibusque jaces.

Theocritus Idyll. 23.

Κἂν ἀπίῃς, τόδε μοι τρὶς ἐπάϋσον, Ω᾽ φίλε κεῖσαι.

Cumque abieris, ter mihi istud acclama: ô amice jaces.

Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 6.

Quid tamen ista fides? quid rari forma coloris?
Quid vox mutandis ingeniosa sonis?
Quid juvat, ut datus es, nostrae placuisse puellae?
Infelix avium gloria, nempe jaces.

L. 3. Eleg. 9.

Carminibus confide bonis. jacet ecce Tibullus.

est autem miserantis cum indignatione. *taces* legitur in codice Groningano, quod ita factum est ex ultima syllaba τοῦ *poëta*. Palmerius *vale* legebat, nescio si ex libro. videsis Jo. Kirchmannum L. 3. de Funer. Rom. C. 9. ubi de hac acclamatione. sed mihi durum est discedere à tot scriptis consentientibus, simul & ab antiquitus cusis.

25. TU CAVE NOSTRA TUO CONTEMNAS CARMINA FASTU] haec est constans lectio omnium membranarum; (nisi quod *contendas* legitur in altero Colbertino;) quam facilem & planam bene exposuit, ac defendit contra Palmerii *contemnas carmine sacra*, Jo. Passeratius. in quo codice vetere id invenerit Palmerius, non indicavit. Quum vero omnium suarum mutationum momenta fere imputet uni Posthiano, testari cogor nihil istic diversum à vulgatis exstare; idque oculis meis plus semel credidi. quocirca & nos contenti erimus hoc Catone.

VIII.

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi jam tanti quicumque est iste, videtur:
Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti
Fortis, & in dura nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?

O uti-

Dehortatur Cynthiam à navigatione, quae puellae perjurae non poterat esse non periculosa, eo quod in mari praecipue poenas reposcere soleat laesus Amor a perfidis amantibus. Virgilius L. 4. Aen.

I, sequere Italiam ventis: pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido
Saepe vocaturum.

Ovidius Epist. Didus:

Nec violasse fidem tentantibus aequora prodest.
Perfidiae poenas exigit ille locus.
Praecipue cum laesus Amor: quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

tum paullo post:

Finge, age, te rapido (nullum sit in omine pondus)
Turbine deprendi: quid tibi mentis erit,
Protinus occurrent falsae perjuria linguae,
Et Phrygia Dido fraude coacta mori.
Conjugis ante oculos deceptae stabit imago
Tristis, & effusis sanguinolenta comis.

2. AN TIBI SUM] Commelini liber habebat *sim*, quod majore cum emphasi dictum pronuntiat Gebhardus. mihi secus videtur, quum vehementer in Cynthiae levitatem, cum praetore quodam abiturientis, invehatur, & quidem in re praesenti. deinde in omnibus libris *sum* legitur.

6. IN DURA NAVE JACERE POTES] quid ni, quae sequeretur amatorem? pulcherrime Juvenalis Sat. 6.

Tyrrhenos igitur fluctus; lateque sonantem
Pertulis Ionium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. justa pericli
Si ratio est, & honesta; timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:
Fortem animum praebent rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux; durum est conscendere navim:
Tunc sentina gravis: tunc summus vertitur aër.
Quae moechum sequitur, stomacho valet. illa maritum
Convomit: haec inter nautas & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractare rudentes.

7. POSITAS FULCIRE RUINAS] ita è suis membranis edidit Scaliger; quum in Beroaldina legeretur *sulcare pruinas*, nec sensu probo nec sermone. *fulcire pruinas* habet Volscus: quam lectionem probat & operose defendit doctissimus Gronovius Diatr. ad Statii Silvas cap. 55. *fulcire ruinas*, Groninganus, duo Regii, duo nostri, Borrichianus, unus Colbertinus, (nam in altero totum distichon desideratur) Palatini Gebhardi, & Memmianus prodente Passeratio. sed negat Gronovius *ruinas* simpliciter pro coeli ruinis dici. idque verum est. Lucretius L. 6.

saepe geli multus fragor atque ruina
Grandinis, in magnis sonitum dat nubibus alte.

Virgilius L. 1. Aen.

Dis-

O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
Et sit iners tardis navita Vergiliis.
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena,
Neve inimica meas elevet aura preces:

Disjectam Aeneae toto videt aequore classem:
Fluctibus oppressos Troas, coelique ruina.

Valerius Flaccus L. 8. ỳ. 334.

Crebra ruina poli coelestia lumina laxat.

Silius L. 1. ubi Annibalis virtutes militares depraedicat,

vertice nudo
Excipere insanos imbres, coelique ruinas.

Politianus Rustic. ỳ. 49.

Quippe hiemem excipere, & ventos, coelique ruinam
Suetum, atque octipedem nec opaco vertice Cancrum.

Martialis L. 3. Epigr. 100.

Imbribus immodicis coelum nam forte ruebat.

itaque hic reponendum erit *pruinas*. noster L. 2. Eleg. 7.

Sidera sunt testes, & matutina pruina.

neque aliter L. 3. Eleg. 12.

Et modo Taygeti crines aspersa pruina.

quo loco itidem *ruina* exhibet codex Groninganus, eodem prorsus errore. τὸ *fulcire* non debebat Passeratius posthabere vel Beroaldino *sulcare*, vel suo calcare. ita Politianus videtur legisse, Rustic. ỳ. 52.

Et Jove sub gelido nocturnos carpere somnos,
Et pede concretas nudo calcare pruinas.

Virgilius Ecl. 6.

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Servius: *Apud veteres unusquisque eo, super quod jacebat, FVLTVS dicebatur. Lucilius in tertio, Et pulvino fultus. Virgilius:*

Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus.

pariter Lucanus loquitur L. 5.

Haud magis expertus discrimine Caesar in ullo est,
Quam non è stabili, tremulo sed culmine cuncta
Despiceret, staretque super titubantia fultus.

paullo post, ubi Caesar militem alloquitur, *stetit aggere fultus Cespitis.* ut ibi Caesar cespite, ita hic Cynthia fulta est pruinis. Marollio magis placuit *calcare*; quod tamen pessime intellexit: *Peux tu de tes pieds delicats fouler toutes les injures du mauvais temps?* Philippus autem Silvius ita est interpretatus: *Tu ne potes, ò Cynthia, jacentes pedibus pruinas sustinere?* hae sane pruinae sunt hiemis Gallicae.

7. POSITAS PRUINAS] eleganter *poni* dicitur de iis quae coelo delabuntur, nive, pruina, rore. Horatius L. 3. Od. 10.

Audis quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra satum tecta remugiat
Ventis, & positas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?

Ovidius L. 2. Fast.

Saepe graves pluvias adopertus nubibus Auster
Concitat, aut posita sub nive terra latet.

& L. 6.

Mane ubi bis fuerit, Phoebusque iteraverit ortus,
Tactaque erit posito rore bis uda seges.

Seneca Phoeniss. ỳ. 307.

Bruma ter posuit nives,
Et tertia jam falce decubuit Ceres.

Helenius Acro *ponere* exponit *deorsum mittere* ad locum Horatii laudatum. *pruinae* sunt nives durae ac concretae. Valerius Flaccus L. 5. ỳ. 159. de Hercule vinctum in Caucaso Prometheum liberante:

jamque aspera nisu
Undique convellens, veteris cum strage pruinae,
Vincula prensa manu saxis adduxerat imis
Arduus.

tum post paullo:

Contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis
Montibus Alciden? dimissave vota retentet?)
Pergere iter socii: tantum mirantur ab alto
Littora discussa sterni nive.

Virgilius L. 3. Geor. ỳ. 368.

Intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum: confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, & summis vix cornibus exstant.

11. NEU TIBI TYRRHENA] *Nec* Regii, Colbertini, noster secundus, Borrichianus,

Et me defixum vacua patiatur in ora
  Crudelem infesta saepe vocare manu.
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
  Quum tibi provectas auferet unda rates.
Sed quocumque modo de me, perjura, mereris,
  Sit Galatea tuae non aliena viae:
Ut te felici praevecta Ceraunia remo,
  Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
  Quin ego, vita, tuo limine vera querar.
Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
  Dicite, quo portu clausa puella mea est?

Et

Groninganus: quod est praeferendum. istud vero *Tyrrhena* cum vicino *arena* sonum facit non nimis suavem. unde miror politissimum Lotichium voluisse imitatione sua quasi comprobare rem Latinis auribus insolentem atque ingratam. ita enim ille in epistola Helicanae:

Sed nunc Tyrrhenis forsan tu laetus arenis,
Non memor & patriae, cum patriaque mei.

miror, inquam, & indignor. neque est sane id ipsum valde Lotichianum.

12. NEVE INIMICA MEAS ELEVET AURA PRECES] ne ventus aliquis non bene advocatus vota mea discerpat, atque irrita nubibus donet. sic Tibullus L. 1. Eleg. 5.

Haec mihi fingebam: quae nunc Caurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.

de ventis Deorum atque hominum internuntiis multa bona hic tradit Passeratius; quorum tamen partem Turnebus jam tradiderat L. 1. Adv. C. 23. nihilominus Marollius, magistrum suum deserens, maluit ita vertere: *Et qu'un vent ennemy ne tire point des prieres de ma bouche.* Philippus Silvius sic extulit: *Ut tibi rudens non rumpatur à littore Tyrrheno, utque infensus mihi ventus mea vota irritet.* quid credas sensisse hos homines tam impenetrabili sapientia? nisi si forte suum istud *irritare* pro *irrita facere* posuit perspicacissimus Silvius. id ni sit; fateor mihi tenebras esse altas & densas & Cimmeriis Cimmeriores.

19. UT] forte. *Et.*

19. UT TE FELICI PRAEVECTA CERAUNIA REMO] ita se in libro manuscripto vidisse testatur Turnebus L. 11. C. 15. eamque scripturam putat Beroaldum secutum esse, quum legeretur vulgo *vectam per caerula remo.* sane Beroaldus exponit *Ceraunia* montes esse Epiri, à crebris fulminibus dictos, &c. passus est tamen edi in ipso contextu (ut loquuntur) Propertii *vectam per caerula remo.* apud Volscum erat *projecta Ceraunia*: quod ille exponit *in mare eminentia.* vides & mendosos codices secutum, & male intellexisse. veram ac veterem scripturam bene revocavit Scaliger. neque alio eunt membranae, nisi quod in pluribus *provecta* est. *praevecta Ceraunia* claris literis legitur in nostris duobus, atque in Borrichiano; uti & in editione Veneta.

19. PRAEVECTA CERAUNIA] Nic. Heinsius legebat, *post victa Ceraunia.* quod mihi vehementer adridet. Virgilius II. Georg. 123.

ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullae jactu potuere sagittae.

VI. Aen. 688.

Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas?

21. NAM ME NON ULLAE POTERUNT CORRUMPERE, DE TE
QUIN EGO, VITA, TUO LUMINE ACERBA QUERAR.

locus varie vexatus. *de te* à Scaligero est: neque tamen non exstat in quibusdam scriptis. antea legebatur *taedae.* est quoque in co-

Et dicam, licet Atraciis confidat in oris,
Et licet Eleis, illa futura mea eſt.
Hic erit: hic jurata manet. rumpantur iniqui.
Vicimus. aſſiduas non tulit illa preces.
Falſa licet cupidus deponat gaudia livor:
Deſtitit ire novas Cynthia noſtra vias.
Illi carus ego: per me cariſſima Roma
Dicitur: & ſine me dulcia regna negat.
Illa vel anguſto mecum requieſcere lecto,
Et quocumque modo maluit eſſe mea:
Quam ſibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis majora daturus;
Non tamen illa meos fugit avara ſinus.

Hanc

codice Groningano *thede*. Nic. Heinſius reponit *formae*, Not. ad Ovidii L. 1. Faſtor. ℣. 287. deinde *limine acerba querar* itidem eſt Scaligeri, quod nimis mira interpretatione magis etiam obſcuravit Schoppius L. 2. Veriſimil. C. 6. in ſcriptis omnibus videas *limine verba querar*. non erat opus tanto molimine. germanum fuit,

Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego, vita, tuo limine vera querar.

non ero tui ſimilis, ò Cynthia: nullius mulieris amor adeo me immutabit, ut deſinam ad fores tuas abſentis vera ac juſta queri de tua levitate & perfidia. noli dubitare quin haec ſit ipſa mens poetae: aut, ſi dubitas, contentum te teneto fidejuſſore ipſomet Propertio, quem videre te volo L. 2. Eleg. 6, prae omnibus commentariis. τὸ *vera* eruditiſſimo Schotto debemus L. 2. Obſerv. Human. C. 7: nec non elegantiſſimo Livinejo, idem mendum detergenti ex Plauto Amphytr, A. 2. Sc. 1. ℣. 44. ubi omnes pariter codices habebant *verba*:

miſerrima iſthaec miſeria eſt ſervo bono,
Apud herum qui vera loquitur, ſi id vi verum vincitur.

haec ideo dixi, quia Plauti editores ne verbulo quidem tralaticio meminerunt Livineji.

25. ET DICAM, LICET ATRACIIS CONSIDAT IN ORIS] ita liber Groninganus; quod & Livinejo notatum. reliqui *Et dicam Atraciis licet haec conſidat in oris*; inepte, quum proxime ſequatur *illa*. egregia eſt Scaligeri expoſitio corrigentis Beroaldum. qui tamen ipſe iſtas hallucinationes non niſi poſt Volſcum in publicum protruſit. ſed quid dicas in mentem veniſſe C. Barthio, qui Animad. ad L. 1. Thebaid. Statii ℣. 106, aſſerit *Atracias oras* hoc loco poni pro remotis? nondum erat certus poeta utrum iſte ſive proconſul, ſive propraetor, in cujus contubernio navigare conſtituerat ſua Cynthia, in Aetolia ſedem eſſet fixurus, an vero in Elide. igitur utriuſque mentionem loci facit. de quo non videtur cogitaſſe Barthius.

27. HIC ERIT: HIC JURATA MEA EST.] novam ab hoc verſu elegiam facit Lipſius L. 2. Var. Lect. C. 18: minus recte. porro illud *mea eſt*, ter repetitum, vix eſt ut placeat. in ſeptem libris MSS. invenimus, *Hic erit, hic jurata manet*, ſenſu neque inepto, & optime cohaerente. ideoque reducendum in ſuam ſedem putavi. belle iſtud *manere*, &, quod in proximo eſt, *ire* opponuntur.

31. PER ME CARISSIMA ROMA DICITUR] forte *Ducitur*. mavult mecum in urbe, quam cum praetore in provincia eſſe.

32. SINE ME DULCIA REGNA NEGAT] v. Douza Schediaſm. ſuccid. p. 64. ubi bene rejicit Canterum.

38. NON TAMEN ILLA MEOS FUGIT AVA-

Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
  Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo:
  Queis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.
  Sive dies, seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi rivalis certos subducet amores.
  Ista meam norit gloria canitiem.

RA SINUS] mallem ego *meo sinu*: quomodo Catullus loquitur Carm. 34.

Puella nam mea, quae meo sinu fugit.

Ovidius Epist. Paridis ℣. 156.

Téne manus umquam nostrae dimittere vellent?
Téne meo paterer vivus abire sinu?

& L. Apulejus Apolog. *qui confestim te cum tuo luctu & moerore deseruit; & ad Rufinum & Aemilianum de sinu tuo aufugit?* in tribus libris erat *amara*, pro *avara*. quod idem mendum etiam infra occurrit L. 4. Eleg. 7. ℣. 74. L. 2. Eleg. 18. ℣. 65.

42. CYNTHIA RARA MEA EST] noster primus *Cynthia cara*. non placet. infra iterum Cynthiam suam *raram* vocat Eleg. 17.

Quamvis dura, tamen rara puella fuit.

vocula est calidissimi affectus. Papinius L. 5. Silv. 2. Priscillam Abascanti adfatus:

Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux,
Longa, nec obscurum finem latura, perenni
Tentamus dare justa lyra.

lapis Narbonensis apud Gruterum DCIX. 3.

AELIAE. RESTITUTAE. ANIMAE.
DULCISSIMAE. BELLATOR. AUG. LIB.
CONIUGI. RARISSIMAE. BENEMERENT.

in alio Augustae, CCCCXXVI. 3.

SECVNDINAE. PERVINCAE
CONIVGI. CARISSIMAE
ERGA. SE. DILIGENTISSIMAE
FOEMINAE. RARISSIMAE

in alio Neapolitano, apud Reinesium, class. XIV. 85.

D. M.
IULIAE. EPIGONE
RARISSIMAE. FEMINAE

43. CONTINGERE SIDERA PLANTIS] ita Catullus in Coma Berenicae:

Nam quamquam me nocte premunt vestigia divum.

qui locus vel solus tueri poterat τὸ *plantis*, quod legitur in omnibus membranis. neque ullo modo sunt audiendi, qui *palmis* substituerunt. vide, lectionem priscam bene tuentes, Passeratium, Schoppium L. 1. Verisim. C. 6. Delrium Comm. in Senec. Thyest. ℣. 884. Gevartium L. 1. Lect. Papin. C. 20.

45. SUBDUCET AMORES.] in duobus libris est *subducit*.

IX. Di-

I X

DIcebam tibi venturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuò libera verba fore.
Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellae,
Et tibi nunc quovis imperat emta modo.
Non me Chaoniae vincant in amore columbae
Dicere quos juvenes quaeque puella domet.
Me dolor & lacrymae meritò fecere peritum:
Atque utinam posito dicar amore rudis.
Quid tibi nunc misero prodest grave ducere carmen,
Aut Amphioniae moenia flere lyrae?
Plus in Amore valet Mimnermi versus Homero.
Carmina mansuetus lenia quaerit Amor.
I, quaeso, & tristes istos compone libellos:
Et cane, quod quaevis nosse puella velit.

Quid

11. PLUS IN AMORE VALET MIMNERMI VERSUS HOMERO.] exstat apud Athenaeum L. 13. insigne carmen Hermesianactis Colophonii; unde discimus amasse Mimnermum jam senem tibicinam quamdam nomine Nanno; eumdemque fuisse inventorem versus pentametri. itaque non male, in hac quidem caussa, Homero praefertur. quod noster Mimnermo, id Callimacho dedit Ovidius Remed. Amor.

Callimachi numeris non est dicendus Achilles:
Cydippe non est oris, Homere, tui.

12. CARMINA MANSUETUS LENIA QUAERIT AMOR.] Dion. Lambinus, ad Horat. L. 1. Epist. 6. hunc versiculum adducit ita, *Carmina mansuetus levia quaerit Amor.* duo quoque MSS. *levia* habent. sed non est recedendum à vulgata. metaphora ducitur à vino, quod *lene* dicitur quum suave est & maturum potui. Terentius Heaut. A. 3. Sc. 1.

pitissando modo mihi
Quid vini absumsit! sic, Hoc, dicens, asperum
Pater, est hoc. aliud lenius, sodes, vide.

Cato cap. 109. de R. R. *Vinum asperum quod erit, lene & suave si voles facere, sic facito.* Virgilius.

Tunc pingues agni, & tunc mollissima vina.

ei contrarium est *durum*, quod Lucilius facetâ voce *crucium* dixit.

13. TRISTES ISTOS DEPONE LIBELLOS] *compone libellos* vidimus in octo libris. quod & in suis invenerant Lipsius ac Gebhardus. bene & proprie. Ovidius L. 1. Pont. Epist. 1.

Quaeris, ubi hos possis nullo componere laeso?
Qua steterant Artes, pars vacat illa tibi.

Horatius. L. 4. Od. 14.

Te caede gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

L 3. Od. 17. *dum potes, aridum Compone lignum.*

& L. 1. Epist. 1.

Quid verum, atque decens, curo & rogo, & omnis in hoc sum:
Condo, & compono, quae mox depromere possim.

Virgilius L. 8. Aen.

Quis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.

Terentius Hecyr. Act. 4. Sc. 3.

I ergo intro, & compone quae simul tecum Ferantur.

15. QUID

Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quaeris aquam.
Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni.
Haec est venturi prima favilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernae vincula nosse rotae:
Quam pueri totis arcum sentire medullis:
Et nihil iratae posse negare tuae.
Nullus Amor cuiquam faciles ita praebuit alas,
Ut non alternâ presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.

Quippe

15. QUID SI NON ESSET FACILIS TIBI COPIA?] eam sibi deesse in eadem re caussabatur Naso L. 1. Amor. Eleg. 2.

Nec mihi materia est numeris levioribus apta,
Aut pue·, aut longas comta puella comas.

19. CUPIES ACCEDERE TIGRES] Lipsius & Gebhardus verentur ut Propertius scripserit *captare accedere*, metu nimis officioso. vide ad Eleg. 7. ℣. 10. quod si tam elegans est iste archaismus, quaeso quid his fiet locis?

Et cupere optatis animam deponere verbis.
Tu cave ne tristi cupias pugnare puellae.
qui non & viderit, ergo
Non cupiet.
Intra fortunam qui cupis esse tuam.
Et cupit iratum talos me poscere eburnos.

adeo non defugit id verbi Propertius, ut etiam amasse videatur.

20. INFERNAE VINCULA NOSSE ROTAE] Passeratius in Memmiano codice invenerat *nectere vincla rotae*; quod fortasse corruptum fuerit ex *noscere vincla.* vulgata satis commoda est., nec mutanda.

21. TOTIES ARCUM SENTIRE MEDULLIS] recte Douza F. reposuit *totis*, ex illo Ovidii *totis bibit ossibus ignem.* Catullus. Carm. 61.

toto te pectore, Theseu,
Toto animo, tota prodebat perdita mente.

23. NULLUS AMOR CUIQUAM FACILES ITA PRAEBUIT ALAS,
UT NON ALTERNA PRESSERIT ILLE MANU.

Passeratius non recte percepit mentem poetae. *Nullus amor* (inquit) *ulli umquam se tam facilem praebuit, cum advocanti praesto esset, & ad eum statim advolaret, quin postea recusaret venire.* Non recte, dico. hoc enim voluit noster: Nemo umquam adeo felix in amore fuit, ut semel captus, posset abire quum vellet. ubi tu, perspectâ periculi magnitudine, castra movere alio constituisti; ibi vero tum obhaeret lentus Cupido, & complicatis pennis nidum fovet pertinacius. enim vero illa demum acriter te tenebit, quae longo usu facta jam est tua. Marollium audi, si tanti est, & ride: *nul Amour ne s'est jamais presenté à quelqu'un avec des aisles si promptes, qu'il ne les ait fait presser d'une main étrangere.* quis neget hos homines sapere? porro pro *ille*, commodius legas *inde*, deinde, postea. & id sensus videtur flagitare.

25. NEC TE DECIPIAT, QUOD SIT SATIS ILLA PARATA.] id enim multos decepit: nec satis firmum est Nasonis praeceptum Remed. Amor. ℣. 531. loco pulcre huc faciente.

26. ACRIUS ILLA SUBIT] altius in animum penetrat, te non sentiente. *subire* verbum est occultae ac furtivae molitionis. Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 2.

Nam puto sentirem, si quo tentarer amore.
An subit, & tacitâ callidus arte nocet?

Epist, Herus:

Sic ubi deceptae pars est mihi maxima noctis
Acta, subit furtim lumina fessa sopor.

Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas effuge blanditias.

Illis

L. 1. Art. Amat.
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
ibidem sub finem:
Hei mihi! non tutum est, quod ames, laudare sodali.
Cum tibi laudanti credidit; ipse subit.
noster infra Eleg. 14.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro.
Seneca Hippol. ỳ. 209.
Cur in penates rarius tenues subit
Haec delicatas eligens pestis domos?

27. QUIPPE UBI NON LICEAT VACUOS SEDUCERE OCELLOS, NEC VIGILARE ALIO NOMINE, CEDAT AMOR?
ita distinguendum videtur, & interpretandum aliter ac factum est à prioribus. sic puta. Etenim ubi tu quotidie ante oculos habeas dominam tuam, eam unam contempleris unice, quum illa tibi noctes auferat, illa dies; credis fore ut tam contumax amor victus abeat, ac loco cedat? confer haec, & connecte, cum proxime praecedentibus: aut ego egregie fallor, aut verum poëtae sensum erui. non ignoro in alia ivisse Lipsium L. 3. Var. Lect. C. 7. & Schoppium L. 2. Verisimil. C. 6. sed nec moveor. *Cedere* est eorum qui vel judicio, vel vi aliquâ majore de possessione dejiciuntur. Cicero Orat. pro Milone C. 34. *Tranquilla republica cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur. ego cedam, atque abibo.* L. 3. de Oratore C. 56. *Quo mihi melius etiam illud ab Aeschine dictum videri solet, qui cum propter ignominiam judicii cessisset Athenis,* &c. Virgilius L. 7. Aen. ubi Juno ad Alecto:
Cede locis. ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam.
L. 12.
Cedet Iulus agris: nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna lacessent.
hic Amor capto semel Pontici animo nolle cedere perhibetur. versu longiore, pro *seducere*, in quatuor libris est *subducere*: in Groningano *deducere*.

29. QUI NON ANTE PATET, DONEC MANUS ATTIGIT OSSA] in Groningano est *donec cutis attigit ossa.* quod fuerit glossema, exponentis, Amorem non ante palam se prodere, quam amator prae macritudine exhaustus pellis tantum factus sit atque ossa. ita vulgo nostrates, *dat meisje is niet als vel en been.* neque tamen ego pro glossemate haberem, nisi obstaret consensus ceterorum codicum. Franc. Modius Novant. 18, & Livineius, uterque hoc ipso Posthiano, sive Groningano libro usi, reponunt *malus.* tolerabilius aliquanto, quam Palmerii portentificum somnium, consarcinantis nobis *donec malus ab tagit ossa*; cum profecto (inquit) scripserit poëta *pagenda*, pro *pangenda*, L. 4. Eleg. 4. illo versu,
Poscis ab invita verba pigenda lyra.
ibi enim *verba pagenda* restituendum esse. nos vero eas restitutiones, tam sunt lepidae tamque molliculae, in solutum accipiemus, simul atque liquido constiterit vixisse Propertium tempestate Livii Andronici, vel paulo fuisse superiorem. bene hic Gebhardus, ex mente Scaligeri in curis secundis.

30. AUFUGE BLANDITIAS] Passeratius mallet *o fuge*; idque Tibulli ac Maronis auctoritate firmat. non male. nam *au* & *o* propemodum eodem fuisse sono apud antiquos videntur: super qua re, praeter magistros veteres, consulere potes J. C. Scaligerum L. 1. de caussis linguae Latinae C. 8. Lipsium de recta pronuntiatione L. 1. Cap. 11. Auson. Popmam de usu antiq. locut. L. 1. C. 2. & Schoppium in Grammatica philosophica. Sed in Comelini membranis erat *effuge*: quod verum puto. Quintilianus, de uxore sua, Procem. L. 6. &, *quod nefas erat, sed optabat ipsa, me salvo* ma-

Illis & silices, & possunt cedere quercus:
Nedum tu possis, spiritus iste levis.
Quare, ni pudor est, quamprimum errata fatere.
Dicere quo pereas saepe in amore levat.

maximos cruciatus praecipiti via effugit. Terentius Adelph. A. 5. Sc. 8.

vitium commune omnium est,
Quod nimium ad rem in senecta adtenti sumus: hanc maculam nos decet
Effugere.

Lucretius L. 3.

Effugeret canis Hyrcano de semine saepe
Cornigeri incursum cervi.

Horatius L. 2. Sat. 3.

Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.

Martialis L. 11. Epigr. 99.

Effugere non est, Basse, basiatores.

quibus in locis nullo modo *aufugere* ferre possis. *effugere calumniam, offensionem, crimen, contumeliam,* passim apud Ciceronem reperies. obducunt tamen ipsius Ciceronis auctoritatem, cum quarto casu verbum *aufugere* jungentis L. 2. de nat. Deor. C. 43. *Hunc* (Cepheum) *antecedit*

Obscura specie stellarum Cassiopea.
Hanc autem illustri versatur corpore propter
Andromeda, aufugiens adspectum moesta parentis.

tum & istud Petronii objiciunt: *aufugi judicium, harenae imposui, hospitem occidi?* ad Ciceronem quod attinet, sciant eum locum esse corruptum, & cum Grutero ex libris Palatinis legi debere *haud fugiens.* est enim Andromedae sidus multo fulgidissimum, quodque adeo Cassiopeam matrem obtusioribus stellis dotatam non parum praegravet. tantum abest ut fugiat ab ejus adspectu. Caesar Germanicus:

Nec procul Andromede, totam quam cernere posse
Obscura sub nocte licet: sic emicat ore,
Sic magnis humeris candet nitor.

Rufus Festus Avienus:

Namque subest, teretisque poli simul orbe notatur
Andromeda, ingenti quae semper luce coruscans
Sponte oculos in membra rapit: face denique vertex
Ardet Anhelanti, geminamque per aëra fundunt
Lucem humeri, & summis lux aestuat ignea plantis:
Ignea quin etiam per coelum cingula flagrant
Andromedae, & toto vibrant in corpore flammae.

minus multis verbis eadem dixerat Cicero, si per librarios licuisset. Petronium unius literulae mutatione eleganter emendavit Casp. Scioppius L. 2. Verisimil. C. 18. sic videlicet: *Ergo me non ruina terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare? An fugi judicium, harenae imposui, hospitem occidi, ut inter audaciae nomina mendicus, exsul, in diversorio Graecae urbis jacerem desertus?* qui hanc correctionem improbabant, vim voculae *an* non satis videntur exegisse. alia loca, ubi *aufugere* quartum sibi casum adsciscat, nemo facile produxerit ex omni Latinitate. itaque videndum etiam atque etiam amatoribus Marcelli Palingenii, (nam & ille suos sibi invenit amatores) si satis defendere possint hos ex Sagittario versiculos:

Hai ergo insidias, hoc blandum & dulce venenum
Hostis tartarei, quantum potes aufuge cautus.

aliter Tullius loquitur, Philipp. 12. C. 11. *Sed effugi insidias, perrupi Apenninum. nempe in Antonii congressum colloquiumque veniendum est,* ibidem C. 12. *Haec quoque pericula tanta si effugero, satisne tutum reditum putatis fore?*

31. ILLIS ET SILICES, ET POSSUNT CEDERE QUERCUS] Groninganus, *& silices possunt, & cedere quercus.* non male. Heinsius legebat *possint.* recte.

33. QUARE, SI PUDOR EST.] subscribo Douzae F. *ni pudor est* reponenti. nisi te pudet amoris tam abjecti. haeserat enim Ponticus in ancilla quadam sua. Catullus:

Sed tu nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.

34. DICERE QUO PEREAS, SAEPE IN AMORE LEVAT] de ratione loquendi, *quo pereas,* dictum est ad Eleg. 4. ✝. 12. *in amore levat* legitur in omnibus membranis: nam *juvat,* quod nunc habent vulgatae, primum comparuit in editione Beroaldi; sive ipsius id commentum erat, sive operarum aberratio.

tio. eſt tamen diſparitas horum verborum ſatis evidens. Cicero L. 4. ad famil. Epiſt. 4. *hoc ſtudium quotidie ingraveſcit, credo & aetatis maturitate ad prudentiam, & his temporum vitiis, ut nulla res alia levare animum moleſtiis poſſit.* L. 5. Epiſt. 13. *quarum enim tu rerum cogitatione nos levare aegritudine voluiſti, earum etiam commemoratione lenimur.* Epiſtolâ ad Caeſarem: *jam amplitudinem gloriamque tuam magno mihi ornamento eſſe & fore exiſtimo, quod me levat cura.* ita laudat Nonius in *Levare.* quem tamen in editione nupera Ciceronis ſui noluit ſequi Gronovius ὁ μέγας. Horatius Epod 11.

ingrata venis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia.

in Carmine Saeculari:

Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus.

L. 1. Epiſt. 8.

Nil audire velim, nil diſcere, quod levet aegrum.

X.

O Jucunda quies, primo quum teſtis amori
Affueram veſtris conſcius in lacrimis.
O noctem meminiſſe mihi jucunda voluptas.
O quoties votis illa vocanda meis.
Quum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus, & longa ducere verba mora.
Quamvis labentes premeret mihi ſomnus ocellos,
Et mediis coelo Luna ruberet equis:

Non

2. VESTRIS CONSCIUS IN LACRIMIS] Minucius Felix: *Sic ſolus in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus.* Cicero L. 1. ad Attic. Epiſt. 18. *qui mihi & in publica re ſocius, & in privatis omnibus conſcius, & omnium meorum ſermonum & conſiliorum particeps eſſe ſoles.*

6. VIDIMUS IN LONGAM DUCERE VERBA MORAM.]
expreſſit dulciſſimus Lotichius L. 1. Eleg. 10.

Talia narrabat, lacrimiſque fluentibus ambo
Duximus in longas triſtia verba moras.

ſed concinnius videtur quod ex Comelini libro & duobus Palatt. profert Gebhardus, *& longa ducere verba mora.* quomodo & noſtri duo, cum Borrichiano: & conſulti Lipſio L. 4. Ant. Lect. C. 11. atque etiam Scaligeri liber. Lipſiani tamen habebant *in*: non *&*: Groninganus, *& longam ducere verba moram.* ubi vocula *&* veſtigia retinet prioris lectionis. Petronius: *praecluſis deinde foribus: invado pectus amplexibus, & perfuſum os lacrimis vultu meo contero. Diu vocem neuter invenit. nam puer etiam ſingultibus crebris amabile pectus quaſſaverat.*

8. ET MEDIIS COELO LUNA RUBERET EQUIS] bene *ruberet.* multi enim è veteribus ignea eſſe credebant corpora coeleſtia. quae eſt Mureti obſervatio. eſt & *rubere* lucere, micare, nitere. Horatius L. 2. Od. 11.

Non ſemper idem floribus eſt honos
Vernis; neque uno Luna rubens nitet
Vultu.

Statius L. 1. Achill.

Scandebat roſeo medii faſtigia coeli
Luna jugo.

idem ille poëta hunc Lunae ruborem multa cum urbanitate tranſtulit ad virgineum pudorem Dianae, eodem libro, ubi Achilles in Deidamia virum orditur:

Vi potitur votis, & toto pectore veros
Admovet amplexus. riſit chorus omnis ab alto
Aſtrorum, & tenerae rubuerunt cornua Lunae.

rubebat nempe Luna, utpote virgo integra: ridebant ſtellae, quarum plurimas imminuti pudoris beneficio in coelum vexit benignitas Jovis, Bacchi, Mercurii, Neptuni.

Non tamen à veſtro potui ſecedere luſu,
  Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
  Accipe commiſſae munera laetitiae.
Non ſolum veſtros didici reticere dolores.
  Eſt quiddam in nobis majus, amice, fide.
Poſſum ego diverſos iterum conjungere amantes,
  Et dominae tardas poſſum aperire fores:
Et poſſum alterius curas ſanare recentes;
  Nec levis in verbis eſt medicina meis.
Cynthia me docuit ſemper quaecumque petenda,
  Quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.

Tu

15. DIVISOS ITERUM CONJUNGERE AMANTES] in Borrichiano *diviſos* eſt. Paſſeratius mallet *divulſos*. quod tamen non eſt melius quam *diviſos*. vera lectio eſt *diverſos*, quam habent Beroaldus & Volſcus, cum Veneta editione. nec fuerat mutanda, quum ita legatur in duobus Regiis, Groningano, noſtris duobus, & libris Lipſio ac Gebhardo collatis. *diverſi* à *divertere*, unde & *divortium*. Plautus Epid. A. 3. Sc. 3.

Divorsunt mores virgini longe ac lupae.

Caeſar L. 2. de bello Gallico: *cum Numidas diverſos diſſipatoſque in omnes partes fugere vidiſſent*. noſtri poetae locum etiam vindicaverat è codice Groningano, ſive tu malis Poſthiano, Franc. Modius Novant. Epiſt. 18. vide Gronovii notam in Senec. L. 2. de Ira C. 23.

17. CURAS SANARE RECENTES] Scaliger in ſuo libro *poenas* invenerat. ſed praeſtat vulgata. aliquando enim ſine *poenis* amor; ſine *curis* numquam, ſi quidem Maroni credis, L. 6. Aen.

Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem
Lugentes campi. ſic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus Amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylva tegit. CURAE *non ipſa in morte relinquunt.*

ſanare curas etiam Tibullus dixit L. 2. Eleg. 3. de Apolline,

Nec potuit curas ſanare ſalubribus herbis:
  Quidquid erat medicae vicerat artis Amor.

ſimiliter A. Hirtius L. 8. belli Gallici C. 37. *ipſe reliquas civitates adit: obſides plures imperat: timentes omnium animos conſolatione ſanat.* Caeſar L. 1. bell. civ. C. 35. *reliqua, quae ad eorum ſanandas mentes pertinere arbitrabatur, commemorat.* Cicero L. 12. ad Attic. Epiſt. 20. *quod etſi non diſſimulationis; ſed potius leniendi & ſanandi animi cauſſa facio.* bene noſter *recenſium curarum* medelam promittit: neque enim ignorabat inveteratas difficillime ſanari. atque hic credendum eſt peritiſſimo artifici in Remediis:

Principiis obſta. ſero medicina paratur,
  Cum mala per longas convaluere moras.
Sed propera: nec te venturas differ in horas.
  Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.
Verba dat omnis amor, reperitque alimenta morando.
  Optima vindictae proxima quaeque dies.
Vidi ego, quod primo fuerat ſanabile, vulnus
  Dilatum longae damna tuliſſe morae.

etiam huc facit, nempe ad curas recentes, inſignis locus Lucretii L. 4. ℣. 1060. ſed quem te iſtic legere malo.

20. QUAEQUE VERENDA FORENT] melius, meo palato, vulgatae *cavenda*; quod & in ſeptem libris MSS. liquido exſtat. nec movere debet quemquam τὸ *cave* in verſu proximo: quum ejuſmodi repetitionum ſexcenta exempla vel unus facile ſuppeditaverit Papinius; nec valde defugiant poetae eo etiam ipſo meliores. ſane *verenda* eſt conjectura Scaligeri, ex corrupta voce *quaerenda*. Ovidius Faſt. L. 6.

Hanc

Tu cave ne trifti cupias pugnare puellae,
Neve fuperba loqui, neve tacere diu:
Neu fi quid petiit, ingratâ fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa:
Nec meminit juftas ponere laefa minas.
At quo fis humilis magis, & fubjectus Amori,
Hoc magis effectu faepe fruare bono.
Is poterit felix unâ remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

Hanc ego cum vellem genero dare; tempora taedis
Apta requirebam, quaeque cavenda forent.
nofter L. 3. Eleg. 12.
Nec gravis aufteri poena cavenda viri.
Cicero L. 2. de Orat. C. 72. *Alterum eft illud, quod ego oratori maxime cavendum & providendum puto.* Terentius Eunuch. Act. 5. Sc. 2.
Tum pol tibi ab iftoc, hera, cavendum intellego.

28. EFFECTU SAEPE FRUARE BONO] *effecto* tres noftri, & Borrichianus, cum vulgatis. tantumdem eft. veteres enim *effectum* & *effectus* dicebant. quod & in aliis compluribus obtinuit. v. Douza Schediafin. Succidan. p. 64.

29. IS POTERIT] *Hic*, liber Comelini. *poterat*, Groninganus, & Veneta. hoc & Pafferatius vidit, ac merito inprobavit.

XI.

ECquid te mediis ceffantem, Cynthia, Bajis,
Qua jacet Herculeis femita litoribus,
Et modo Thefproti mirantem fubdita regno
Et modo Mifenis aequora nobilibus,

No-

1. ECQUID] veteres fcribebant *Et quid*, duabus vocibus non junctis. v. Gifanius Ind. Lucret. in *Et quis.* Nannius in Cicer. Orat. T. 1. P. 1. p. 575. b. Pierius in III. Aen. 341.

2. QUA JACET HERCULEIS SEMITA LITORIBUS] tangit Servius ad L. 6. Aen. ℣. 107. ad L. 7. ℣. 661. plenius Symmachus L. 1. Epift. 1. meminit cum voluptate vir faeculorum omnium memoriâ digniffimus Actius Sincerus Sannazarius L. 2. Eleg. 7. ad Junianum Majum:
Dum tibi Bajanae fpectantur ab aequore Nymphae,
Stagnaque vicinis hofpita litoribus:
Qua vetus Herculeos perduxit femita tauros,
Longius excluso concita clauftra mari,
Quaque jacet Baulos inter lucumque Sibyllae,
Et Prochytae rectum per juga tendis iter.
& nofter infra L. 3. Eleg. 16. Silius L. 12. Punicor.
docet ille tepentes
Unde ferant nomen Bajae, comitemque dediffe
Dulichiae puppis ftagno fua nomina monftrat.
Aft hic Lucrino manfiffe vocabula quondam
Cocyti memorat, medioque in gurgite Ponti
Herculeum commendat iter, quâ difcidit aequor
Amphitryoniades armenti victor Iberi.
plura funt, valde pulcra, & bene hûc facientia; fed iftic videnda.

Nostri cura subit memores ah ducere noctes?
  Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
  Sustulit è nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
  Parvula Lucrina cymba moretur aqua:
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
  Alternae facilis cedere lympha manu:

Quam

5. NOSTRI CURA SUBIT MEMORES AH DUCERE NOCTES] *abducere*, *aducere*, *adducere*, varie legitur in membranis. *traducere* in Memmii libro repererat Passeratius, quod & verum & apertum pronuntiat. ego interpretamentum puto marginale τοῦ *ducere*. sic *ducere diem* est Eleg. 14.

Seu facili totum ducit amore diem.

ducere noctem L. 4. Eleg. 6.

Sic noctem patera, sic ducam carmine.

in Groningano est *aducere*, quod minimum abit à Scaligeri lectione. rogat nimirum Cynthiam, ecquid sui Propertii memor noctem nonnumquam agat insomnem? vel, si dormiat, numquid de ipso sibi somnia fingere gaudeat? nam hae occupationes esse solent amantium longule à se disjunctorum. duos insignes Ovidii locos vide, qui sint pro mille aliis; priorem Epist. Laodamiae,

Sive latet Phoebus, seu terris altior exstat, &c.

alterum Epist. Sapphus,

Tu mihi cura, Phaon: te somnia nostra reducunt: &c.

adde & tertium Terentii Eunuch. A. 1. Sc. 2.

Dies noctesque me ames, me desideres;
Me somnies; me exspectes; de me cogites;
Me speres; me te oblectes; mecum tota sis.

adducere retinet Gebhardus: id est, inquiens, referre tecum illas noctes quas mihi impendas. credas numquam amasse hunc hominem tam frigida sententia: quam nihilominus Passeratio debet, raro benigne habito.

6. ECQUIS IN EXTREMO RESTAT AMORE LOCUS.] Passeratius: *si te non totam extremus amor occupavit.* quamquam potius ei videtur *externo amore.* quem diversa via sequuntur duo heroës, tamquam duo caeci iter baculo praetentantes. Marollius: *y-a-t'il quelque chose de reste pour un amour extreme?* nuperus interpres: *quaenam vero superest pars nobis in amore externo?* dicere debebant: ecquis mihi nunc locus restat apud animum tuum, o Cynthia, postquam tam longis viarum spatiis divisi sumus, ut ne videndi quidem ulla spes supersit, quod minimum est in amore & facillimum? unice hûc facit elegantissimus Terentii locus Eunuch. A. 4. Sc. 2.

Hem, biduum hic
Manendum est soli sine illa? quid tum postea?
Nihil est? quid, nihil? si non tangendi copia est,
Eho ne videndi quidem erit? si illud non licet,
Saltem hoc licebit: certe extrema linea
Amare haut nihil est.

vides, opinor, recte dici *extremum amorem*, qui citra ipsam extremam amandi lineam consistere cogebatur.

9. REMIS CONFISA MINUTIS] magis foret poëticum, *remo confisa minuto.* Ovidius Epist. Phyllid.

At si nostra tuo spumescant aequora remo.

Epist. Sapphus:

Factus inops, agili peragit freta caerula remo.

L. 2. Amor. Eleg. 11.

O utinam, remo ne quis freta longa moveret,
Argo funestas pressa bibisset aquas!

11. CLAUSAM TENUI TEUTHRANTIS IN UNDA] ita Scaliger correxit, quum in suo libro invenisset *Tentantis.* sane *Teutantis* etiam apud Volscum legitur, notantem, *Lacus est parvus, qui efficitur refusione Lucrini.* haec ille solita confidentia, tamquam testis oculatus. modestius aliquanto Beroaldus, qui *Tensatis* legebat. *nomen* (inquit) *esse videtur pusilli fluminis sive lacus propinqui Bajis. possumus intelligere, ibi fuisse templum Mercurii, quem prisci Teutatem vocitarunt.* sed haec longius abeunt,

Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam.
Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.

Non

eunt, neque ullo nituntur auctore. Passeratii conjectura, *te fluminis alveo*, hausta est ex faece librorum vulgatorum. nam scripti fere *teutantis*, vel *tentantis*. sed in nostro primo liquide legitur *Teutrantis*. quocirca non est cur dubitemus de veritate emendationis Scaligeranae, accedente praesertim Silii auctoritate, L. 11. de Hannibale Capuae epulante:

At quum pulsa fames, & Bacchi munera duram
Laxarunt mentem, quum fronti reddita demum
Laetitia, & positae graviores pectore curae;
Personat Euboica Teuthras testudine, Cymes
Incola, & obtusas immiti murmure saevae
Inter bella tubae, permulcet cantibus aures.

deinde etiam voce inter fila modulantem inducit:

Imprimis dulcem, Poeno laetante, per aures
Nunc voce infundit Teuthras, nunc pectine cantum.

& paulo post, finito cantico:

Sic tum Pierius bellis durata virorum
Pectora Castalio frangebat carmine Teuthras.

ei Teuthranti Silius, ut solet, nomen ab aliquo vicino flumine impertisse videri potest. neque obstat aquae ignobilitas: potuit enim clarior fuisse alia tempestate. ex nostro poeta licet colligere, nonnihil remotam fuisse ab litore Bajano. ego libenter pro euripo capiam, vel pro piscina, propter voculam *clausam*.

12. ALTERNAE FACILIS CEDERE LYMPHA MANU] *alternae*, omnes libri. unus Livineji *alterna*; quod crederet librarius τὸ *manu* esse sexti casus. atqui veteres, & in iis C. Caesar, in hujusmodi omnibus finalem *i* demi jubebant. ipse Augustus ita scribebat, teste Servio grammatico, qui ad L. 8. Aen. ℣. 696. ex libris Augusti de Vita sua haec refert: *Antonium jussisse ut legiones suae apud Cleopatram excubarent, ejusque nutu & jussu parerent.* atque ita passim Virgilius. *portuque subimus Chaonio. Armenias curru subjungere tigres. Quod nec concubitu indulgent. teque aspectu ne subtrahe nostro. Venatu invigilant pueri. Parce metu Cytherea.* neque hic deserendam sibi antiquitatem putavit excellentissimus Fracastorius Syphil. L. 1.

Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atrâ sopita jacebit
Interitu data.

videndi A. Gellius L. 4. C. 16. Pierius Valerianus Castig. ad L. 4. Georg. ℣. 198. Erythraeus indice Virgil. in *Concubitu*; in *Venatu*; in *Victu*. & praeter omnes eruditissimus Vossius L. 2. de Analogia C. 18.

13. BLANDOS AUDIRE SUSURROS] *tenues*, Groninganus codex. *haurire*, Borrichianus, unusque Gebhardi, quod is praefert. cave quidquam mutes. susurris non potest aptius epithetum dari quam *blandi*. neque istud alterum praeferendum vulgato videtur. Horatius L. 3. Od. 8. in re simili,

scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer.

15. AMOTO LABI CUSTODE PUELLA] *amota* est in duobus Regiis; utroque Colbertino; & uno nostro. quod auctoritate Palatinarum membranarum subfultum retineri jubet Gebhardus, adjecto Tibulli loco L. 1. Eleg. 3.

sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.

verum ibi sermo est de anu matre, uti patet ex ejusdem libri Eleg. 7. ad eamdem Deliam;

Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.

& haec quidem anus rectè dicitur custodire pudorem filiae, scortilli puta libertini generis, in quibus adulteria non vindicabantur, quaeque adeo custodibus servis non habebant opus. talem vero fuisse suam Deliam ipsi Tibullo adcredas oportet, loco jam laudato:

Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

de servis ingenuarum custodibus pleni sunt

poë-

Non quia perſpecta non es mihi cognita fama;
  Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignoſces igitur, ſi quid tibi triſte libelli
  Attulerint noſtri. culpa timoris erit.
An mihi non major carae cuſtodia matris,
  Aut ſine te vitae cura ſit ulla meae?
Tu mihi ſola domus, tu, Cynthia, ſola parentes,
  Omnia tu noſtrae tempora laetitiae.
Seu triſtis veniam, ſeu contra laetus amicis,
  Quidquid ero, dicam, Cynthia cauſſa fuit.
Tu modo quamprimum corruptas deſere Bajas:
  Multis iſta dabunt litora diſſidium:

Li-

poëtarum libri, comicorum in primis. unus nobis Juvenalis inſtar omnium eſto, Sat. 6.

Audio quid veteres olim moneatis amici:
Pone ſeram: cohibe. ſed quis cuſtodiet ipſos
Cuſtodes? cauta eſt, & ab illis incipit uxor.

in verbo *labi* eſt energia. Cicero L. 4. ad Attic. Epiſt. 5. *ego mehercule mihi neceſſitatem volui imponere hujus novae conjunctionis, ne qua mihi liceret labi ad illos.* noſter infra Eleg. 13.

tardis palleſcere curis
Incipis, & primo lapſus abire gradu.

16. COMMUNES NEC MEMINISSE DEOS) *metuiſſe* eſt in uno noſtro. Virgilius L. 1. Aen.

At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

pro vulgata Catullum poſſis adducere. Carm. 27.

Si tu oblitus es; at Dii meminerunt, meminit Fides,
Quae te ut poeniteat poſtmodo facti faciet tui.

clarius etiam Juvenalem Sat. 6.

Immemor illa domus, & conjugis, atque ſororis,
Nil patriae indulſit, plorantesque improba natos,
Utque magis ſtupeas, ludos Paridemque reliquit.

Communes dii ſunt Venus & Cupidines, quos communi conſenſu venerantur amator & amica. neque erat cur hic Martem, Fortunam, vel Mercurium denique, quaererent Paſſeratius, & Douza F. adpoſite Ovidius L. 2 Amor. Eleg. 5.

Haec tibi ſint mecum, mihi ſint communia tecum.
In bona cur quiſquam tertius iſta venit?

20 CULPA TIMENTIS ERIT) *timoris* habent omnes MSS. & primae editiones. quod reducendum videtur. Caecina Ciceroni L. 6. ad famil. Epiſt. 7. *Quod tibi non tam celeriter liber eſt redditus, ignoſce timori noſtro, & miſerere temporis.* deinde: *ſed, ut eodem revertar, cauſſa haec fuit timoris.* noſter quoque in fine hujus Elegiae, *crimen amoris.*

23. TU MIHI SOLA DOMUS &c.) Andromachae verba ſunt Hectorem alloquentis apud Homerum L. 6. Iliad. ỷ. 428.

23. TU, CYNTHIA, SOLA PARENTES) ita Terentianus Phaedria blanditur lenoni, Phorm. Act. 3. Sc. 2.

Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu...

& Clyte, apud Valerium Flaccum, Cyzicum deflens, L. 3.

Tu mihi qui conjunx pariter fraterque parensque
Solus, & a prima fueras ſpes una juventa,
Deſeris heu, totamque deus ſimul inpulis urbem.

quod ſane de noſtro expreſſum videtur L. 2. Eleg. 14.

Quum tibi nec frater, nec ſit tibi filius ullus,
Frater ego, & tibi ſim filius unus ego.

dixerat autem, paucis verſibus ante, Valerius:

primis conjunx ereptus in annis
Cuncta trahis; nec dum ſoboles, nec gaudia de te
Ulla mihi.

27. CORRUPTAS DESERE BAJAS] quae plurima huc congeri poſſunt, pulcre uno ver-

Litora quae fuerunt castis inimica puellis.
Ah pereant Bajae crimen amoris aquae.

verbo exhausit Cicero, orat. pro Coelio C. 11. *tibi autem, Balbe, respondebo primum precario, si licet, si fas est defendi à me eum, qui nullum convivium renuerit, qui unguenta sumserit, qui Bajas viderit.* & C. 15. *Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajas, actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia, jactant: iidemque significant, nihil se, te invita dicere.*

30. Ah pereant Bajae crimen amoris aquae.) *Bajae* pro *Bajanae*, substantivum pro adjectivo. Cicero L. 12. ad Attic. Epist. 40. *Ibi sum igitur, ubi is, qui optimas Bajas habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat.* pariter Horatius L. 2. Od. 13.

ille venena Colcha,
Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit.

ibi vulgo legitur *Colchica*, ultima syllaba in sequentem versum rejecta. sed *Colcha* in suis libris exstare, jam pridem testatum fecerunt Lambinus, Cruquius, Pulmannus: neque aliter exhibent membranae valde vetustae, & notae quasi Opimianae, quas mihi cum vulgatis contendendas dedit comitas viri optimi, eruditissimi, humanissimi, Jo. Georg. Graevii. utitur eadem figura in eadem voce Ovidius L. 8. Met.

Sed postquam Colchis arsit nova nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.

& noster *Colchum Phasin* dixit L. 3. Eleg. 21. sic montes *Dalmatae* pro *Dalmatici* apud Papinium L. 4. Silv. 7.

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatae montes?

Libro enim 3. Silv. 3. dixerat:

Quidquid ab auriferis ejectat Iberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet.

XII.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est millia lecto,
Quanta Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Nec

2. Quod faciat nobis conscia Roma moram) nihil mutant libri. Lipsius L. 1. Var. Lect. C. 10. reponit *conscia Roma notam:* in quo adsentientem sibi habet Joannem Livinejum. alia finxerunt alii. sed quid turbant? *facere moram* non minus Latine dicitur, quam *facere notam*. Roma autem fingitur *conscia* tam longae morae, figura elegante. Videtur vel Tullus, vel Gallus, aut potentium amicorum alius aliquis, Propertium rusticatum abducere voluisse: ei vero non venienti exprobrasse desidiam, & nimis mollem animum, qui tantillo tempore Urbe carere non posset, clavo Cupidinis affixus apud Cynthiam. Respondet poëta, Cynthiae consuetudinem minime omnium in caussa esse cur pergat nidum fovere; sed moerorem ex ipsius secessu Bajano contractum. nec se posse, quamvis despectum, amorem in aliam puellam transferre, quod multis remedio fuit. esse sibi in fatis, ut Cynthia, quae primus ardor fuit, sit etiam supremus. habes argumentum Elegiae, quam non ceperunt qui ei titulum fecerant AD CYNTHIAM. monere istos debuerat τὸ *illa:* quod designat notam & certam personam. vide sis Donatum ad Andr. Terent. A. 2. Sc. 1. quem & Passeratius hic laudavit.

4. Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano) *Quanta*, N. Heinsius ad L. 1. Epist. Pontic. Ovidii ℣. 21. quod amplector; quamvis ille nullam rationem dederit; quum sciam ita loqui optimos quosque scriptores. Valerius Flaccus L. 3.

Nec mihi conſuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec noſtra dulcis in aure ſonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut ſimili poſſet amare fide.
Invidiae fuimus. an me Deus obruit? an quae
Lecta Prometheis dividit herba jugis?

Non

Dii maris, attonito conclamat ab agmine Tiphys,
Ut mea fatali damnaſtis pectora ſomno!
Heu ſocii, quantis complerunt litora monſtris!
id eſt *quot*. & apud eumdem iratus Mavors, L. 5. ad Jovem:
Non opus auxilio Colchis, nec foedere veſtro:
Et Perſen ſimul, & Minyas depoſcimus hoſtes.
Quin age; quid tantae coeunt in praelia gentes?
Quid tuus Aeſonides?
id eſt *tot gentes*. Papinius L. 4. Silv. 3.
O *quantae pariter manus laborant.*
& ſub finem:
Natis longior abnepotibuſque
Annos perpetua geres juventa,
Quos fertur placidos obiſſe Neſtor,
Quos Tithonia computat ſenectus,
Et quantos ego Delium popoſci.
idem L. 11. Thebaid.
--- plebis Danaae florem, regumque verendas
Objectare animas, ut lamentabile tantis
Urbibus inducrem capiti decus.
Cicero L. 5. de Finib. *Cur ipſe* **Pythagoras** *& Aegyptum luſtravit, & Perſarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? tot maria tranſmiſit?* parum refert, ſive hic Scythiae ſit Hypanis, ſive Indiae; modo intelligas magnam locorum longinquitatem.

5. AMPLEXU NUTRIT AMORES) *complexu*, Groning. Horatius L. 1. Sat. 5.
O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt!

6. NEC NOSTRA DULCIS IN AURE SONAT) *noſtro dulcis in ore ſonat*, reponit N. Heinſius Not. ad L. 12. Metam. ℣. 430. eo quod *au* & *o* frequenter confunduntur in ſcriptis exemplaribus. ita ſane: ſed non ſemper, non ubique. hoc loco nihil debet mutari: eſt enim ſermo de Cynthia dulces poetae ſuo nugas in aurem garriente. Valerius Cato, quem *Grammaticum* vocant,
vobis mea Lydia ludit,
Vos nunc alloquitur, vos nunc adridet ocellis,
Et mea ſubmiſſa meditatur carmina voce,
Cantat & interea, mihi quae cantabat in aurem.
Vetus Poeta in Catalectis:
Delia non aliter ſecreta ſilentia noctis
Summiſſa ac tenui rumpere voce ſolet.
Non aliter teneris collum complexa lacertis
Auribus admotis condita verba dare.
Martialis L. 3. Epigr. 63.
Inter femineas tota qui luce cathedras
Deſidet, atque aliqua ſemper in aure ſonat.
& L. 5. Epigr. 62.
Neſcio quid dominae teneram qui garrit in aurem,
Et ſellam cubito dexteriore premit.
Manilius L. 5.
Quin etiam curas inter, ſecreta movebit
Carmina, furtivo modulatus murmure vocem,
Solus & ipſe ſuas ſemper cantabit ad aures.
adpoſite Lucretius L. 4.
Nam ſi abeſt, quod ames: praeſto ſimulacra tamen ſunt
Illius, & nomen dulce obverſatur ad aureis.

9. NUM ME DEUS OBRUIT? AN QUAE LECTA PROMETHEIS DIVIDIT HERBA JUGIS?) Guyetus quum putaret τὸ *num* non poſſe hic locum habere, eo quod ſemper negativa ſubintelligitur, maluit *an*; quod ipſum legitur in margine unius Colbertini. certe aliquid ulceris latere clamat diſſenſus librorum, fere vel *nunc* vel *non* habentium, ac deinde *atque* pro *an quae*. ſic & primae editiones. ſed in his tenebris habenda eſt ratio Latinitatis. Martini Delrii lectionem ſi ſequamur, res omnis in vado eſt. ille ita laudat hunc locum,

Diſ-

Non sum ego, qui fueram. mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor, & ipse meis auribus esse gravis.
Felix qui potuit praesenti flere puellae.
Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis.

Aut

Disquis. Magic, L. 3. *quis me Deus obruit? aut quae* &c. valde placet haec scriptura, modo addicerent membranae. de herba Promethea multi multa; quae huc redeunt, valere eam ad varias incantationes magicas. hoc autem loco sumitur pro odii potione, sive misetro, ut bene observavit Theod. Marcilius ad Horatium. vide Quintilian. Decl. 14. & 15. quibus titulus *odii potio.* quae Lampertus Alardus super *herba Promethea* notavit ad L. 7. Valer. Flacc. ℣. 355, ea sumsit ex Joannis Brodaei libro 3. Miscell. C. 32. sed Valerium ipsummet audiamus, pulcerrimis versibus hanc herbam describentem:

Cingitur inde sinus, & qua sibi fida magis vis
Nulla, Prometheae florem de sanguine fibrae
Caucasium promit, nutritaque gramina tabo,
Quae sacer ille nives inter tristesque pruinas
Durat alitque cruor; cum viscere vultur adeso
Tollitur e scopulis, & rostro rorat aperto.
Idem nec longi languescit finibus aevi
Inmortale virens: idem stat fulmina contra
Sanguis, & in mediis florescunt ignibus herbae.

v. Delrius Adv. in Senec. Med. ℣. 709. p. 28.

11. NON SUM EGO QUI FUERAM. MUTAT VIA LONGA PUELLAS.) Phil. Rubenius sententiam jacentem erigit distinctione, L. 2. Elect. C. 2, & adjectione particulae *an:*

Non sum ego qui fueram? an mutat via longa puellas?

certe tametsi τὸ *an* abest a MSS. tamen commode revocari potest ex postrema syllaba vocis *fueram*, quae sequentem absorbebat. frequens id & quotidianum in libris vetustis. sed cogitandum. & videtur aliud velle Rubenius, aliud versus proximè praecedens. sane multum immutant miseros sua mala, exstincto penitus omni pristino vigore. & sequitur fere animus fortunam. Ovidius L. 3. Trist. Eleg. 11.

Non sum ego quod fueram. quid inanem proteris umbram?
Quid cinerem saxis bustaque nostra petis?
Hector erat tunc cum bello certabat: at idem
Vinctus ad Haemonios non erat Hector equos.
Me quoque, quem noras olim, non esse memento.
Ex illo superant haec simulacra viro.

11. MUTAT VIA LONGA PUELLAS] pulcre Huetius in Vite, ecloga pulcerrima:

His permulsi animi, & sensim de pectore cessit
Quippe dolor, nec jam silvae placuere silentes;
Jamque petis sibi formoso solamen ab Vlmo.
Bacchum amat illa quidem, sed & Vlmum diligit illa.
Et dum Bacchus abest, praesentem diligit Vlmum.

13. NUNC PRIMUM LONGAS SOLUS COGNOSCERE NOCTES COGOR] hos amantium aestus nocturnos pulcerrime depingit Valerius Flaccus ipso initio libri 7. deinceps. ℣. 128. seqq. 194. Vide quae notavi ad Tibull. 1, 9, 64.

15. PRAESENTI FLERE PUELLAE] Heinsius malebat *puella*. perperam. Tibullus 2, 5, 103.

Nam ferus ille suae plorabit, sobrius idem.

v. Pallerat. p. 201. a. E.

16. NON NIHIL ASPERSIS GAUDET AMOR LACRIMIS] *nonnihil*, plurimum. sic Livius L. 30. C. 45. *Hunc regem in triumpho ductum Polybius, haud quaquam spernendus auctor tradit.*

Virgilius II. Geor. 125.

Et gens illa quidem sumtis non tarda pharetris.

De lacrimis, suavissimo Amoris pabulo, plurima passim invenies quâ in poetis quâ in scriptoribus Amabilium, quae volupe erit in-

Aut si despectus potuit mutare calores,
  Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est.
  Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

XIII.

invenisse. omnium pulcerrime Virgilius Ecl. 10.

Amor non talia curat.
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.

eumque imitatus praestantissimus Tassus in Amynta Act. 1. Sc. 2.

Pasce l'agna l'herbette, il lupo l'agne;
Ma il crudo Amor di lagrime si pasce,
Nè se ne mostra mai satollo.

ibi Aegidius Menagius pulcra plusculа notavit, è multis poetis bono judicio selecta. poterat & Joannis Pierii Valeriani carmen addidisse, argutum, tenerum, dulce, & ipsa quoque reperiundi difficultate commendabile.

CVPIDO FONTANVS,
in hortis illustrissimae Isabellae Mantuanae Principis.

Aqua haec, perenni quae redundat flumine,
Non est, ut ominare, venis eruta:
Non fistulatim raptus humor pensilis:
Non per meatus lympha subterraneos
Emissa plumbo prosilit foratili:
Non spiritali pulsa folle excluditur:
Sed ex amantum lacrimis, quas improbus
Pascit Cupido, manat unda jugiter.

hinc fabulae amantium in fontes solutorum. Ovidius L. 9. Metam.

Sic lacrimis consumta suis Phoebeia Byblis
Vertitur in fontem; qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominae, nigraque sub ilice manat.

sic Cleopatrae imago pone fontem jacet, cubito innixa, in hortis Vaticanis, quam luculentissimo carmine nobilitavit Balthasar Castilionius, vir undequaque summus. paucos versus delibabimus.

Quam deinde, ingenium artificis miratus IVLVS
Egregium, celebri visendam sede locavit
Signa inter veterum heroum, saxoque perenne
Supposuit lacrymas aegrae solatia mentis.

at ille fons exaruerat. quare ad Leonem decimum conversa Cleopatra ita pergit:

Annue supplicibus votis, nec vana precari
Me fine: parva peto: lacrimas pater optime redde,
Redde oro fletum: fletus mihi muneris instar,
Improba quando aliud nil jam Fortuna reliquit.

17. MUTARE CALORES] *colores*, Groning. & Borrichianus. frustra. *mutare* usitatum inprimis verbum in inconstante amore. vide quae eruditissimus Gronovius notavit Diatr. ad Statii Silv. cap. 35.

18. SUNT QUOQUE TRANSLATO GAUDIA SERVITIO] hunc versum cum priore commode illustrat Parmeno ille Terentianus Hecyr. Act. 1. Sc. 2.

Hic animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus hujus injuriis,
Paullatim elapsus Bacchidi: atque huc transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est.

19. MI NEQUE AMARE ALIAM, NEQUE AB HAC DISCEDERE FAS EST.] *Me*, Groning. pro *ab hac*, in uno Colbertino est *adhuc. desistere*, è Vaticano Livinejus notavit. quod neque ipsum probum. usus quidem est eo verbo Catullus, sed ratione nonnihil diversa, Carm. 72.

Huc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa;
Atque ita se officio perdidit ipsa pio;
Ut jam nec bene velle queam tibi, si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

& Ovidius Epistola Helenae,

At tu dissimula: nisi si desistere mavis.
Sed cur desistas? dissimulare potes.

Plautus, etiam utroque plenius, & magis ad mentem Propertii; si tamen à Propertio haec lectio est; Menaechm. A. 5. Sc. 2.

Quid tu tristis es? quid ille autem iratus abs te destitit?

Cicero III. de Offic. 3. *Itaque cum sunt docti a peritis, facile desistunt sententia.* vide quae notavi ad Tibullum 1, 9, 71.

sed vulgata recta est, nec mutandum quidquam. noster L. 3. Eleg. 23.

Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit:

L. 2. Eleg. 4.

Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus.

pro eo *abire* dixit supra Eleg. 4.

Mutatum domina cogis abire mea.

XIII.

TU, quod saepe soles, nostro laetabere casu
 Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces.
 Fallere te numquam, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
 Certus & in nullo quaeris amore moram:
Perditus in quadam tardis pallescere curis
 Incipis, & primo lapsus abire gradu.

Haec

2. QUOD ABREPTO SOLUS AMORE VACEM] pergit in eodem argumento, quo duas superiores elegias inpleverat. *solus* & *vacem* laudem habent animi fidelis, etiam in amore ingrato & violenter, ut videtur, *abrepto* a rivali potiore.

6. IN NULLO QUAERIS AMORE MORAM] optime huic Gallo convenisset cum Catulli Lesbia, eodem ingenio iisdem moribus morata. unde poeta iratus haec ei per Aurelium ac Furium vult nuntiari, amore non reversuro:

Cum suis vivat valeatque moechis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
 Ilia rumpens.

8. PRIMO LAPSUS ADIRE GRADU.] valde hic turbant libri. *primo lapsus amore gradu*, ambo Regii, Comelini membranae, & Beroaldi ac Volsci editiones, cum Veneta. unde *amare* formabat Muretus, quem Guyetus sequitur. & tamen istud *amore* huc irrepsit ex pentametro proxime praecedente, *in nullo quaeris amore moram. adire* est in utroque Colbertino, Borrichiano, uno nostro, & Groningano. idque tuendum suscepit Passeratius, ut valeat, ad eam accedere suppliciter. non placet. *abire*, quae vera est lectio, habet noster primus: quomodo conjecerat Palmerius; sed inficetissima expositione contendit *abire* hic esse mori: ipsum autem *mori*, efflictim deperire, perdite amare. melius Livinejus; & Schoppius L. 4. Verisimil. C. 6. quos sequi debebat interpres Parisinus, nisi jurasset in Passeratii verba. translatio est a re gladiatoria petita. Cicero L. 16. ad Attic. Epist. 15. *Leptae literarum exemplum tibi misi: ex quo mihi videtur* στρατύλλαξ *ille dejectus de gradu.* & pro Caecina C. 15. *Non ea sola vis est, quae ad corpus nostrum vitamque pervenit, sed etiam multo major ea, quae, periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco saepe & certo de gradu demovet.* L. 1. de Offic. C. 23. *Fortis vero & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; sed praesenti animo uti & consilio, nec a ratione discedere.* v. Seneca Agamemn. ℣. 515. 549. Petronius: *intorto circa brachium pallio, composui ad praeliandum gradum.* Seneca Consol. ad Polyb. C. 25. *in multa luce fortuna te posuit: omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere: utrumne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris.* quae verba repetit Oedip. ℣. 85.

 regium hoc ipsum reor,
Adversa capere: quoque sit dubius magis
Status, & cadentis imperii moles labat;
Hoc stare certo pressius fortem gradu.

Cicero *statum* vocat, orat. pro Cluent. C. 38. *quorum ego de sententia non debeo disputare. neque enim dubito, quin ii tales viri, sus-*

Haec erit illarum contemti poena doloris:
  Multarum miseras exiget una vices.
Haec tibi vulgares istos compescet amores.
  Nec nova quaerendo semper amicus eris.
Haec ego non rumore malo, non augure doctus;
  Vidi ego. me, quaeso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
  Et flere injectis, Galle, diu manibus:
Et cupere optatis animam deponere labris,
  Et quae deinde meus celat, amice, pudor.

Non

picione aliqua perculsi repentina, de statu suo declinarint. de Provinc. Consular. c. 17. *Qui cum me firmissimis opibus contra scelus inimicorum munire, & populares impetus populari praesidio propulsare possem; quamvis excipere fortunam, subire vim atque injuriam malui, quam aut a vestris sanctissimis mentibus dissidere, aut de meo statu declinare.* & D. Laberius, apud Macrobium L. 2. Saturn. c. 7.

Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas
Movere potuit in juventa de statu,
Ecce in senecta ut facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submissa placide blandiloquens oratio!

vide sis Lipsium L. 2. Saturn. C. 20. & Gronovium ad Senec. Agamemn. ℣. 515. p. 565. b.

10. MULTARUM MISERAS EXIGIT UNA VICES] *exiget*, liber Groninganus, cum Borrichiano. quod verum est. τὸ *vices* bene explicavit Passeratius, cui addere potes Barthium Animadv. ad L. 4. Thebaid. Statii ℣. 620. ubi & hic nostri locus illustratur. Cicero Accus. 1. in Verr. C. 44. *nos si alienam vicem pro nostra injuria doleremus, vestigium istius in foro non esset relictum.*

10 MISERAS] puto *feras.*

11. VULGARES ISTOS COMPESCET AMORES] *componet* malebat Livinejus, ex Vaticano; quod sit, sepeliet. ei accedit Gebhardus not. ad L. 3. Eleg. 16. nihil tale in nostris. *compescere* est coercere, cohibere, intra fines suos continere. neque erat ullum aptius verbum pro mente poetae. Virgilius L. 3. Georg.

continuo culpam ferro compesce: priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

Tibullus L. 1. Eleg. 2.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores.

Ovidius L. 4. Trist. Eleg. 6.

Tempore Poenorum compescitur ira leonum.

& Remed. Amor.

Non potuit Minos hominis compescere pennas.

Metam. L. 2.

Saevis compescuit ignibus ignes.

& L. 4.

Ut lea saeva sitim multa compescuit unda.

compescere clamorem, mare, mentem, animum, Horatius dixit: *compescere labellum*, Juvenalis. sed modus esto exemplorum. jamne *amores compescere* deterius habebitur quàm *componere*, sive sepelire?

16. ET FLERE INJECTIS, GALLE, DIU MANIBUS] quid praedices de acumine Barthii, qui L. 25. Adv. C. 4, *manicis* hic mavult, prae *manibus*, quum vinctum hominem (ita ait) loquatur poeta? quaeso, an sine manibus injecerat Gallus brachia sua puellae collo? multa huc congeri possunt (sed non est necesse) ex Lucretii libro quarto, parte extrema, quibus infringantur *manicae* Barthianae.

17. OPTATIS ANIMAM DEPONERE VERBIS] non dubitat Scaliger quin Propertius scripserit *membris*, cui adsentitur Douza. atqui si pudor suus celare jussit poetam nonnihil nugarum; ubi erat is in foedum istud *membris* scribente? nam quamvis poeta Annianus, aliique ejusdem Musae viri summis assiduisque laudibus hos Virgilii versus ferebant, ex 8. Aen.

ea

Non ego complexus potui diducere vestros:
Tantus erat demens inter utrosque furor.
Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore Deus.
Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab Oetaeis gaudia prima jugis.
Una dies omnes potuit praecurrere amantes:
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.
Nec tibi praeteritos passa est succedere fastus:
Nec sinet abduci: te tuus ardor aget.
Nec mirum, quum sit Jove digna, & proxima Ledae,
Et Ledae partu, gratior una tribus.

Illa

ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem:
tamen *membra* ibi nominasse, haud impune fuit Virgilio per Annaeum Cornutum. insulsam quidem illam, & odiosam, scrutationem vocat Gellius L. 9. C. 10. ego autem puto, si quis hodie Annaeus Cornutus contenderet, Propertium, si hic scripserit *membris*, paullo incautius scripsisse; puto, inquam, eum hominem neque insulse facturum, neque odiose. Passeratius e veteribus libris reducit *labris*. optime. vide notas Nic. Heinsii ad Ovid. L. 10. Met. ℣. 559. & ad Claudiani Epithal. Palladii ℣. 132. Hos amantium furores nemo praepinxerit melius, dulcius, venustius, nostro Secundo, Bas. 13. adde Gellium L. 19. C. 11. nam adductos istic Platonis versiculos haud dubiè in animo habuit noster Umber.

21. ÆEMONIO SALMONIDA MIXTUS ENIPEO] Propertium hic aut memoria lapsum, aut nominum similitudidine deceptum fuisse, notat Muretus p. 180. sed Propertium bene defendit Lud. Carrio Schol. in Valer. Flacc. p. 195.

24. SENSIT IN OETAEIS GAUDIA PRIMA JUGIS] verissime Scaliger correxit *ab Oetaeis*. nam Hercules Heben in coelo duxit uxorem, factus jam Deus, postquam in monte Oeta arsisset. Catullus Carm. 65.

Pluribus ut coeli tereretur janua divis,
Hebe nec longa virginitate foret.

Valerius Flaccus L. 8.

Qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto subit, aut dilecta Cythera;
Seu cum coelestes Alcidae invisere mensas
Jam vacat, & fessum Junonia sustinet Hebe.

Papinius L. 3. Silv. 1. Hercule Surrentino:

Sive tui solium Jovis, & virtute parata
Astra tenes, haustumque tibi succincta beati
Nectaris, excluso melior Phryge, porrigit Hebe.

apud inferos se idolum Herculis vidisse Ulysses narrat L. 11. Odyss. ipsum vero Herculem apud Deos immortales oblectari in conviviis, uxoremque habere Heben formosissimam, Jovis ac Junonis filiam. atque ita etiam auctor exigui Hymni in Herculem. Jovianus quoque Pontanus eas nuptias in celebritate factas ostendit, non in solitudine Oetaea, L. 1. Amor. Conjug.

Qualis ab Herculeis surgens complexibus Hebe
Visa est erepta virginitate queri:
Cum lacrimis suffusa genas, inpexa capillum,
Non oculos coram est ausa levare suos.

28. NEC SINET ABDUCI] non sinet te praedam fieri alterius puellae. recte haec interpretatur Passeratius: quare piget referre delirium Palmerii, quod tamen qui ringi expetit, omnino debet videre. Douza F. in libro Modii legi dicit *adduci*. cave credas: nam in eo legitur *aduci*, quomodo & in excerptis Lernutii, qui putat *aduci* idem notare quod *minui*. omnia extra lineas.

Illa sit Inachiis & blandior Heroinis,
  Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu vero quoniam semel es periturus amore,
  Urere. non alio limine dignus eras.
Quae tibi sit felix, quoniam novus incidit error:
  Et quotcumque voles, una sit ista tibi.

34. UTERE: NON ALIO LUMINE DIGNUS ERAS.] *Utere* habent octo MSS. melius est *Urere*, proprium amoris verbum, quod jam olim occupavit editiones puriores. Sulpicia:

Uror ego ante alias: juvat hoc, Cerinthe, quod uror.

Tibullus L. 2. Eleg. 4.

Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.
  Uror, io, remove, saeva puella, faces.

ibidem Eleg. 6.

Ure puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit.

tum in nostris septem, & in uno Gebhardi, erat *limine.* optime. *non alio limine dignus eras*, non alia domo in qua amares, non alia domina. noster supra Eleg. 4.

Et te circum omnes alias irata puellas
  Differet: heu nullo limine carus eris.

& L. 2. Eleg. 18.

At nullo de me teritur sub limine amor, qui
  Restat, & immerita negligit aure minas.

L. 3. Eleg. 22.

Limina jam nostris valeant lacrimantia verbis.

Tibullus L. 2. Eleg. 1.

  hic dicere jussit
Limen ad iratae verba pudenda senem.

Catullus Carm. 65.

Isque domum nobis, isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores,
  Quo mea se molli candida diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
  Innixa, arguta constitit in solea.

Terentium omitto, & Horatium, ac Nasonem: apud quos creberrima *liminis* commemoratio in his ipsis negotiis.

36. ET QUODCUMQUE VOLES,] arguta est lectio Douzae P. *quotcumque:* ut dicat poeta, sit haec instar omnium, & quasi pro multis millibus una tibi. laudo, & amplector. sic paullo supra dixerat,

Multarum miseras exiget una vices.

& L. 2. Eleg. 19.

Quum satis una tuis insomnia portet ocellis,
  Una sit & cuivis femina multa mala.

literam *d* facile transire in *t*, idque vicibus commutatis, non est cur multis moneamus.



XIV.

XIV.

TU licet abjectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere:
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
Et modo tam tardas funibus ire rates:
Et nemus omne satas intendat vertice silvas,
Urgetur quantis Caucasus arboribus:

Non

Et hanc Elegiam, & simul tertiam Tibulli L. 3. eleganter ac venuste imitatus est noster Secundus L. 1. El. 2. sed ita imitatus, ut cum utroque poëta in certamen descendere videatur. quod profecto majus est quiddam, quam ut exspectes ab homine Batavo, cui ad delicias atque amoenitates poeticas adspiranti obstare debebant patriarum paludum nebulosus aër, & damnatum frigoribus coelum. ita sane de Secundo nuper statuit Bajuletus quidam, homo insigniter subtilis, callidusque ac vafer, nec vanus judex poetarum: *On voit par tous ces ouvrages, que Secundus avoit l'esprit fort beau, fort agreable, & fort enjoué. Ce qui est d'autant plus remarquable, qu'il étoit né dans un climat qui ne paroist point favorable à la gentilesse d'esprit, qui est necessaire à ceux qui veulent reüssir dans la belle poësie.* unde igitur fieri putemus, ut sub illo liquidissimo Galliae coelo nascantur Bajuleti ac Philippi Silvii?

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum-
Quodque caput vultu mutabilis, albus, & ater.

2. LESBIA MENTOREO VINA BIBAS OPERE.] non sine elegantia omisit praepositionem *ex*, vel *in*. Virgilius L. 2. Georg.

Hic petit excidiis urbem, miserosque Penates
Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Seneca de Provid. Cap. 3. *Male tractatum Socratem judicas, quod illam potionem publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, ... quanto magis huic invidendum est, quam illis quibus gemma ministratur?* aliter, quam Virgilius, extulerat L. Varius apud Macrob. L. 6. C. 1,

Incubet & Tyriis, atque ex solido bibat auro.

& noster L. 3. Eleg. 3,

Nec bibit è gemma divite nostra sitis.

5. ET NEMUS OMNE SATAS INTENDAT VERTICE SILVAS] *sacras*, non *satas*, malebat Livinejus, correctione minus necessaria: neque enim omne nemus sacrum. arbores intelligit, quae (ut Maro loquitur) posito surgunt de semine, quales sunt castanea, aesculus, quercus. ideo *satas* vocat. Cicero lib. de Senect. C. 17. *ei Cyrum respondisse: Atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae.* Horatius L. 3. Od. 10.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra satum tecta remugiat
Ventis?

ita illic meliores libri: nam in vulgatis *situm* est. Festo interprete, *nemora* sunt silvae amoenae. Ea in lucorum morem disponebant. Tibullus L. 3. Eleg. 3.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

silvas dici etiam singularias arbores, bene ostendit Passeratius. cui addere potes Barthii notam ad Statii L. 2. Theb. ℣. 248. & Statium ipsum L. 6. ℣. 280,

Tantalus inde parens, non qui fallentibus undis
Imminet, aut refugae sterilem rapit aëra silvae,
Sed pius, & magni vehitur conviva Tonantis.

ibi Lutatius: STERILEM RAPIT. *id est, qui fugientibus pomis vacuum rapit aëra. ergo hic silvam posuit pro arboribus. unde Virgilius, Pomaque & Alcinoi silvae.* vix bene discernas quamnam obscuritatem in his versibus se-

Non tamen ista meo valeant contendere amori.
  Nescit Amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit illa quietem,
  Seu facili totum ducit amore diem:
Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
  Et legitur rubris gemma sub aequoribus.
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges:
  Quae maneant, dum me fata perire volent.

Nam

dispulisse credat Schoppius L. 3. Verisim. C. 4. nisi si *intendere* pro augere positum est adeo obscurum.

9. MECUM TRAHIT ILLA QUIETEM] nimis argutatur Passeratius, dum *trahere quietem*, sive *noctem*, exponit, contrahere & breviorem efficere, quia nox non possit videri satis longa fruentibus amore suo. *trahere quietem* hic est idem cum Virgiliano *ducere somnos*, L. 4. Aen. ubi Mercurius Aeneae:

Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec, quae circumstent te deinde pericula, cernis?

ita Horatius dixit *trahere pocula*; quod alii *ducere, educere, perducere, obducere*; Epod. 14.

Pocula Letheos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim.

auctor Herculis in Oeta ℣. 645.

Caespes Tyrio mollior ostro
Soles inpavides ducere somnos:
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes,

& commutantur fere haec duo verba inter se.

10. TOTUM DUCIT AMORE DIEM] istud *ducere diem* belle illustravit Vir summus Jo. Geor. Graevius notis in Cicer. L. 5. ad Attic. Epist. 21.

14. DUM ME FATA PERIRE VOLENT] dura atque inauspicata locutio, quâ religiose abstinebant homines Romani. neque ego umquam credam ita fuisse scriptum à poëta. Vir Clarissimus Petrus Francius, quo est judicio ex longa poëticae artis meditatione, putabat legi debere,

Quae maneant, dum me fata manere volent.

arguta repetitione verbi *manere*, & plane Ovidiana. sed quia hoc longius abit à ductu literarum, cogitemus si *venire* commode substitui potest. sic *venire* erit abire, venire in communem locum. Ovidius Epist. Didûs:

Est mihi marmorea sacratus in aede Sichaeus:
Appositae frondes velleraque alba tegunt.
Hinc ego me sensi noto quater ore citari:
Ipse sono tenui dixit, Elissa, veni.
Nulla mora est; venio. venio tibi debita conjux:
Sed tamen admissi tarda pudore mei.

huic verbo hac notione sumto respondet *vocare*, quod est Mortis & Fatorum. Auctor Herculis in Oeta ℣. 1725.

Vocat ecce jam me genitor, & pandit polos.
Venio, venio, pater.

hinc voces per noctem, aut secundum quietem auditae, omina credebantur mortis propinquae. Virgilius L. 4. Aen.

Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis, & festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces & verba vocantis
Visa viri; nox cum terras obscura teneret:

Tacitus L. 1. Ann. C. 65. *ducemque* [A. Caecinam Severum] *terruit dira quies. nam Quinctilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum, cernere & audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, & manum intendentis reppulisse.*

Tibullus L. 3. Eleg. 3.

Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

Ovidius, loco laudato:

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Maeandri concinit albus olor.

Seneca Epist. 78. *Si mors accedit, & vocat, licet immatura sit, licet mediam praecidat aetatem: perceptus longissime fructus est.* & L. 2. Quaest. Nat. C. 59. *Alia fortuito disponuntur:*

mors

Nam quis divitiis adverſo gaudet amore?
Nulla mihi triſti praemia ſint Venere.
Illa poteſt magnas heroum infringere vires:
Illa etiam duris mentibus eſſe dolor.
Illa neque Arabium metuit tranſcendere limen,
Nec timet oſtrino, Tulle, ſubire toro:
Et miſerum toto juvenem verſare cubili.
Quid relevant variis ſerica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera deſpicere.

mors omnes aeque vocat. ſic & *poſcere*, & *jubere*, & *citare* fatorum & mortis propria ſunt. Petronius, in matrona Epheſina: *Quid proderis, inquit, hoc tibi, ſi ſoluta inedia fueris? ſi te vivam ſepelieris? ſi, antequam fata poſcant, indemnatum ſpiritum effuderis?* Seneca Herc. Fur. ℣. 189.

Nulli juſſo ceſſare licet,
Nulli ſcriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos.

itaque neceſſe habent *venire.* ſed videbunt doctiores.

16 TRISTI VENERE] iratâ, averſâ. Gulielmius in Plaut. Amphitr. C. 1. p. 4.

19. CONSCENDERE LIMEN,] *tranſcendere* habent ſeptem libri, & veteres editiones. idque videtur efficacius. ſic Horatius dixit *curas laqueata circum tecta volantes*, L. 2. Od. 16. nempe quae limen tranſcendere veritae non fuerant, & cum domino pernoctabant. erant iſta ſuperba civium potentiorum limina in multos gradus exſtructa, pretioſis ac longe petitis marmoribus. ideo *tranſcendere* dixit; quod verbum eſt laboris ac moliminis. Cicero Orat. 4. in Catil. C. 3. *Latius opinione diſſeminatum eſt hoc malum. manavit non ſolum per Italiam, verum etiam tranſcendit Alpes.* Somn. Scip. C. 6. *Ex his ipſis cultis notisque terris, num aut tuum aut cujuſquam noſtrum nomen vel Caucaſum hunc, quem cernis, tranſcendere potuit, vel illum Gangem tranſnatare?* Juſtinus de Agathocle XXIII. 1. *Dein, quaſi anguſtis inſulae terminis clauderetur, cujus imperii partem primis incrementis ne ſperaverat quidem, in Italiam tranſcendit.* Caeſar L. 3. Bell. Gall. C. 15. *Disjectis antennis, quum ſingulas binae aut ternae naves circumſiſterent, milites ſummâ vi tranſcendere in hoſtium naves contendebant.* hinc ad multa alia transfertur. ſuppoſitum *conſcendere* primum comparuit in exemplaribus Colinaei Pariſinis A. 1529. neque enim vidi in illis anterioribus. quinimo veram lectionem tanto poſt tempore & Gryphianae editiones ſervarunt, & Plantinianae.

22. VARIIS SERICA TEXTILIBUS?] Nic. Heinſius Not. ad Claudian. L. 1. in Eutrop. mallet *Phariis.* quod argutum eſt, nec tamen neceſſarium. *varium* eſt pictum, diverſis coloribus diſtinctum. in promtu ſunt exempla.

24. VEL ALCINOI MUNERA] *nec Alcinoi* conjiciebat vir Clariſſimus P. Francius. recte. ſic deinde in quinque codicibus ſcriptum offendi.

XV.

SAepe ego multa tuae levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adſpice me quanto rapiat Fortuna periclo:
Tu tamen in noſtro lenta timore venis.
Et potes heſternos manibus componere crines,
Et longa faciem quaerere deſidia.
Nec minus Eois pectus radiare lapillis,
Ut formoſa novo quae parat ire viro.

At

1. SAEPE EGO MULTA TUAE LEVITATIS DURA TIMEBAM] valde hic turbant libri, *jura* aliis, aliis *damna*, aliis *ſigna*, pluribus tamen *dura* praeferentibus: quod Lipſius accipit vocandi caſu, L. 4. Ant. Lect. C. 11. ut illud, *Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas.* non perſuadet. *multa dura* priſcae elegantiae eſt, quale illud Catulli *multa jocoſa*, Carm. 8.

Ibi illa multa tum jocoſa fiebant,
Quae tu volebas, nec puella nolebat.

& noſtri *multa aſpera*, L. 1. Eleg. 18.

Qamvis multa tibi dolor hic meus aſpera debet.

Valerius Flaccus L. 4. ỳ. 35.

Surge, age, & in duris haud umquam deſice; coelo
Mox aderis; teque aſtra ferent.

& L. 7. ỳ. 95.

quamquam mihi dextera, nec ſpes
Deſuerit mox juſſa pati; nec cedere duris.

Seneca Hippol. ỳ. 464.

Hoc eſſe munus credis indictum vires,
Ut dura tolerent, curſibus domitent equos,
Et ſaeva bella Marte ſanguineo gerant?

pulcre antiquitatem expreſſit, ipſe antiquis poëtis ſolo tempore minor, Hieronymus Fracaſtorius Syphil. L. 1.

En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lacrymae planctuſve forent, en dura tot inter,
Spes Latii, ſpes & ſtudiorum, & Palladis illa
Occidit.

4. TU TAMEN IN NOSTRO LENTA TIMORE VENIS] *furore*, unus Gebhardi, & noſter ſecundus, cum Borrichiano. ſed potior eſt vulgata ſcriptura. jure enim timet, cui certum imminet periculum.

5. EXTERNOS MANIBUS COMPONERE CRINES] *externos* habent multi codices. neque de ejus vocis veritate dubitarunt Beroaldus & Volſcus. *heſternos* malebat Lipſius L. 4. Ant. Lect. C. 11: cum Livinejo: & Nic. Heinſius ad Ovid. L. 3. Artis Amat. ỳ. 154.

Et neglecta decet multas coma. ſaepe jacere
Heſternam credas: illa repexa modo eſt.

ſane *heſternos* eſt in uno noſtro, inque uno Colbertino. quae de adſcititiis mulierum crinibus multa dici poſſunt, jam tum Romae familiaribus, pauci ignorant. ſed procul hoc probrum fuiſſe ab Cynthia, vel unus ille verſiculus doceat L. 1. Eleg. 17.

Illa meo caros donaſſet funere crines.

caros vocat, utpote circa quorum colendorum ſtudium tantum non inſaniebant puellae. adoptivas autem comas in funus imponi ſolitas, neque pictum, neque fictum, neque ſcriptum eſt in poëmatis. Nec ſane heri aut nudius tertius *externus* & *heſternus* confundi coeperunt in membranis. ecce inſignem locum Servii ad L. 8. Aen. ỳ. 543.

Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat: heſternumque larem parvoſque penates
Laetus adit.

HESTERNUM LAREM, *cui pridie ſacrificaverat, & eſt iteratio. nam male quidam* EXTERNUM *legunt, id eſt, extraneum.*

7. EOIS PECTUS VARIARE LAPILLIS] in mem-

At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo
Deſertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis moeſta capillis
Sederat, injuſto multa locuta ſalo.
Et, quamvis numquam poſthac viſura, dolebat
Illa tamen longae conſcia laetitiae.
Alpheſiboea ſuos ulta eſt pro conjuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.
Nec ſic Aeſoniden rapientibus anxia ventis
Hypſipyle vacuo conſtitit in thalamo.
Hypſipyle nullos poſt illos ſenſit amores,
Ut ſemel Aemonio tabuit hoſpitio.
Conjugis Euadne ſeros elata per ignes
Occidit Argivae fama pudicitiae.

Qua-

membranis Comelini, monente Gebhardo, erat *pectus radiare*, antiquae elegantiae verbo. uſus eo eſt Ovidius L. 3. Pont. Epiſt. 4.

Scuta ſed, & galeae, gemmis radientur & auro.

Lucanus L. 7.

Miles ut adverſo Phoebi radiatus ab ictu
Deſcendens totos perfudit lumine colles.

Florus L. 4. C. 2. *aliquid tamen adverſus abſentem ducem auſa Fortuna eſt, circa Illyricum & Africam, quaſi de induſtria, ut proſpera ejus adverſis radiarentur.* Poeta antiquus in collectione Pithoeana:

metam Sol eminus exit,
Interquetque peplum Noctis, radiatque ſororem.

itaque revocandum cenſeo verbum veteris ac probae monetae.

21. CONJUGIS EUADNE MISEROS ELATA PER IGNES] cogitabam aliquando pro *miſeros* reponi poſſe *miſtos*, ſive *mixtos*; atque hujus mutationis fundum mihi fingebam Naſonis locum L. 3. Artis Amat. ipſo initio:

Accipe me, Capaneu, cineres miſcebimus, inquit
Iphias: in medios deſiluitque rogos.

itemque alterum noſtri L. 2. Eleg. 7. ubi de Haemone,

Et ſua cum miſerae permiſcuit oſſa puellae.

& L. 4. Eleg. 7.

Mecum eris, & mixtis oſſibus oſſa teram.

neque ignorabam ſaepe ita turbare librariorum inſcitiam, & geminum germanum mendum haerere in antiquis Manilii editionibus, L. 5.

nec parce vina recepta
Hauriet è miſeris, & fructibus ipſe fruetur,
Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.

ubi nunc, Scaligeri beneficio, legitur *Hauriet emiſcens.* Sed muto mentem, poſtquam video Heinſium in notis ad Velleji lib. 2. C. 87, correxiſſe *ſeros. Seri ignes*, qui & *ſupremi* & *extremi* dicuntur. arſit itaque Euadne mariti Capanei rogo; non ſuo; quum potuiſſet tardiores colos exſpectare, niſi maluiſſet amori ſuo ipſam quoque vitam impendere. Martialis L. 4. Epigr. 75.

Arſerit Euadne flammis injecta mariti.

eadem ratione, qua hic *ſeros ignes* dixit, *ultimum lapidem* habemus infra Eleg. 17, pro eo qui tegit ſepulcrum:

Illic ſi qua meum ſepeliſſent fata dolorem,
Ultimus & poſito ſtaret amore lapis.

extremum rogum Eleg. 19:

Nec moror extremo debita fata rogo.

ſerum autem vocabant, quidquid ultimum erat atque extremum. Virgilius L. 1. Geor.

Noſque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina Veſper.

 nimi-

Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis,
Cynthia, & oblitos parce monere Deos.

Audax

nimirum sole ibi occaso. Horatius L. 1. Od. 15.

serus adulteros
Crines pulvere collines.

ita *serum diei*, quasi morientis & jam jam exstinguendi. Livius L. 7. C. 8. *Usque ad castra fugientes Hernicos Romanus sequitur: castrorum oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere.* Tacitus L. 2. Annal. C. 21. *Jamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris: ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt.*
Seneca Herc. fur. ℣. 672.

nocte sic mixta solet
Praebere lumen primus aut serus dies.

vide ibid. ℣. 728. 732.
istud *serum* etiam apud alios transiit in *miserum.* apud Valerium Flaccum locus fuit haud ita pridem naufragiis doctorum infamis L. 2. Argon.

talin' possum te credere puppi,
Care parens? possum tantis retinere periclis?
Solvimus heu miserum furtis scelus.

vide mihi hariolationes interpretum. Sed bene, quod doctissimi Gronovii perspicacia expedivit rem male intricatam, eruitque germanam poetae scripturam,

Solvimus heu serum Furiis scelus.

adi tu ad L. 4. Observ. C. 12, viri laudatissimi. ubi mendum idem e Martiale quoque tollitur, & Persio, ac Silio Italico. v. Heinsius ad Valer. Flacc. II. 234. p. 235. &, nisi animi fallor, apud eumdem Valerium etiam nunc haeret L. 3. ℣. 273.

deus haec, deus asper utrisque
Implicuit. sumus heu Minyae, sumus hospita turba!
Cur etiam flammas, miserosque moramur honores?

qui sunt isti *honores miseri*? omnino scribendum videtur *serosque moramur honores. seri honores*, officium funebre: id quod nostrates eleganter vocant *de laatste eer.* & *honoris* vocabulum in hac re vel maxime proprium est. Virgilius L. 10. Aen. 493.

Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior.

L. 11. ℣. 23.

Interea socios inhumataque corpora terrae
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.

apud poëtam semipriscum Wiponem, in panegyrico ad Henricum III. imp. legitur.

Ex nostris monitis callebat Statius auctor
Thebanos juvenes miseris discernere flammis.

in quo quidem mendum agnoscit Barthius, & pro genuina scriptura reponit *mistis*, ut sit flamma ex uno rogo diversa surgens, L. 11. Adv. C. 2. Verum quomodo flamma diversa possit dici *mista*, non satis adsequor. itaque verius putem *seris*, h. e. rogalibus. Sane *mistis* quo minus legamus, ipse intercedit Papinius L. 12. Theb.

primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena bustis
Pellitur: exundant diviso vertice flammae.

atque hic est ille locus, quem adlusit Wibo.

25. REVOCARE TUIS PERJURIA VERBIS] pro satisfactione accipit elegantissimus Livinejus; qualis illa apud Comicos, *jurare nolle se factum.* perperam, & praeter mentem poëtae. desine, inquit, o Cynthia, novis iterum perjuriis perfidum caput obligare, ne Dii saepe derisi ac ludibrio habiti tandem aliquando vindicent numina sua toties laesa. *revocare* idem valet quod *renovare*, monitum pridem Passeratio ad hunc locum, & Erythraeo indice Virgil. in *Revocato a sanguine Teucri.*

26. OBLITOS PARCE MOVERE DEOS] *movere*, inquit Gebhardus, *hic est κινεῖν, & qui obdormiverunt motu excitantur.* idque firmat loco Claudiani ex libri 3. de R. P. *motae somnum excussere catenae.* atqui Propertius non dicit Deos obdormivisse: sed vero nimia quadam lenitate connivere ad perjuria priora, & velut oblitos esse temeratae majestatis; qui si novo aliquo facinore admoneantur, ve-

rer.

Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labantur flumina ponto,
Annus & inversas duxerit ante vices:

Quam

rendum fore ne ad severam excitentur vindictam. vides quam apte respondeat ad *oblitos τῷ monere:* ita enim legendum: quod ante me Passeratius viderat. turbant in eodem verbo non semel codices Virgiliani: ut notavit Pierius ad Geor. L. 1. ℣. 351. ad Aen. L. 3. ℣. 187. 684. ac Servius ad L. 7. ℣. 641. erat & in Cicerone idem mendum, Accus. 1. in Verr. C. 59. *Quis a signo Vertumni in circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur?* ut hodie recte legitur, ejecto vetere isto *commoveretur* a Dionysio Lambino. neque recte hodie legitur in oratione pro P. Sextio, C. 42. *an qui sua tecta defendit: qui ab aris focisque ferrum flammamque depellit: qui sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, in curia: qui vitae praesidium comparat: qui vulneribus, quae cernit quotidie toto corpore, movetur, ut aliquo praesidio caput & cervices, & jugulum ac latera tutetur, hunc de vi accusandum putas?* non recte, dico: nam *monetur* in veteribus membranis invenerat idem ille Lambinus; & sensus ipse ita efflagitat. quod si quem *movere* hic magis delectat; is capiat pro lacessere, sive irritare. Horatius Epod. 17.

Per & Dianae non movenda numina.

Porphyrio: *hoc est, non lacessenda ut moveantur & tractantur.* sed, ut dixi, omnino aptius est ac verius nostrum *monere.* Cicero pro M. Fontejo C. 17. *Nolite pati, judices, aras Deorum immortalium, Vestaeque Matris quotidianis virginis lamentationibus de vestro judicio commoneri.*

28. SI QUID FORTE TIBI DURIUS INCIDERIT.] unice huc facit elegans epistola apud Aristaenetum, quae nona est libri secundi. pro *inciderit*, vidi qui magnopere contenderet *acciderit* esse scribendum, eo quod verbum hoc apud bonos scriptores ferè occurrat in rebus malis. sed non est opus: nam & isto altero sic utuntur. Terentius Heaut. Act. 2. Sc. 4.

Hoc beneficio utrique ab utrisque verò devincimini:
Ut numquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.

Cicero L. 5. ad famil. Epist. 17. *cogitaresque, & in nostra civitate, & in ceteris quae rerum potitae sunt, multis fortissimis atque optimis viris injustis judiciis tales casus incidisse.* & L. 1. de Orat. C. 7. *Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata, & commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent.* Ovidius L. 4. Trist. Eleg. 5.

Sic aequet tua nupta virum bonitate perenni;
Incidat & vestro rara querela toro.

Seneca lib. de Vita Beata C. 15. *Quae autem dementia est, potius trahi quam sequi? tam mehercule, quam stultitia & ignorantia conditionis suae, dolere, quod est aliquid tibi aut incidit durius.*

29. MULTA PRIUS VASTO LABENTUR FLUMINA PONTO] nihil certius correctione Mureti, *Muta prius.* flumina prius sine ullo strepitu in mare devolventur. illum strepitum fluviorum mare inlabentium pulcre praepingit Homerus L. 6. Iliad. ℣. 396. L. 17. ℣. 263. L. 21. ℣. 190. aquae vero tranquillae eleganter Latinis dicuntur *mutae.* Plautus Milit. Act. 3. Sc. 1.

Opus ne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me.
Opus leni? leniorem dices, quam mutum est mare.

Seneca Herc. Fur. ℣. 535.

Calcavitque freti terga rigentia,
Et mutis tacitum litoribus mare.

Papinius L. 4. Silv. 3.

Qualis Cinyphius tacente ripa
Poenos Bagrada serpit inter agros.

de Scythiae fluviis in glaciem induratis Valerius Flaccus L. 6. ℣. 100.

Hiberni qui terga Noae, gelidumque securi
Eruit, & nota non audit Alazona ripa.

sic *mutus* ager dicitur eidem poetae late silens, L. 4. Silv. 5.

Nam

Quam tua sub nostro mutetur pectore cura,
Sis quodcumque voles, non aliena tamen.
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos saepe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, siquid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere solem?
Nec tremis admissae conscia nequitiae?

Quis

Non mille balant lanigeri greges,
Non vacca dulci mugit adultero:
Unique (si quando) canenti
Mutus ager domino reclamat.

& *mutus* canis, qui feram indagat sine latratu, L. 2. Achill.

velut ille cubilia praedae
Indubitata tenent muto legit arva molosso
Venator.

ibi olim *multo* legebatur; sicut & *multis* in tragici loco laudato. v. Pontanus in Macrob. VII. Sat. 5. p. 655. Ego ad Tibull. 4, 1, 129. fuit enim haec vocula saepe numero corrupta ab indoctis librariis. Papinius L. 4. Theb.

hic fretus doctas anteire canendo
Aonidas, mutos Thamyris damnatus in annos.

etiam hinc *multos* eliminavit vir sagacissimus J. F. Gronovius. Cicero L. 8. ad Attic. Epist. 14. *omnino intelligo, nullum fuisse tempus post has fugas & formidines, quod magis debuerit mutum esse a litteris.* ante Petri Victorii manum medicam legebatur *multum esse a litteris*, sensu nullo. Dracontius ỳ. 389.

Quem penes & sensus primordia muta loquuntur,
Et sermo retinente sonat super aethera voce.

ita correxit Barthius, pro vulgato *primordia multa*, L. 8. Adv. C. 20. Contra factum fuit in Donato ad Hecyr. Act. 5. Sc. 1. *& qui mutum diuque amaverit*, PERTULI *dixit.* quum nemo non videat legendum esse *multum diuque.* sic Ovidius loquitur L. 3. Amor. Eleg. 11.

Multa diuque tuli: vitiis patientia victa est.

in Ciceronis Arateis idem olim mendum fuit:

Ipse autem labens multis equus ille tenetur
Piscibus.

ubi rectissime *mutis* substituit harum literarum sua tempestate dictator Turnebus L. 8. Adverf. C. 17. quum & pisces sint muti, & duo multitudinem efficere non possint. deinde apud nostrum *labantur* scribi debet, ex vetustis Mureti libris: quod sequentia *duxerit* & *mutetur* liquido comprobant.

33. QUAMVE MIHI VILES ISTI VIDEANTUR OCELLI] a Beroaldo est haec lectio, proba & recta. in membranis erat *Quam mihi ne viles*: vel, *Quam tibi ne viles*: nullo sensu, quamvis aliquem quaesierit Passeratius. optimus tibi interpres esto ille, apud Aristaenetum, cujus modo indicium feci.

35. HOS TU JURABAS] eriges orationem, & animabis vividius, si refingas *Quos tu jurabas.* enimvero in istis elementis initialibus vix credas quam saepe quamque crasse deliquerint librarii.

36. UT TIBI SUPPOSITIS EXCIDERENT MANIBUS] pulcre rem ipsam praepingit purissimus ille nequitiarum arbiter: *tetigit puer oculos suos, conceptissimisque juravit verbis, sibi ab Ascylto nullam vim factam.* quod expressisse videtur Georgius Anselmus L. 7. Epigr. 15. quamvis Petronius istis temporibus nondum fuerit evulgatus:

Ego hoc, o Tacita, osculum, hosque ocellos,
Quos tango intueorque ter beatus,
Obtestor, tuum amantem ad ultimum usque
Sopiti cinerem rogi, & fidelem
Et firmum fore.

adde locum elegantem Achillis Tatii initio L. 5. ubi, in tabula picta, Philomela capillis evulsis, solutoque cingulo, admota oculis dextera Tereum vehementer incusat admissi nefarii sceleris, ereptique pudoris.

37. POTES ATTOLLERE] audes attollere. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 52. *Tu, qui ci-*

ves

Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus?
Quîs ego nunc pereo, ſimiles moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditiis.

ves Romani eſſe dicerentur, qui a multis cognoſcerentur, ſecuri ferire potuiſti? & Philipp. 8. C. 6. *An hoc negare potes, qui omnes moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius?* noſter ſupra Eleg. 6. ℣. 3.

Cum quo Riphaeos poſſim conſcendere montes,
Vlteriusque domos vadere Memnonias.

Plautus Cap. 1, 2, 51. *Nullumne interea nactus, qui poſſet tibi Remiſſum, quem duxti, imperare exercitum?* ſic *audere* viciſſim pro *poſſe* Lucretius poſuit L. 6.

Vitigeni latices in aquaï fontibus audent
Miſceri: quum pix nequeat gravis, & leve olivum.

utroque verbo in una re uſus eſt Tullius Catilin. 1. C. 3. *Num inſitiari potes, illo ipſo die te meis praeſidiis, mea diligentia circumcluſum commovere te contra rempublicam non potuiſſe?* &c. ſequitur C. 4. *num negare audes? quid taces? convincam, ſi negas.*

41. QUEIS EGO NUNC PEREO] ſcribe *Quis*. dicam ad L. 2. Eleg. 10.

XVI.

QUae fueram magnis olim patefacta triumphis
Janua Tarpejae nota pudicitiae,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus
Captorum lacrimis humida ſupplicibus:
Nunc ego nocturnis potorum ſaucia rixis
Pulſata indignis ſaepe queror manibus.
Et mihi non deſunt turpes pendere corollae
Semper, & excluſi ſigna jacere faces.
Nec poſſum infamis dominae defendere noctes
Nobilis obſcoenis tradita carminibus.

Nec

Carmen nobile, argutum, aureum; ſed cujus veros ſenſus fruſtra quis rimetur hodie. cui enim vero ſimile fiet poëtam noſtrum, qui cum primis urbis cumque ipſo Maecenate eſſet quotidie, tam putidi fuiſſe cerebri, ut mulierem haud ignobilem (talem fuiſſe merito ſuſpiceris) mordaci carmine non traduceret tantum, ſed & ſigna talia ac gnoriſmata adderet, unde è vicinis ſuis facili negotio poſſet dignoſci? an exſpectabat ille caventem Trebatium?

ne forte negotii
Incutiat tibi quid ſanctarum inſcitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt,
Judiciumque.

& tamen ſcimus, non minus ac ſi hodie Lutetiae degeret in celebri urbis regione, fuiſſe virginem Veſtalem, nomine Tarpejam; non caſtam ſane, ſed quae populo verba dederit, & caſta videri voluerit; habitaſſe autem in ipſa arce Tarpeja. quibus indicibus? Mich. Marollio, & Philippo Silvio T. E. C. P. quo teſte? homine vix ſani capitis Ant. Volſco. tanti eſt profiteri quae numquam didiceris.

9. INFAMIS] *infames*, Livinejus. magis poëtice. nam de accuſativorum terminatione in *is* jam non diſputamus.

Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior & saecli vivere luxuria.
Haec inter gravibus cogor deflere querelis
Supplicis ah longas tristior excubias.
Ille meos numquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia:
Janua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?

Quur

13. HAS INTER GRAVIUS COGOR DEFLERE QUERELAS SUPPLICIS A LONGIS TRISTIOR EXCUBIIS.] ita hos versus refinxit Scaliger: sed non persuasit Passeratio τὸ *inter* idem esse quod *praeter*. *deflere* etiam per se stare debet, quod duriusculum videtur; nisi dicas particulam *de* intendere verbi significationem. parva mutatione commodum puto sensum eliciemus. itaque sic habe:

Haec inter gravibus cogor deflere querelis
Supplicis ah longas tristior excubias.

interea, inquit janua, dum domina mea intus Veneri pervigilium solvit, & in complexu felicioris columbuli haeret,

Hic lacrimans exclusus amator limina nostra
Floribus ac sertis operit;

& modo mihi blanditias dicit, modo ingerit convicia, dum per meam duritiem stare putat quo minus & ipse admittatur. sic & intus & foris prostituor, ac praetereuntium pipulis differor, quod me pessimis modis miseram habet, quodque multis lacrimis cogor sola mecum deflere. Qui hanc interpretationem exegerit ad duos postremos versus,

(*Sic ego nunc dominae vitiis, sic semper amantis*
Fletibus, aeterna differor invidia.)

facile mihi veniam dabit mutatae lectionis. τὸ *Haec* e vetere libro depromsit Passeratius. *gravibus querelis* praeferunt octo MSS. omnesque editiones antiquae. *ab* liquido comparet in nostro primo codice. quod & in uno Palatino Gebhardus invenerat. *a porro pro ab* in membranis frequentissime reperitur. v. Ach. Statius in Tibull. I. 6. p. 94. *longas excubias* feci de *longis excubiis*, quae minima est licentia, & sententiam constituit, quam antea fuerat, multo commodiorem.

17. JANUA VEL DOMINA] hic incipit nocturna querela exclusi amatoris. nihil crebrius in moribus & amoribus illorum antiquorum. passim vestigia reperias in poetis. ea carmina παρακλαυσίθυρα vocabant Graeci, a fletu ad januam, ut auctor est Plutarchus in Erotico, ubi Protogenes insectatur amorem viduae Ismenodorae, adolescentulum Bacchonem ultro adpetentis. originem nominis adlusit Persius Sat. 5.

an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscoenum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto.

sed, ut solet, post Horatium L. 3. Od. 10.

Extremum Tanaim si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro: me tamen asperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

quae oda perfectissimum exemplum est carminis paraclausithyri, uti post illustrem Torrentium bene observavit Andreas Dacerius. Verum quod addit vir egregius, hanc esse solam atque unicam, quae ex hoc genere cantilenarum ad nos pervenerit ex omni antiquitate Romana; in eo quantum fallatur, ostendit haec ipsa elegia, quam prae manibus habemus. ostendit & alia apud Nasonem, quae est sexta libri Amorum primi. est & apud Tibullum tale quid L. 1. Eleg. 2. & apud Plautum Curcul. Act. 1. Sc. 1. Sc. 2. ℣. 60. de toto hoc carmine paraclausithyro (id quod merito mireris) nihil monuit Julius Caesar Scaliger in laudatissimis Poetices libris. monuit vero eruditissimus Casaubonus in commentario Persiano.

Quur numquam reserata meos admittis amores,
  Nescia furtivas reddere mota preces?
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
  Tristis & in tepido limine somnus erit?
Me mediae noctes, me sidera prona jacentem,
  Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.

Tu

22. TRISTIS ET IN TEPIDO] sic alibi *somnum* dixit *amarum*. *Turpis* est in duobus Colbertinis, & duobus nostris, ac Borrichiano. neque aliter vulgatae pleraeque. sed male. quid sit turpe, non curant amatores, quibus utrique inutilis est pudor. & sane ex usu vitae pronuntiat senex ille Plautinus Milit. Act. 3. Sc. 1.

Novo modo tu homo amas: siquidem te quiequam, quod faxis, pudet.
Nihil amas: umbra es amantum magis, quam amator, Pleusides.

irrepserat haec vocula ex superioribus: jam enim bis habuimus non procul ab initio. noster, ut januae miserationem moveat, queritur se totas noctes in nudo silice cubare, eumque corporis sui longo fotu tepefacere, molliorem sane quam sit pectus dominae suae. pari modo Horatius de se ipso, Epod. 11.

Ferebar incerto pede
Ad non amicos heu mihi postes, & heu
Limina dura, quibus
Lumbos & infregi latus.

Scio (ut hoc obiter dicam) id carminis genus aliter ordinari debere, & ostendam, si Deus volet, suo loco: nunc libuit cum vulgo sentire. Ovidius Remed. Amor.

Nec dic blanditias, nec fac convicia posti:
Nec latus in duro limine pone tuum.

23. ME SIDERA PRONA] v. Rufinus VII. Antholog. 140. p. 990. quod si standum erit pluribus suffragiis, jam istud *prona* in exilium eat licebit: nam fane *sidera plena* in septem libris legi numquam diffitebimur. idque homines doctissimos aut mutasse, aut non cepisse, pronuntiat vir insignis Jo. Fred. Gronovius L. 3. Observ. C. 3. cui ego hic quidem non accedam,

Non si me infestis discerpat Clius dictis.

in Scaligeri libro erat *prona*; estque itidem in optimo illo Groningano. nimirum haec est pars illa noctis quae sequitur post noctem mediam, quum sidera polo declivi prona jam jam mergentur in alto mari, veniente Lucifero. Macrobius I. Sat. 3. *Primum tempus diei dicitur mediae noctis inclinatio.* eam partem excipit crepusculum matutinum. noster autem expressit Homerum L. 12. Odyss. ℣. 312.

Ἦμος δὲ τρίχα νυκτὸς ἔην, μετὰ δ' ἄστρα βεβήκει.

Quando autem tertia pars noctis advenit, & astra inclinarunt.

qui versus iterum legitur, L. 14. ℣. 482. Seneca Herc. Fur. ℣. 125.

Jam rara micant sidera prono
Languida mundo: nox victa vagos
Contrahit ignes.

Valerius Flaccus L. 3. ℣. 32.

Nox erat, & leni canebant aequora sulco;
Et jam prona leves spargebant sidera somnos.

nocturno remigio fatigati Minyae, imminente jam ferme crepusculo, in soporem solvebantur. Apulejus de sole dixit, medium iter evecto, L. 4. Metam. *Nec mora, cum jam in meridiem prono jubare, rursum nos, & praecipue me longe gravius onustum producunt illi latrones stabulo.* ei praeiverat Naso L. 2. Metam.

Ultima prona via est; & eget moderamine certo.
Tunc etiam, quae me subjectis excipit undis,
Ne ferar in praecept, Tethys solet ipsa vereri.

& L. 11. ejusdem nobilissimi operis:

Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat
Hesperium temone fretum.

Talis & siderum est ratio; quae quia prona & e loco declivi in Oceani aequore tinguntur, ideo *cadere* dicuntur & *inclinari* adventante Aurora. de sole jam vidimus. de stellis Virgilius L. 2. Aen.

Tu ſola humanos numquam miſerata labores
  Reſpondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam trajecta cava mea vocula rima,
  Percuſſas dominae vertat in auriculas.
Sit licet & ſaxo patientior illa Sicano,
  Sit licet & ferro durior, & chalybe:
Non tamen illa ſuos poterit compeſcere ocellos,
  Surget & invitis ſpiritus in lacrimis.
Nunc jacet alterius felici nixa lacerto.
  At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu ſola mei tu maxima cauſſa doloris
  Victa meis numquam, janua, muneribus.

Te

& jam nox humida coelo
Praecipitat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnos.

& L. 8.

Surge, age, nate dea; primiſque cadentibus aſtris
Junoni fer rite preces.

noſter L. 4. Eleg. 4.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipſaque in Oceanum ſidera lapſa cadunt.

Papinius L. 12. Theb.

Nondum cuncta polo vigil inclinaverat aſtra
Ortus, & inſtantem cornu tenuiore videbat
Luna diem.

Valerius Flaccus L. 7. ℣. 456.

jam matura ruebant
Sidera, & extremo ſe flexerat axe Bootes.

ita locum corruptiſſimum feliciter perſanavit Nicolaus Heinſius. *prona* tuetur Schoppius III. Suſp. Lect. 22.

24. EOO ME DOLAT AURA GELU] *dolet* habent omnes membranae; quod cur Scaliger ineptum dixerit, fateor me ignorare. ipſa nox, ipſae ſtellae, ipſum matutinum frigus mei miſerentur: tu ſola, o janua, manes immota.

25. MISERATA LABORES] *dolores*, Groninganus cum quinque aliis, & primitus cuſis. puto ex margine irrepſiſſe, & fuiſſe interpretamentum τοῦ *labores*. Virgilius L. 2. Geor. *Adſuetumque malo Ligurem.* inibi Philargyrius: MALO. *pro labore. Sic etiam e contrario laborem pro malo ſolet ponere. ut ibi: Ille dies primus leti primuſque laborum Cauſſa fuit.* ſed ibi in omnibus libris legitur *malorum*. unde fit, ut putem doctiſſimum grammaticum in animo habuiſſe hunc verſum ex prima Aeneide, *O ſola infandos Trojae miſerata labores.* ſic & Fabius quandoque aliud pro alio laudavit, non inſpecto libro.

29. SIT LICET ET SAXO PATIENTIOR ILLA SICANO] Tibullus L. 3. Eleg. 2.

Non ego firmus in hoc: non haec patientia noſtro
Ingenio. frangit fortia corda dolor.

Plinius Caecilius L. 2. Epiſt. 10. *Hominem te patientem, vel potius durum, ac pene crudelem, qui tam inſignes libros tam diu teneas!* Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 15.

Ergo, cum ſilices, cum dens patientis aratri,
Depereant aevo, carmina morte carent.

Cornelius Nepos Alcib. C. 11. *Eumdem apud Lacedaemonios, quorum moribus ſumma virtus in patientia ponebatur, ſic duritiae ſe dediſſe, ut parſimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret.*

32. *Spiritus* h. e. ſuſpiritus. vide notata ad Theſ. Fabr. p. 2452.

33. ALTERIUS FELICI NIXA LACERTO] Gebhardus profert e codice Palatino *nexa*. ſed vulgata bene habet. Ovidius Epiſt. Laodamiae:

nox grata puellis:
Quarum ſuppoſitus colla lacertus habet.

& Epiſt Sapphus:

Saepe tuos noſtra cervice onerare lacertos,

Saepe

Te non ulla meae laesit petulantia linguae
Quae solet iratus dicere trita loco:
Ut me tam longa raucum patiare querela
Sollicitas trivio pervigilare moras.
At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quoties verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?
Haec ille, & si quae miseri novistis amantes,
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominae vitiis, & semper amantis
Fletibus, aeterna differor invidia.

Saepe tuae videor supposuisse meos.

Tibullus L. 1. Eleg. 9.

Huic tu candentes humero suppone lacertos.

isti supposito lacerto innititur puellae collum.

38. QUAE SOLET IRATUS DICERE TUTA LOCO.] Passeratius e vetere libro legit,

Quae solet immerito dicere turba loco.

nescio quis fuerit ille liber: sed omnes Regii, Colbertini, Groninganus, nostri, tum quos Gebhardus inspexit, habent

Quae solet irato dicere tuta loco,

vel *tota loco.* quod est in Borrichiano. unde miras argutias comminiscitur Gebhardus, sed quae nihil ad Bacchum. Nic. Heinsius Not. ad L. 4. Fastor. ỳ. 408. legebat.

Quae solet irato dicere pota joco,

vel *probra joco*: ut *jocum iratum* vocet dicteria & scominata. neque id libenter admisero. Scaligeri correctio, *trita*, felix est, &, meo arbitrio, verissima: quam tamen vir ille maximus satis male interpretatur. *Trita illa & solita*, inquit, *quae irati solent loco & tempore effutire: hoc est; quotiescumque poscit locus ut irascantur.* dixisset, *loco*, id est aedibus, januae, parieti. Tibullus L. 1. Eleg. 2.

Janua difficilis domini, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina missa petant.
Janua, jam pateas uni mihi victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas. capiti sint precor illa meo.

& L. 2. Eleg. 1.

— hic dicere jussit
Limen ad iratae verba pudenda senem.

Ovidius Metam. L. 4.

Invide, dicebant, paries, quid amantibus obstas?
Quantum erat, ut sineres nos toto corpore jungi!
Aut hoc si nimium, vel ad oscula danda pateres!

& L. 3. Artis Amator.

Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet:
Multaque submisse, multa minanter agat.

tum in Remediis:

Nec dic blanditias, nec fac convicia posti,
Nec latus in duro limine pone tuum.

festive, ut semper, Plautus Curcul. Act. 1. Sc. 2.

Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro,
Gerite amanti mihi morem amoenissumi:
Fite causa mea Lydi barbari.
Sussilite obsecro, & mittite istanc foras,
Quae mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc vide ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec mea gratia commovent se ocyus.
Respicio nihili meam vos gratiam facere.

haec sunt de illis *tritis* & consuetis, quae amantes dicere solent *loco.* noster palumbus ait, se numquam eo petulantiae venisse. ut probra jaceret foribus, aut inclementer diceret: atque ideo mereri amorem suum, ne semper excludatur. Janus Mellerus Palmerius quum videret vulgatam lectionem stare non posse, hanc nobis auro contra non caram excudit, *Quae solet iratus dicere tritalogus.* o Properti, o Properti, ecquid tibi aures tinniunt?

XVII.

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor Alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam
Ominat: ingrato litore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.
Aspice quam saevas increpat aura minas.

Nul-

1. ET MERITO] Volscus edidit *At merito;* quod secuta est Colinaeana. tamen formula fuisse videtur *Et merito.* Lucretius L. 6.

cadunt toti montes, magnoque repente
Concussu late disserpunt inde tremores.
Et merito: quoniam plaustris concussa tremiscunt
Tecta viam propter non magno pondere tota.

Ovidius L. 3. Eleg. 12.

Fallimur? an nostris innotuit illa libellis?
Sic erat: ingenio prostitit illa meo.
Et merito; quid enim formae praeconia feci?
Vendibilis culpa facta puella mea est.

L. 2. Metam. de Byblide repulsam passa:

Mens tamen ut rediit, pariter rediere furores;
Linguaque vix tales icto dedit aëre voces:
Et merito; quid enim temeraria vulneris hujus
Indicium feci? quid, quae celanda fuerunt,
Tam cito commisi properatis verba tabellis?

2. DESERTAS ALLOQUOR ALCYONAS] aptissimo exemplo utitur Alcyonum, quae aves sunt querulae, ac solitariae, litoribus gaudentes, atque adeo honesti conjugii tenaces ut adulteria credantur ignorare, alteroque conjugum mortuo alter maneat coelebs, ac paullo post moerore exstinguatur. quod itidem sibi futurum auguratur poeta, quandoquidem ita fuerit durus, ut deserta Cynthia sua in mare ingredi sustinuerit. convenienter etiam suas querelas miscet cum ave moestissima. Pacuvius Teucro:

Flexanima tanquam lymphata, & Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans meum,
Alcyonis ritu litus pervolgans feror.

& priscorum vestigia felicissime secutus, zmaragdus ille poetarum Germanorum, P. Lotichius L. 3. Eleg. 7.

Dum fugat exoriens humentes Lucifer umbras,
Et tremulo Venetas lumine spargit aquas;
Alcyonumque sonant moestis freta mane querelis,
Quas dolor ante alias nunc quoque tangit aves;
Hic ego, qua pelago Phaëthontius influit amnis,
Carmina morte tua pauca, Stibare, canam. &c.

Ovidius quoque suam Sappho unà cum luscinia querentem inducit, avicula moestissima, uxore infelicissima:

Sola virum non ulta pie moestissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores.

noster utrasque conjungit L. 3. Eleg. 8.

Alcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumtum nec sua mater Ityn.

3. NEC MIHI CASSIOPE SOLITO VISURA CARINAM OMINAT] ita restituit Scaliger, & probavit eruditis suam correctionem: non item expositionem. *hypallage:* inquit: *ominor ex ipsa Cassiope & aliis astris me non visurum carinam. nube enim omne coelum eductum est.* melius Guyetus: *nec ominor carinam, id est, nautas visuros Cassiopen, & alia sidera navium duces.* vulgata lectio valde est inconcinna.

5. QUIN ETIAM ABSENTI PROSUNT TIBI, CYNTHIA, VENTI.] sonus ingratus, quem tamen nec alii poetae spreverunt aevo illo cultissimo. vide quae Barthius notavit ad L. 2. Theb.

Nullane placatae veniet fortuna procellae?
  Haeccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius saevas converte querelas.
  Sat tibi sat poenae nox, & iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
  Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat quicumque rates, & vela paravit
  Primus, & invito gurgite fecit iter.
Nonne fuit melius dominae pervincere mores?
  (Quamvis dura, tamen rara puella fuit)

Quam

2. Theb. Statii ℣. 239. in eo errans, quod putet Propertiani exempli observationem esse in caussa cur sequentia saecula totam poesin Latinam interstinxeriat illepidis istis rythmis, ut vocant, & consonantia numquam non inepta. tarde ac sensim eo deventum est, mala exempla proseminantibus ipsis principibus, quod pulcre ostendit eruditissimus Casaubonus ad Persii Sat. 1.

7. NULLANE PLACATAE VENIET FORTUNA PROCELLAE] Douza P. reponebat *placata procella.* sed non erat opus. *fortuna* est felicitas; quam *abire*, *redire*, *venire*, cum tertio casu, dicunt poetae. Horatius Art. Poët. ℣. 201.

Ille tegat commissa, Deosque precetur, & oret
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Virgilius L. 11. Aen.

Sin & Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine.

placatae valet *placandae*, ut *volventibus annis*: Passeratio quoque notatum.

8. MEUM FUNUS] me mortuum. in nostro primo erat *meum corpus*, interpretatione triviali τοῦ *funus.*

10. SAT TIBI SIT POENAE] Gebhardus e codice Palat. *Sat tibi sat poenae.* nostri nihil mutant: sed efficacius videtur τὸ *sat* geminatum. non tamen, ut, cum Gebhardo, bubulum cor habere eum dicam, cui non arriserit. potius me movet Silii auctoritas L. 14.

Sat prorsus, sat erat decoris discrimine tuto.

& Papinii L. 3. Silv. 5.

Mille tibi nostrae referam telluris amores:
Sed satis hoc, conjux, satis hoc dixisse, creavit
Me tibi, me socium longos astrinxit in annos.

11. AN POTERIS SICCIS MEA FATA REPONERE OCELLIS?

OSSAQUE NULLA TUO NOSTRA TENERE SINU?

Barthius L. 21. Advers. C. 1. docet *reponere* ductum esse ex schola declamatoria, eumque dici *reponere*, qui respondet themati, & ad clepsydram pari attentione audiendus congregi suo, orationem vicissim habet. Juvenalis Sat. 1.

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam?

sic etiam capi hoc ipso nostri loco; & valere: An poteris, o Cynthia, aliis meam mortem commemorantibus, vicissim & ipsa commemorare? tum & melius legi *Ossaque muta.* nam quae perpetuo sermone celebrentur, numquam *muta* esse, quum mutus, ut & surdus, opponantur celebri. &c. &c. non libet exagitare manes viri eruditissimi, & multis aliis meritis notam tam abnormem lucrifacientis: sed haec talia monere debent illos, qui stantes in uno pede solent integra volumina conscribillare. quid sit *reponere* in re funeris nemo ignorat: & poetae nostri mentem satis dilucide exposuerat Passeratius. nec tamen vel sic obstitit, quin τὸ *fata* in jocularem errorem induceret bonum hominem Marollium, ita vertentem: *Pourrois tu voir mes tristes destinées avec des yeux secs?* in codice Groningensi hoc modo legitur pentameter, *Ossaque nostra tuo nulla tenere sinu?* sed nihil est trajiciendum.

Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere, & optatos quaerere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus & posito staret amore lapis:
Illa meo caros donasset funere crines:
Molliter & tenera poneret ossa rosa.

18. OPTATOS QUAERERE TYNDARIDAS] *quaerere* hic non est quaesere sive implorare, ut volebat pater Douza: sed significat, non invenire frustra circumspectos. quo ipso ostendit in gravissimo se periculo versari, atque adeo parum a morte remotum esse; quum nisi in supremo casu Castores non apparerent. Catullus Carm. 65.

Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius aspirans aura secunda venit,
Jam prece Polluces jam Castoras implorante:
Tale tulit nobis Manlius auxilium.

Horatius L. 4. Od. 8.

Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus ratis.

de non apparentibus Papinius L. 7. Theb.

Non aliter caeco nocturni turbine Cori
Scit peritura ratis: cum jam damnata sororis
Igne Therapnaei fugerunt carbasa fratres.

Seneca L. 1. Quaest. Nat. C. 1. *in magna tempestate apparent, quasi stellae velo insidentes. Adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine.* quod dixit de verbo *quaerere*, verum est. Tibullus L. 2. Eleg. 3.

Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam.

Lucanus L. 9.

Circuit exustae nomen memorabile Trojae,
Magnaque Phoebei quaerit vestigia muri.

Papinius L. 4. Theb.

deceptum margine ripae
Stat pecus, atque amnes quaerunt armenta natatos.

Petronius:

ut fuga mobilis aevi
Circumscripta mora properantes differat annos,
Quaerit se Natura, nec invenit.

sic noster diu optatos & multa prece vocatos Castores etiamnum quaerit saeviente tempestate. ab hoc beneficio servandi, Tyndaridae isti SOTERES dicebantur, & DII MAGNI. reperies utrumque apud Orpheum in Precibus ad Musaeum; in Dioscuris Theocriti; in Inscriptionibus.

19. SEPELIRENT FATA DOLOREM] repone e codice Groningano *sepelissent*, quod optime respondet τῷ *donasset*, & *clamasset*: uti & *staret* bene convenit cum *poneret*. est & *sepelissent* in duobus Regiis, unoque Colbertino, & primis editionibus. reliqui habent *peperissent*, leviter corruptum e priori.

21. ILLA MEO CAROS DONASSET FUNERE CRINES] notus mos: v. Bernartius ad Papin. VI. Theb. 195. p. 90. sq. Delrius Com. in Senec. Hippol. ℣. 1177. p. 212. sed non ita notum quod de Lucio Septimio disco, L. 4. C. 21. *Interim Neoptolemus apud tumulum Achillis, postquam in auctorem paternae caedis vindicatum est, initium lugendi sumit, & una cum Phoenice atque omni Myrmidonum exercitu comas sepulcro deponit, pernoctatque in loco.*

22. MOLLITER ET TENERA PONERET OSSA ROSA] ab amore Cynthiae suae id exspectat, quod ut suis manibus fieret alii supremis testamenti tabulis anxie cavebant, aliis propter liberalitatem alii decernebant. in lapide Ravennati, quem descripsit Steph. Vinandus Pighius:

VT. EX. EA. SVMMA. SIC. VT. SOLITI. SUNT ARCAM. PVBLICIORVM. FLAVIANI. ET ITALICI. FILIORVM. ET. ARCAM. IN. QVA. POSITA. EST. FLAVIA. SALVTARIS. VXOR. EIUS ROSIS. EXORNENT. DE. *. XXV. SACRIFICENTQVE. EX. IIS. ET. DE. RELIQVIS. IBI. EPVLENTVR. OB. QVAM. LIBERALITATEM. COLL. FABR. M. R. INTER BENEMERITOS. QVODANNIS. ROSAS. PVBLICIIS. SVPRA. S. ET. FLAVIAE. SALVTARII. VXORI. EIUS. MITTENDAS EX.

Illa meum extremo clamasset pulvere nomen;
Tum mihi non ullo pondere terra foret.
At vos aequoreae formosa Doride natae
Candida felici solvite vela choro.

Si

EX. *. XXV. SACRIFICIVMQVE. FACIENDVM DE. XXII. S. PER. MAGISTROS. DECREVIT paullo aliter legitur apud Gruterum CCCCLX. 3. vide ibidem DCXXXVI. 12.

22. *&*] *in* conjiciebat Francius.

23. ILLA MEUM EXTREMO CLAMASSET PULVERE NOMEN] levicula immutatione legendum videtur *extremo clamasset munere*, vocabulo, ut bene observavit *Achilles Statius*, ad Catull. p. 400. his supremae pietatis officiis proprio; quae *suprema munera*, & *ultima dona* dicebantur. Virgilius Aen. L. 6.

manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem adcumulem donis, & fungar inani
Munere.

& L. 11.

Interea socios inhumataque corpora terrae
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, ait, egregias animas, quae sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus.

ibi Donatus: *qui proprio, inquit, sanguine gloriam nobis & libertatem pepererunt, supremam merentur honorificentiam, hoc est, exequiarum pompam & funerum sepulturam.* Catullus Carm. 97.

Ut te postremo donarem munere mortis.

Valerius Flaccus L. 3. ℣. 313.

Vos, age, funereas ad litora volvite silvas,
Et socios lustrate rogos; date debita caesis
Munera, quae nostro misisset Cyzicus igni.

L. 5. ℣. 13. adpositissime:

Erre, inter lacrimas, interque extrema virorum
Munera, quem cursus penes imperiumque carinae,
Tiphyn agit violenta lues.

Statius L. 12. Theb.

ardent excisae viscera gentis
Molibus exstructis. supremo munere gaudent
Ogygii manes.

exponunt scholia antiqua, *officio ultimo mortalitatis.* Ovidius L. 3. Metam.

ultima semper
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque munera debet.

quomodo recte ibi restituerunt Fr. Lindebrogius, & e membranis Barthius, pro vulgato *funera.* idem ille poëta ejusdem admirandi operis L. 13. ℣. 525.

At, puto funeribus dotabere, regia virgo;
Condeturque tuum monumentis corpus avitis.
Non haec est fortuna domus. tibi munera matris
Contingent fletus, peregrinaeque haustus arenae.

Cicero pro A. Cluentio C. 9. *illa cum uno tempore audisset sibi non solum filium, sed etiam exsequiarum munus ereptum, Larinum confestim exanimata venit, & ibi de integro funus jam sepulto filio fecit.* de donis Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 9.

Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
Mater; & in cineres ultima dona tulit.

& Epitola Didus

Anna soror, soror Anna, meae male conscia culpae,
Jam dabis in cineres ultima dona meos.

Valerius Flaccus L. 2. ℣. 471.

Non ego digna malis, inquit; suprema parentum
Dona vides, ostro scopulos auroque frequentes.

Seneca Hippol. ℣. 1273.

Sic ad parentem gnatus ex voto redit?
En haec suprema dona genitoris cape,
Saepe efferendus.

24. UT MIHI NON ULLO PONDERE TERRA FORET] in vetere Memmii libro invenerat Passeratius *Tu mihi*: unde refingit *Tum mihi.* quomodo infra Eleg. 19, *Tum mihi non ullo mors sit amara loco.* nihil verius. nempe prius *m* absorptum fuit a proxime insequente, solenni librariorum supinitate. nec sine multa gratia ostendit poëta, quantae efficaciae putet votum dominae suae.

26. FELICI SOLVITE VELA NOTO] *vela*

noto

Si Quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

noto habet noster primus: *vota choro* Groninganus: *vela choro*, reliqui omnes: quomodo ediderat Scaliger, & ante eum viderat legendum Hermol. Barbarus Castigat. ad L. 2. Plinii C. 37. qui tamen minus recto *choro* refert ad geminos Castoras, quoniam solitarium Helenae sidus sit exitiale. dixit quidem noster L. 3. Eleg. 3.

Pleiadum spisso cur coit igne chorus:

& *chori* vox de stellis admodum familiaris est poëtis: verum quum hic Nereïdes invocentur, satius est ut intelligas chorum Nympharum Oceanitidum, nam & eae choros agunt. apposite Virgilius L. 5. Aen.

Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereïdum Phorcique chorus, Panopeaque virgo.

Et L. 10.

Atque illi medio in spatio chorus ecce suarum
Occurrit comitum: nymphae, quas alma Cybele
Numen habere maris, nymphasque e navibus esse
Jusserat.

etiam veteres illae editiones *vela choro* habebant. idque videre licet ex Antonii Volsci commentario, scribentis: *Chorus sive Chaurus ab occasu solstitiali spirat, quo ex urbe in Asiam navigantes utuntur.* tam crassum errorem quum videret Philippus Beroaldus, & recte aperuit mentem poetae, & rationis metricae ignorationem sine ulla verborum acerbitate castigavit.

27. Si quando vestras labens amor attigit undas] nihil hic viderunt Interpretes: Gebhardus autem mera monstra comminiscitur. nec Marollius ipse quid dicerer intellexit. *labens amor* est amator navigans. si, inquit, aliquando contigerit ut amator aliquis tempestate deprehensus ad litus vestrum detineatur, quamvis ad dominam properet; parcite ei, o Nymphae, pro solita vestra facilitate, nam & vos expertae scitis quid sit amor. deberi autem misericordiam homini super cana dorsa maris erranti, etiam ab ipsis Diis immortalibus, sciscebat Ithacus ille aerumnosissimus, fugiens e ponto Neptuni iras; neque vero abnuit mite Phaeacis fluvii numen, si quid credimus poetae praecipuo L. 5. Odyss. quem locum in mente habuit noster. *attigit* est ab antiquo verbo *attigere*, super quo Gifanius quaedam habet indice Lucretiano. aliquid viderat Douza Schedlasm. succid. p. 65.

XVIII.

Haec certe deserta loca, & taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.

Hic

1. Haec certe deserta loca, et taciturna querenti] malim *tacitura*, propter id quod sequitur, *Si modo sola queant saxa tenere fidem.* tanta cum veneratione amabat Cynthiam suam, ut, quamvis merito de multis injuriis queri posset, non auderet tamen queri, nisi apud arbores, saxa, aves: quorum indicio vix timet, ne id rescisceat Cynthia, quamquam & hoc ipsum timet. saxis autem, silvis, ac solitudini quod sensum dedit, multo est tenerrimum ac delicatissimum. fecit & Cicero in re non ita ludicra, nobili illo loco Accus. 5. in Verr. C. 67. *Si haec non ad cives Romanos, non ad aliquos amicos nostrae civitatis, non ad eos qui populi Romani nomen audissent, denique, si non ad homines, verum ad bestias, aut etiam, ut longius progrediar si in aliqua desertissima solitudine, ad saxa & ad scopulos haec conqueri & deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanima tanta & tam indigna rerum atrocitate commoverentur.* tenerrime disertissi-

Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
An nova tristitiae caussa puella tuae?
Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita saeva tamen venerit ira mea:
Ut tibi sim merito semper furor, & tua flendo
Lumina dejectis turpia sint lacrimis.

An

simus Sannazarius, parte secunda vernaculorum:

Hor son pur solo, e non è chi m'ascolti
Altri, che sassi e queste quercie amiche,
Et io, se di me stesso oso fidarme.

sola saxa sunt infrequentia, solitaria, deserta. Virgilius L. 3. Georg.

Heu male tum Libyae solis erratur in agris,

Plautus Mostell. A. 4. Sc. 3.

—— ut verba audio,
Non equidem in Aegyptum hinc modo vectus fui;
Sed etiam in terras solas, orasque ultimas.

2. ZEPHYRI AURA] ipse Zephyrus. elegans Hellenismus. v. Columna ad Ennium p. 115. a.

9. QUAE TE MIHI CARMINA MUTANT?] bene Lipsius & Palmerius *crimina mutant*, quae crimina? novus amor alterius puellae. id enim in re amoris est quasi laesae majestatis crimen. quod ideo tam sollicite diluit in sequentibus. satue Beroaldus & Passeratius exponunt vel de magicis incantationibus, vel de carminibus quibus eum aliquis apud Cynthiam criminatus esset. an, *qui tum vivebant homines, atque aevum agitabant*, omnia perscribebant versibus, ut hodie in tot Arcadiis pastores? eodem modo peccatum fuit supra Eleg. 12.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen?

nam ibi *fingere carmen* legitur in quibusdam membranis. & Eleg. 16. ℣. 26.

Respondes tacitis mutua cardinibus:

ibi quoque *carminibus* habent libri. & L. 3. Eleg. 9. ℣. 3.

Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,

& istic *carminaque* videas in non uno codice:

16. ET TUA FLENDO LUMINA DEJECTIS TURPIA SINT LACRIMIS.] *delesis*, & *delectis*, varie legitur in membranis. male. *jacere lacrimas* dicitur, ut *jacere verba*, *jacere querelas*. noster L. 4. Eleg. 12.

Ut responsurae singula verba jace.

Lucretius L. 4.

Sex etiam, aut septem, loca vidi reddere voces,
Unam cum jaceres.

Cicero L. 1. Divinat.

Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas jacit ore querelas.

Tacitus L. 2. Annal. C. 10. *Arminius pleraque Latino sermone interjaciebat.* ceterum cur dicit turpia fieri lumina dejectis lacrimis? an quia puellis *flendo turgiduli rubent ocelli?* id sane verum est: sed nec minus verum, in illis ipsis lacrimis relucescere formosum illum ignem oculorum,

Ut sol in liquida saepe refulget aqua.

elegantissimum est epigramma M. Ant. Flaminii, inter primos Italorum poetae, & dignum quod non tantum istic legatur:

An quia parva damus mutato ſigna calore?
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis teſtes, ſi quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amica Deo.

Ah

Vidiſti nitidas per candida lilia guttas
Ludere, cum tenui decidit imber aqua?
Et rorem de puniceis ſtillare roſetis,
Cum ſpirat naſcens frigora blanda dies?
Haec faciet, haec eſt Ligurinae flentis imago
Illius lacrimis me ferus urit amor.

Sidronius Hoſſchius Chriſt. patient. Eleg. 11.

Parce, precor, ſaltem nato, ſi parcere neſcis
Ipſa tibi: lacrimis uritur ille tuis.

quod delicatiſſimum dictum neſcio an ſublegerit Gulielmus Becanus illo ſuo

Lacrimae ſunt in amore faces.

unice huc facit plorantis Olympiae ſpecies multo pulcherrima, quam deſcribit foecundiſſimi ingenii poëta Lud. Arioſtus L. 11. Orlandi furentis:

Era il bel viſo ſuo, quale eſſer ſuole
Da Primavera alcuna volta il cielo,
Quando la pioggia cade, e à un tempo il Sole
Si ſgombra intorno il nubiloſo velo.
E, come il roſignol dolci carole
Mena ne'rami allor del verde ſtelo,
Coſì a le belle lagrime le piume
Si bagna Amore, e gode al chiaro lume.

belliſſime ſuper talibus lacrimis philoſophatur Achilles Tatius L. 6. haud longe ab initio.

17. AN QUIA PARVA DAMUS MUTATO SIGNA CALORE] male Livinejus & Palmerius hic *colore* ſubſtituunt: ſic enim poeta binis verſibus bis idem dicat. *mutato calore* eſt tranſlato amore in aliam. quo modo ſupra Eleg. 12.

Aut ſi deſpectus potuit mutare calores;
Sunt quoque tranſlato gaudia ſervitio.

19. VOS ERITIS TESTES] de his talibus teſtimoniis v. Columna ad Ennium p. 169. a.

20. FAGUS] amantibus cara arbor, propter umbram opacam, tum & ob memoriam priſci victus, unde dicta eſt. Virgilius Eclog. 2.

Tantum inter denſas, umbroſa cacumina, fagos
Aſſidue veniebat.

Ovidius Epiſt. Oenon.

Inciſae ſervant a te mea nomina fagi:
Et legor OENONE falce notata tua.

Ariſtaenetus L. 1. Epiſt. 10. *Sed Acontio non vineta curae, non ligo. ſolum fagos aut pinus, ſub quibus deſidebat, allocutus, Utinam, inquiebat, & mentem vobis, arbores, & vox eſſet, ut hoc unum dictitaretis, CYDIPPE PULCRA; vel ſaltem corticibus inſcriptas ferretis hoc ipſum teſtantes literas!* Renatus Rapinus, multo elegantiſſimus poeta, L. 2. Hortorum:

Cumque feret truncos arbor procera valentes,
Et ſua frondoſae diffundent brachia fagi;
Paſtor ſub ramis frigus captabit opacum,
Cum gregibus, calamoque ſuos cantabit amores.

20. ARCADIO PINUS AMATA DEO] bene *amica* repoſuit J. Douza F. quod confirmant ſex libri. nam Pitys quum amaret Pana dulce fiſtula canentem, Boream vero horribili ſtrepitu furentem averſaretur, ab immani illo Thrace ſolo eſt alliſa: deinde Terrae miſerantis beneficio in pinum arborem mutata, quae nunc quoque flebiliter lamentatur eo vento ſpirante. Et ſapuiſſe dicas Athenienſes, qui Deum tam ruſticum civitate ſua donarunt? fabulam de pinu, ex Geoponicis Graecorum, narrant Baptiſta Egnatius Racemat, C. 16. Carolus Paſchalius L. 6. Coronar. C. 28. Douza F. Notar. ad Propert. C. 5. legitur autem in Geoponicis ipſis L. 11. C. 11. quocirca miror Paſſeratio fuiſſe ignotam. fideli ſilentio ſecutus eſt magiſtrum ſuum acutus homo Philippus Silvius. quid enim diceret ille, ubi alii tacent? Jucunde Petrus Daniel Huetius, cui ſuper ceteras diviniſſimas dotes etiam dedit ore rotundo Muſa loqui, in nobili oda ad Nic. Heinſium:

Ipſe Pan ſpreto veniens Lycaeo,
Saepe formoſan Pityn in remotis
Montibus cantat, ſua jam nec illi
Maenala curae.

Politianus Ruſtic. ℣. 11. ad Pana:

Hic

Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
  Scribitur & vestris CYNTHIA corticibus.
An, tua quod peperit nobis injuria curas,
  Quae solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consuevi timidus perferre superbae
  Jussa, neque arguto ficta dolore queri.

Pro

Hic resonat blando tibi pinus amata susurro:
Hic vaga coniferis insibilat aura cupressis.

22. SCRIBITUR ET VESTRIS CYNTHIA CORTICIBUS] mos blandiendi vetustissimus, & creberrimus, etiam hodie. Passeratii collectaneis haec adjici possunt. T. Calpurnius Eclog. 1.

OR. *Sed quaenam sacra descripta est pagina fago,*
Quam modo nescio quis properanti falce notavit?
COR. *Adspicis, ut virides etiam nunc litera rimas*
Servet, & arenti nondum se laxet hiatu?

Eclog. 3.

Hi tamen ante mala figentur in arbore versus.
,, *Credere, pastores, levibus nolite puellis:*
,, *Mopsum Phyllis amat, Lycidas habet ultima rerum.*

& eo melior poeta Petrus Angelius Bargaeus Eclog. 1.

Jam tum flamma vorax penetrarat ad usque medullas,
Intonsis ut sola meos testarer amores
Montibus, & teneris incidere falce juvaret
Arboribus laudesque tuas, tua nomina, Damon.

Eclog. 2.

tuas ego marmore laudes
Incidi: & longum victurae cortice quercus
Ipse meos iterans questus & verba notavi:
Quae legisse queant longo post tempore Nymphae.

23. AN, TUA QUOD PEPERIT NOBIS INJURIA CURAS] Scaliger legit *quae*, pro *quod*: ut *curas* sit verbum, & dicat poeta: an ideo metuis ne alibi amem, quia conscia es tibi quam inclementer quamque injuriose me semper habueris? non repeto quae corrumpendo huic versui congesserunt alii. sed neque Scaligeri expositio satis placet. melius fuerit nihil argutari. mutatio ista generis frequens admodum est apud antiquos. Terentius Hecyr. Act. 3. Sc. 1.

Tum uxoris obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit:
Tot meas injurias: quae numquam in ullo patefecit loco.

ibidem Act. 3. Sc. 4.

prorsus nescio
Quo pacto hoc celem, quod me oravit Myrrhina,
Gnatae suae partum.

24. QUAE SOLUM TACITIS COGNITA SUNT FORIBUS.] *sunt* vidimus in septem libris: ita ut Passeratii *sit* per eos quidem valere possit, neque juvet Gebhardi favor.

26. ARGUTO FACTA DOLORE QUERI] auro contra non cara est lectio Memmiani codicis apud Passeratium, *arguto ficta dolore queri*: h. e. verbis simulare quae re ipsa non sentiantur. hoc grande arcanum inter puellarum artes potentissimas locavit Naso L. 3. Art. Amat.

Spectet amabilius juvenem; suspiret ab imo
Femina; tam sero cur veniatque roget.
Accedant lacrimae, dolor & de pellice fictus;
Et laniet digitis illius ora suis.

Lactantius lib. de mortib. persecutor. C. 39. *huc atque illuc praecipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus afficto adulterio damnat.* Tacitus L. 14. An. C. 62. ubi de luctuoso illo innocentis Octaviae fato: *Ergo confessionem alicujus quaeri placet, cui rerum quoque novarum crimen affingeretur.* ------ *ille insita vecordia, & facilitate priorum flagitiorum, plura etiam quam jussum erat, fingit.* Petrarcha L. 1. Remed. Fort. dial. 65. *zelotypae conjugis vir insomnis, nunc blanditiis, nunc querelis, fictisque criminibus excitandus, exercendusque per noctem. Seu licentius oculum de-*

Pro quo, Di, vivi fontes, & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies.
Et, quodcumque meae possunt narrare querelae,
Cogor ad argutas dicere solus aves.
Sed qualiscumque es, resonant mihi CYNTHIA silvae,
Nec deserta tuo nomine saxa tacent.

flexeris, seu ridenti lentius adriseris, seu vicinam salutaveris, seu formam alterius laudaveris, seu domum serius redieris: postremo aliquid feceris, aut dixeris, quo suspectus, laesique reus sis amoris. exemplum promit noster e pugillaribus amicae, L. 3. Eleg. 22.

An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta jacis?

Cicero L. 12. ad famil. Epist. 23. *Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. quod ni ita putarem, ipse perscriberem, imprimisque Caesaris Octaviani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem & boni viri & credunt factum, & probant.* orat. pro Sextio C. 31. *invitissimis iis, qui mentem optimi ac fortissimi viri suis consiliis fictisque terroribus a defensione meae salutis averterant.* pro Coelio C. 22. *ut res minime dubitanda in contentione ponatur, utrum temeraria, procax, irata mulier finxisse crimen, an gravis, sapiens, moderatusque vir religiose testimonium dixisse videatur.* ibidem C. 23. *& vos non videtis fingi sceleris maximi crimen, ut alterius causa sceleris suscipiendi fuisse videatur?* in Pison C. 31. *vestrae criminationes insidiarum mearum, illius periculorum, nefarie fictae.* pro Milon. C. 24. *Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt.* P. Lentulus XII. ad famil. Epist. 15. *ut denique omnia, quae improbi fingebant, magis vera existimarent, quam quae vere facta erant, & a nobis docebantur.* Ceterum *dolor argutus* hic non est clamosus, aut tinnulus, aut stridulus; quod interpretibus visum; verum, ingeniose malus, qui maxima minima perscrutatus aliquid confingit unde velit dolere. etiam aliquid uberius exprimit haec vocula in re amoris. Apulejus L. 1. Metam. *A nexu quidem Venereo hospitis tuae tempera, & probi Milonis genialem torum religiosus suspice. Verum enim vero Fotis famula petatur enixe. nam & forma scitula, & moribus ludicra, & prorsus arguta est.* paullo aliud sonat apud nostrum L. 3. Eleg. 18.

Illi sint quicumque solent in amore dolores;
Et caput argutae praebeat historiae.

veterum *arguta historia* id erat, quod vocant hodiernis moribus *nouvelle galante.*

27. PRO QUO DIVINI FONTES] ita fere libri. unde ridicule Palmerius faciebat, *Pro quo, o Di, vinum fontes.* optime Scaliger, *Pro quo, Di, vivi fontes.* optime inquam, & ex tripode. verùm quod negat fontes veteribus *divinos* fuisse dictos, in eo fefellit eum sua memoria. bini sunt lapides apud Gruterum; in quibus hoc honoris vocabulum, prior XCIV. 6.

FONTI. DIVI
NO. ARAM
L. POSTVMIVS. SA
TVLIVS. EX. VOTO
D. D. D.

alter MLXXII. 7.

FONTIBVS
DIVINIS
SACR
M. ANTONIVS
SP. F. SILPHON
V. S. L. M.

in superiore Gruterus edidit STATULIUS, quum tamen in codice manuscripto Stephani Vinandi Pighii (a quo habuit) diserte legatur SATULIUS. eum ego thesaurum antiquitatis inaestimabilem cum maxime evolvo, beneficio illustris Viri Joannis Sixii, Urb. Amstelod. Consularis, omnes literarum elegantium munditias haud perfunctorie docti.

31. RESONANT MIHI CYNTHIA SILVAE] ita rectissime Scaliger. Virgilius Eclog. 6.

His

His adjungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent: ut litus, HYLA, HYLA, omne sonaret.

Valerius Flaccus L. 3.

Rursus HYLA, & rursus HYLA per longa reclamat
Avia: responsant silvae, & vaga certat imago.

ita legendum suadet locus Maronis: in vulgatis est *Rursus Hylan, & rursus Hylan.* hoc ego meum putabam: sed pridem occupavit illustris Rutgersius L. 3. Var. Lect. C. 8.

32. NEC DESERTA TUO NOMINE SAXA VACANT.] *vacent* plures libri: unus *jacent*, alter *racent.* unde sponte enascitur *tacent*; quod & Livinejo in mentem venerat. Cicero pro Archia: *saxa & solitudines voci respondent.* Virgilius Ecl. 10:

Non canimus surdis: respondent omnia silvae.

Papinius L. 4. Silv. 5.

Unique, si quando, canenti
Mutus ager domino reclamat.

XIX.

NOn ego nunc tristes, vereor, mea Cynthia, manes,
Nec moror extremo debita fata rogo.
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Illic Phylacides jucundae conjugis heros
Non potuit caecis immemor esse locis.
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalis antiquam venerat umbra domum.

Illic

9. FALSIS ATTINGERE GAUDIA PALMIS] f. *falsis sua tangere gaudia p.* extremum *s* in *falsis* absorpsit *s* τῦ *sua*; cujus vocis litera ultima adhaesit cum verbo sequente, sic, ut factum fuerit *atangere.* id deinde concrevit in *attingere.* Certe τὸ *gaudia*, ubi de persona dicitur, adsciscit fere sibi *mea, tua, sua.* Ovidius Epist. Herûs ℣. 41. *Jamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?* Cato Dir. ℣. 123. *Invideo vobis, agri: mea gaudia habetis; Et vobis nunc est, mea quae fuit ante voluptas.*

10. THESSALIS ANTIQUAM VENERAT UMBRA DOMUM] fabula decantatissima, quia sine exemplo. Hyginus Fab. 103. *uxor Laodamia Acasti filia cum audisset eum perisse, flens petit a Diis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato, a Mercurio reductus; tres horas cum eo collocuta est.* quae repetuntur Fab. 104. *Laodamia Acasti filia, amisso conjuge: cum tres horas consumsisset, quas a Diis petierat, fletum & dolorem pati non potuit.* Caecilius Minucii Felicis: *quis unus ullus ab inferis vel Protesilai sorte remeavit, horarum saltem permisso commeatu, ut vel exemplo crederemus?* ubi videtur aliquid excidisse, & reponendum *horarum saltem paucarum perm. com.* sed elevat miraculi fidem Papinius, ac pro re habet non insolita, L. 2. Silv. 7.

Adsis lucidus, & vocante Polla
Unum quaeso diem Deos silentum
Exores. solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.

neque multo reverentior antiquitatis argutus ille nequam: *Dii majores sunt, qui me restituerunt in integrum. Mercurius enim, qui animas ducere & reducere solet, suis beneficiis reddidit mihi quod manus irata praeciderat: ut scias me gratiosiorem esse quam Protesilaum, aut quemquam alium antiquorum.* non omitten-

dus

Illic quidquid ero, semper tua dicar imago.
Trajicit & fati litora magnus amor.

Illic

dus est affectus uxorius in marmore insigni apud Gruterum DCCLXXXVI. 5.

ITA. PETO. VOS. M ES. SANCTISSIMAE
COMMENDAT HABEATIS
MEVM. CA M. ET. VELLITIS
HVIC. INDVLGENTISSIMI. ESSE
HORIS. NOCTVRNIS
VT. EVM. VIDEAM

Ceterum in producendo hoc nostri loco humani aliquid passus est insignis ille renascentis doctrinae instaurator Hermolaus Barbarus Castig. in Plinii L. 3. C. 9. ita enim scribit:

Illic Phylacides jocundae conjugis heros
Thessalis antiquam venerat umbra domum.

praetereundum est monere tam minuta: & tamen in his minutis quum saepe peccent hodierni nostri Alcidae, quos in coelum tollit cirratae pubis admiratio, tantum non insaniunt ubi monentur. elegantissime nostro dicitur *Thessalis umbra:* quod non neglexit quisquis ille fuit qui Domitillae nomine Hectori agitatori epitaphium fecit, a Geor. Fabricio relatum in Antiquit. quod & nos vidimus Steph. Vinandi Pighii manu enotatum de thesauris Cardinalis Caesii;

QVI. COLITIS. CYBELEN. ET. QVI. PHRYGA. PLANGITIS. ATTIN
DVM. VACAT. ET. TACITA. DINDYMA. NOCTE. SILENT
FLETE. MEOS. CINERES. NON. EST. ALIENVS. IN. ILLIS
HECTOR. ET. HOC. TVMVLO. MYGDONIS. VMBRA. TEGOR

II. ILLIC QUIDQUID ERO, SEMPER TUA DICAR IMAGO] dubitantis est *quidquid ero:* valde enim fluctuabant veteres in constituenda ratione animarum. v. Plinius VII. 55. Lucretius L. 1.

Ignoratur enim quae sit natura animai:
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur:
Et simul intereat nobiscum morte diremta:
An tenebras Orci visat, vastasque lacunas:
An pecudes alias divinitus insinuet se.

vides opiniones diversissimas. quarum receptior erat, animas in alia corpora migrare; ad inferos descendere quasdam tenues species, quae *imagines* & *simulacra* dicebantur, & *idola*, & *spectra.* nam quas *umbras* vocamus, eae in terris vagari credebantur. quamquam haec omnia nonnumquam confundunt poetae. Ennii patris doctrinam recitat Lucretius L. 1.

Etsi praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus edens,
Quo neque permanent animae, neque corpora nostra:
Sed quaedam simulacra modis pallentia miris.

nemo haec melius exposuerit doctissimo grammatico Servio Honorato, cujus notam ad L. 4. Aen. ℣. 645, exscribere non pigrabor; & credo te juvabit legisse. SUB TERRAS IBIT IMAGO. *Bene imaginem dixit. valde enim quaeritur apud philosophos, quid illud sit, quod inferos petat. nam tribus constamus: Anima, quae superna est, & originem suam petit: Corpore, quod in terra deficit: Umbra, quam Lucretius sic definivit,* SPOLIATUS LUMINIS AER. *Ergo umbra si ex corpore Creatur, sine dubio perit cum eo: nec est quidquam reliquum de homine quod inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum inferos petit: & est species corporea, quae non potest tangi, sicut ventus. Hinc in Sexto,*

Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

Hanc autem rem etiam Homerus requirit, simulacro Herculis apud inferos viso. Et sciendum, simulacra haec esse etiam eorum, qui per apotheosin dii facti sunt. Unde aut visi esse apud inferos, aut illuc descendisse dicuntur. Horatius de Libero:

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Sciendum tamen, abuti poëtas & confuse vel simulacrum vel umbram dicere. quod addit noster, *semper tua dicar imago*, multo est tenerrimum, neque capi satis potest ab homini-

ni-

Illic formosae veniant chorus heroinae,
Quas dedit Argivis Dardana praeda viris;
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior: & Tellus hoc ita justa sinat.
Quamvis te longae remorentur fata senectae,
Cara tamen lacrimis ossa futura meis.
Quae tu, vita, mea possis sentire favilla.
Tum mihi non ullo mors sit amara loco.

Quam

nibus duris atque invenustis. sic L. 2. Eleg. 12.

Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.

L. 3. Eleg. 13.

Te solam & lignis funeris ustus amem.

Has imagines, sive haec simulacra apud inferos obambulantia, Ausonius pulcro vocabulo *effigies* nominavit Epigr. 54.

Effigiem, rex Croese, tuam, ditissime regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.

Afranius etiam de spectro nocturno videtur dixisse in Vopisco:

Cujus te suscitat imago? cujus effigia? quo gnatus patre?

12. TRAICIT] habet noster primus. quae vera est scriptura, vide notata ad verbum *Abjicere* Thes. Fabr. p. 1244. est & *Traicit* in editione Colinaei A. 1529. & in Veneta principe.

13. ILLIC FORMOSAE VENIANT CHORUS HEROINAE] Passeratius *vernant chorus* videtur legisse: ita certe exposuit: quod unde habuerit non possum conjicere. libri veteres nihil mutant. Ceterum nobiles illae heroinae in Elysio sedes habitant discretas, singulari quodam honore a reliquis piarum mulierum umbris semotae. Pomponia ad filium Scipionem, interprete C. Silio L. 13.

Nullos o nate labores
Mors habuit nostra, aetherio dum pondere partu
Exsolvor, miti dextra Cyllenia proles
Imperio Jovis Elysias deduxit ad oras:
Attribuitque pares sedes, ubi magna moratur
Alcidae genetrix, ubi sacro munere Leda.

alia regio est illustrium amatricum: *lugentes campos* inferi vocant. descripsit poëta princeps L. 6. Aen. & Ausonius in Cupidine cruci affixo.

15. QUARUM NULLA TUA] series sermonis postulat *Harum*. non absimili mendo peccatum erat supra Eleg. xv. ℣. 35.

16. TELLUS HOC ITA JUSTA SINAT] ne velit mihi succensere, si te unam omnibus priscis heroinis anteposuero. Tellus est, quae continet deos manes. Virgilius L. 6. Aen.

Sed non ante datur Telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore foetus.

Suetonius Tiber. C. 75. *Morte ejus ita laetatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent: pars Terram matrem deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent.*

18. CARA TAMEN LACRIMIS OSSA FUTURA TUIS] *futura meis*, quod rectum videtur, exhibent omnes libri. quamvis te longa senectus maneat, o Cynthia, me in ipso flore aetatis absumto; non tamen desinam vel mortuus te amare, & quandocumque ad orcum descenderis, id testabuntur piae meae lacrimae super ossa tua profusae. sane & umbras lacrimari testis est Q. Ennius apud Lucretium L. 1.

Unde sibi exortam semper-florentis Homeri
Commemorat speciem, lacrimas & fundere salsas
Coepisse, & rerum naturam expandere dictis.

Virgilius L. 2. Aen.

In somnis, ecce, ante oculos moestissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus.

19. QUAE TU VIVA MEA POSSIS SENTIRE FAVILLA] melius Auratus, *Quae tu, Vita, mea possis sentire favilla*, notante ad codicis sui oram Douza P. Quod utinam, Lux mea,

Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto
Abstrahat a nostro pulvere iniquus Amor:
Cogat & invitam lacrimas siccare cadentes.
Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos laetemur amantes.
Non satis est ullo tempore longus amor.

credere velis favillae & cineri meo, in quibus amor tuus adhuc spirabit.

20. AMARA LOCO] nostri duo, *amara rogo.* non placet.

24. FLECTITUR ASSIDUIS CERTA PUELLA MINIS] intellige minas lacrimis, promissis, precibus mixtas: quales esse solent amatorum. Horatius L. 2. Od. 8.

pubes tibi crescit omnis:
Servitus crescit nova: nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt,
Saepe minati.

quem & Epodo 11. conferre debes, & Nasonem L. 3. Artis Amat. ab ℣. 565. Gujetus reponebat

Flectitur assidua certa puella prece:

idque firmabat loco nostri Eleg. 8:

Assiduas non tulit illa preces:

& Tibulli

Vincuntur molli pectora dura prece.

cui viae si insistemus, nusquam addicentibus libris; jam nihil omnino in ullo scriptore tam obscurum erit, quin id tibi audax aliquis interpolator clarius reddat, quam solis esse solent radii olim quum sudum est.

26. NON SATIS EST ULLO TEMPORE LONGUS AMOR.] iterum Gujetus,

Non satur est ullo tempore laetus amor.

longus, inquit, hic locum non habet: τὸ *laetus* postulat τὸ *laetemur* versu praecedente.] quae est haec intemperies corrigendi, imo corrumpendi? simplicissimo sensu dixerat poeta: Nullus amor umquam satis est diuturnus; itaque, dum per brevem lucis usuram licebit, carpamus fugitiva gaudia, nec reditura.

XX.

HOc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Est

Non puto ullam exstare Elegiam vexatiorem in toto Latio: cui tamen, post omnes alios, feliciter suppetias latum ivit eruditissimus Gronovius L. 3. Observat. C. 3. Ejus ductum secuti pauca de nostro addemus, quae ipse, utpote levia, negligere visus est.

4. DIXERIT] ita recte Scaliger. ita & Auratus in notis non editis herois Douzae. in libris est *dixerat*. unde profluxit audacissimi Volsci nugamentum *dux erit*: quod tamen defendendum suscepit insignis ille Turnebus L. 11. Advers. C. 15. & Ludovicus Carrio Schol. in Valer. Flacc. L. 3. ℣. 596. ecce ipsa Volsci verba. DIXERAT. *locus mendosus est. emenda.* DUX ERIT: *hoc est, testimonium faciet quo minus solitudini puerum credas.* non sunt ista magni momenti: non tamen inutile fuerit primos errorum fontes indicasse.

4. ASCANIUS] M. Ant. Muretus, quum istud tenebrionis Volsci commentum *dux erit* esse putaret a libris veteribus, ejecto *Ascanio*, reponebat *Aesonius*, contra fidem historiae. Hyginus Fab. 14. *Hylas in Moesia a Nymphis juxta Cion flumenque Ascanium raptus est: quem dum Hercules & Polyphemus* re-

Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
　Thiodamanteo proximus ardor Hylae.
Huic tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
　Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes:
Sive Gigantea spatiabere litoris ora,
　Sive ubicumque vago fluminis hospitio:
Nympharum semper cupidas defende rapinas.
　Non minor Ausoniis est amor ah Dryasin.
Ne tibi sit duros montes & torrida saxa,
　Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quae miser ignotis error perpessus in oris
　Herculis indomito fleverat Ascanio.
Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
　Egressam longe Phasidos isse viam;

Et

requirunt, vento rapta navi deserti sunt. Probus in L. 3. Georg. ℣. 6. *cum ex comitatu Argonautarum in Mysia Hercules recessisset, ad materiam quaerendam remi, quem fractum volebat reficere; & Hylas ad hauriendam aquam Ascanii fluminis, urnam extulisset, adamatus a Nymphis est.* vides virum excellentem largiter errasse propter unius homuncionis vix semidocti temeritatem. in Amne Ascanio periisse Hylam etiam Antoninus Liberalis auctor est Metam. C. 26.

6. THIODOMANTEO] Ceycis filius dicitur Antonino Liberali. ceteri fere Thiodomantem ei patrem dant, Dryopum (ut Probus ait) regem. ita & Apollonius Rhodius L. 1. Argonaut. vide tamen Hadrianum Junium L. 4. Animadv. C. 2.

7. NUNC TU] scripti fere *Hunc tu.* Joannes Atratus emendabat *Huic tu.* recte. ita & Gronovius: & jam olim Livinejus. quem observasse videbis id quod Gronovius a nemine observatum miratur.

8. SIVE AMERINA TUOS TINXERIT UNDA PEDES] *Amerina* a Scaligero est. *amoena* habent duo nostri cum Borrichiano: *amena* Groninganus: *Aniena* duo Regii, unus Colbertinus. quare revocavi priscam lectionem. alibi etiam Clitumnum & Anienem simul commemorat, L. 3. Eleg. 21.

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
　Tramite.

ita hoc loco Clitumni flumen & nemus jungit cum pulcerrimo Aniene. nihil huc facit lacus Vadimonis, aeter ille, ac serpentum tantum & bufonum regia.

12. AH DRYASIN] recte. nam scripti fere omnes *Hadriacis. ha* scribebant pro *ah.* in Heinsii exemplari Aldino scripserat nescio quis Italus,

Non minor Ausonias est amor & Dryadas.

vellem id firmaret aliquis codex antiquus. est enim lepidum.

13. NE TIBI SIT DURO MONTES ET FRIGIDA SAXA] in libris vetustis est *Nec tibi sit durum montes & turbida saxa. duri montes & frigida saxa* praefert unus Colbertinus: *durum montes & frigida saxa,* Groninganus. *turbida saxa* etiam Mureti liber habebat. *duros montes* ex conjectura Lipsius, ex scriptis reponit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 2. Art. Amat. ℣. 28. quod placet. deinde. emenda cum acutissimo Gronovio *torrida saxa*, ex illo: *turbida. torrida*, gelu perusta. Auctor Herculis in Oeta ℣. 136.

Ad Trachina vocor, saxa rigentia,
Et dumeta jugis horrida torridis.
Vix gratum pecori montivago nemus.

13. TORRIDA SAXA] Silius, de Sardinia, XII. 372.

Qua videt Italiam, saxoso torrida dorso
Exercet scopulis late freta.

17. PAGASAE NAVALIBUS] Mela L. 2. C. 3. *ille* [Pagasaeus sinus] *urbem Pagasam amplexus, amnem Sperchion accipit: & quia Minyae Colchida petentes inde Argo navem solvere, memoratur.* hinc Argo *Pagasaea* dicitur

Et jam praeteritis labentem Athamantidos undis
  Myſorum ſcopulis adplicuiſſe ratem.
Hic manus heroum placitis ut conſtitit oris,
  Mollia compoſita litora fronde tegit.
At comes invicti juvenis proceſſerat ultra
  Raram ſepoſiti quaerere fontis aquam.
Hunc duo ſectati fratres Aquilonia proles.
  Hunc ſuper & Zethes, hunc ſuper & Calais
Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere plumis,
  Oſcula & alterna ferre ſupina fuga.
Ille ſub extrema pendens ſecluditur ala,
  Et volucres ramo ſubmovet inſidias.

Jam

citur Naſoni L. 7. Metam.

Jamque fretum Minyae Pagaſaea puppe ſecabant.

Lucano L. 2.

Ut Pagaſaea ratis peteret cum Phaſidos undas,
Cyaneas tellus emiſit in aequora cautes.

& L. 6.

Prima fretum ſcindens Pagaſaeo litore pinus
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

hinc & Jaſon *Pagaſaeus*, & Argonautae *juventus Pagaſaea* dicuntur poëtis. v. Columna ad Ennium p. 199. 2.

18. LONGE PHASIDOS] recte. nam credebant antiquiſſimi Colchos, & Pontum Euxinum, terrarum omnium & marium terminos eſſe ad orientem. notatum multis. tu If. Voſſio contentus eſto? quem videre debes Obſerv. ad Catull. p. 14. tetigerat & noſter Eraſmus in adagio *Ad Phaſim uſque navigavit*.

21. PLACIDIS UT CONSTITIT ORIS] potius videtur *placitis*. Ovidius L. 1. Metam.

Donec arenoſi placitum Ladonis ad amnem Venerit.

Valerius Flaccus L. 5.

Jam prora fretum commoverat, & jam
Puppe ſedens placitas dimiſerat anchora terras.

Auctor Herculis in Oeta ỳ. 684.

Medium coeli dum ſulcat iter,
Tenuit placitas Daedalus oras,
Nullique dedit nomina ponto.

facilis lapſus, & cujus multa exempla ad Naſonem ſuum notavit Nic. Heinſius. & jam ad Valer. Flacc. p. 191.

23. AT COMES INVICTI JUVENIS] proprio epitheto Hercules dicebatur *invictus*. baſis marmorea in Capitolio, in horto Conſervatorum:

TE. PRECOR. ALCIDE. SACRIS. INVICTE. PERACTIS
RITE. TVIS. LAETVS. DONA. FERENS MERITIS
HAEC. TIBI. NOSTRA. POTEST. TENVIS. PERFERRE. CAMINA
NAM. GRATES. DIGNAS. TV. POTES. EFFICERE
SVME. LIBENS. SIMVLACRA. TVIS. QVAE. MVNERA. CILO
ARIS. VRBANVS. DEDICAT. IPSE. SACRIS

in libro autographo Stephani Vinandi Pighii CAMENA legitur pro CAMINA; & PRAETOR pro CILO. Ceterum *Herculis invicti* plurima memoria eſt in lapidibus literatis apud Gruterum. vide XLVI. 7. 8. 9. 10. 11. 12. XLVII. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. 11. XLVIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 11. XLIX. 1. CCCXV. 7. CIↃVI. 3. CIↃXVII. 6. CIↃLXX. 2. apud Reineſium I. 64. 194.

23. PROCESSERAT ULTRA] Valerius Flaccus III. 530. *E quibus Herculeo Dryope percuſſa fragore, Cum fugerent jam tela ferae, proceſſerat ultra Turbatum viſura nemus.*

27. OSCULA SUSPENSIS INSTABANT CARPERE PALMIS] aſſentior Livinejo *plumis* legenti. *ſuſpenſis plumis* eſt, alis in aëre libratis. ſic ſtatim Boreadarum ſectationem vocat *inſidias volucres*: & *extremam alam* addit. poſſes etiam *pennis* reponere e Papinio L. 5. Theb.

Iſmarios Aquilonia pignora fratres,

Utra-

Jam Pandioniae cessat genus Orithyiae:
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin.
Quam supra nullae pendebant debita curae
Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circumriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mista papaveribus.
Quae modo decerpens tenero pueriliter ungui,
Proposito florem praetulit officio.
Et modo formosis incumbens nescius undis
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
Nixus, & exserto plena trahens humero.

Cu-

Utraque queis rutila stridebant tempora penna,
Cernimus.

Sed illud melius: & minus abit a ductu literarum.

31. CESSET GENUS ORITHYIAE] *cessit* habet Groninganus: quod Livinejus probat, eopse libro usus. melius Gronovius *cessat.* quomodo est in altero Regio.

33. HIC ERAT ARGANTHI PEGE SUB VERTICE MONTIS] ita locum vexatissimum feliciter restituit Turnebus L. 11. Adv. C. 15. in alia omnia iverant Dom. Calderinus ad Papinium L. 1. Silv. 5. Hermol. Barbarus ad Plinium L. 7. C. 48. Beroaldus: alii. vide Stephanum Byzantium in Ἀργαθώνης p. 100.

35. NULLAE PENDEBANT DEBITA CURAE] *nullae* etiam tres e nostris: quomodo bene editum Scaligero. vide Priscianum L. 6. & 13. Donatum ad Andr. Act. 3. Sc. 5.

39. QUAE MODO DECERPENS TENERO PUERILITER UNGUI] dicitur etiam *ungue.* Ovidius L. 4. Fastor.

Illa papavereas subsecat ungue comas.

noster L. 3. Eleg. 23.

Ungue meam morso saepe querere fidem.

tamen istud praeferre videtur Fl. Sosip. Charisius L. 1. *Ungui. Licinius Calvus in poëmate, Vaga candida nympha quod secet ungui.* fragmentum id est carminis Glyconici, ita fortasse reponendum; siquidem primam vocem desideramus;

Lilium, *vaga candido*
Nympha quod secet ungui.

Priscianus & *ungui* & *ungue* recte dici observat L. 7. sic *civi* multoties occurrit apud Ciceronem. cujus rei rationem reddit Servius in L. 9. Aen. ℣. 474. CINGITUR AMNI. *Amne debuit dicere: numquam enim bene in* I *exeunt, nisi quae communis sunt generis: ut docilis, agilis; Sed ideo ausus est ita ponere ablativum, quia, ut supra diximus, apud majores hic & haec amnis dicebatur.* sed haec ratio neque satis vera est, neque satis plena. Tu magnum Vossium consule L. 2. de Analog. C. 12.

44. INNIXUS DEXTRO PL. TR. HUM.] amplector elegantem Nic. Heinsii correctionem Not. ad Ovid. L. 3. Art. Amat. ℣: 307. *Nixus, & exserto plena trahens humero.* tales enim a poëtis praepinguntur, qui se ad opus aliquod accingunt. Virgilius Aen. L. 11.

At medias inter caedes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla.

Papinius L. 4. Thebaid.

Frena tenent, duplexque inserto missile nodo,
Exserti ingentes humeros.

& L. 5. ubi de Dioscuris:

chlamys huic, chlamys ardet & illi:
Amb o hastile gerunt: humeros exsertus uterque,

Cujus ut accensae Dryades candore puellae
 Miratae solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore.
 Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
 Nomen ab extremis fontibus aura refert.

His,

Nudus uterque genas: simili coma fulgurat astro.

& L. 9.

Agnoscunt colles, notamque tremiscit
Silva Deam, saevis ubi quondam exserta sagittis
Foecundam lasso Nioben consumserat arcu.

Lucanus L. 2.

sociusque furoris
Lentulus, exsertique manus vesana Cethegi.

Claudianus Consul. Prob. & Olyb.

Dextrum nuda latus, niveos exserta lacertos,
Audacem retegit mammam.

Sermo ibi est de Dea Roma. eum locum (obiter hoc indicabo) eleganter illustrat Abrahami Gorlaei gemma 50. ubi Roma sedens hastile tenet, exserto lacerto. sic & Corippus L. 1.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exserto & nudam gestantem pectore mammam.

Prudentius Psysomach.

Prima petit campum, dubia sub sorte duelli,
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exserta lacertos.

haec de pugnaturis. sed & amor, militiae species, eodem utitur ornatu: qualis hic candor exserti humeri urit nymphas. Ovidius L. 3. Artis Amat.

Pars humeri tamen ima tui, pars summa lacerti
Nuda sis, a laeva conspicienda manu.
Hoc vos praecipue, niveae, decet. hoc ubi vidi,
Oscula ferre humero, qua patet, usque libet.

Horatius L. 2. Od. 5.

Non Chloris, albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari.

Apulejus L. 2. Metam.: *magis de cutis roseo rubore, quam de vestis aureo colore placiturae.*

45. CUJUS ET ACCENSAE] *cujus ut*, Regii, Colbertini, Borrichianus, duo nostri. *ut*, postquam, simul atque. vocem *Cujus* ad Hylae humerum refert Douza Schediasm. succid. p. 65.

46. DESTITUERE CHOROS] Gebhardus profert e Palatino *deseruere*. nihil mutandum. Tibullus L. 2. Eleg. 1.

his vita magistris
Destituit querna pellere glande famem.

locus est controversus. in scriptis nonnullis legitur *Desaevit*. expendam suo tempore, Deo bene juvante.

50. NOMEN AB EXTREMIS FONTIBUS AURA REFERT] nomen Hylae, quod Hercules inclamabat. *aura* est Echo. etenim metuentes nymphae ne Hercules absconditum apud se Hylam inveniret, puerum in Echonem commutarunt. auctor Nicander apud Antoninum Liberalem. Multa in hac elegia transposuit, multa aliter distinxit, legitque aliter, vir magnus Janus Rutgersius L. 3. Var. Lect. C. 8. quem consulere potes. quamvis autem haec materia (nam cui veterum non dictus Hylas?) a Theocrito & Propertio nostro elegantissime sit tractata: non tamen id deterruit multos praestantes e recentioribus poëtas, quo minus & ipsi cum antiquis in certamen descenderent. Eminent prae ceteris tres nobilissimorum trium ingeniorum elegiae hoc ipsum argumentum complexae, M. Ant. Flaminii, Jo. Bapt. Amalthei, ac Dan. Heinsii. quorum virorum artificium & facundiam poëticam si quis inter se, imo & cum priscis, contendere ac componere instituerit; non erit, me sponsore, cur eum laboris sui debeat poenitere.

His, o Galle, tuos monitis ſervabis amores,
  Formoſum Nymphis credere tutus Hylan.

51. MONITIS] forte monitus.

XXI.

TU, qui conſortem properas evadere caſum,
  Miles ab Etruſcis ſaucius aggeribus:
Quid noſtro gemitu turgentia lumina torques?
  Pars ego ſum veſtrae proxima militiae.
Sic te ſervato poſſint gaudere parentes,
  Haec ſoror Acca tuis ſentiat e lacrimis,
Gallum per medios ereptum Caeſaris enſes
  Effugere ignotas non potuiſſe manus.
Et quaecumque ſuper diſperſa invenerit oſſa
  Montibus Etruſcis, haec ſciat eſſe mea.

7. GALLUM &c.] ſtetit igitur ab Antonianis partibus in bello Peruſino. de eo bello Florus IV. 5. incidit autem in A. V. 711. a latronibus occiſum fuiſſe, licet ſuſpicari. Hunc ego Gallum, qui fuerit, nondum invenire potui. neque poteſt idem eſſe ille, cujus jam ante facta eſt mentio: quum hic Peruſino bello perierit, ille autem prior floruerit jam conſtituta ab Auguſto republica. ita certe nos credere jubet totus hic liber primus. v. Paſſeratius p. 241.

9. QUAECUMQUE] etiam Douza legendum pronuntiavit, Schediaſm. ſuccidan. p. 65.

XXII.

QUalis, & unde genus, qui ſint mihi, Tulle, penates;
  Quaeris pro noſtra ſemper amicitia.
Si Peruſina tibi patriae ſunt nota ſepultae
  Italiae duris funera temporibus,
Quum Romana ſuos egit diſcordia cives:
  (Sis mihi praecipue pulvis Etruſca dolor.
Tu projecta mei perpeſſa es membra propinqui,
  Tu nullo miſeri contegis oſſa ſolo:)
Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo
  Me genuit, terris fertilis uberibus.

1. QUALIS, ET UNDE GENUS,] ita ſolebant ſcriptores libris a ſe emiſſis addere patriam ſuam, genus, aetatem, fortunas, &c. v. Horatius I. Epiſt. 20. ỳ. 20. Virgilius IV. Georg. 559. Ovidius II. & III. Art. Amat. Lucius Septimius L. 5. C. 17. Sabinus ipſo fine Caeſar. Germanicor. v. Cerda in Virgil. T. 1. p. 563. ſq.

7. TU &c.] quod erat miſerrimum: debitum tamen illi, qui arma contra patriam tuliſſet. Cicero Philipp. 14. C. 13. *gauderentque potius. cum multa & varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod eſſet pulcerrimum, ſuis obtigiſſe, eosque nec inhumatos eſſe, nec deſertos, quod tamen ipſum pro patria non miſerandum putatur.* aliter hic ſe habuiſſe res videtur.



SEX.

SEX. AURELII
PROPERTII
LIBER SECUNDUS.

I.

QUaeritis unde mihi toties scribantur amores?
Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo.
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive illam Cois fulgentem incedere totis,
Hoc totum e Coa veste volumen erit:

Seu

2. VENIAT MOLLIS IN ORE LIBER] *in ora* potior pars librorum: atque id Passeratius exemplis adstruxit. noster L. 3. Eleg. 1.

Majus ab exsequiis nomen in ora venit.

Catullus Carm. 37.

Anne ut pervenias in ora volgi?

neque soli poëtae ita loquuntur. Sallustius Jugurth. C. 31. *neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet: sed incedunt per ora vestra magnifici.* Justinus L. 16. C. 5. *Victor tyrannus captivos senatores in triumphi modum per ora civium trahit.* & L. 36. C. 1. *Pacis simulatione deceptus capitur, traductusque per ora civitatum, populis qui desciverant in ludibrium favoris ostenditur.* Ennius opinor primus dixerat,

Volito vivos per ora virûm.

4. INGENTUM NOBIS] ex Plutarchi Symposiacis hunc locum explicat Franc. Luisinus L. 2. Parerg. C. 21. versu praecedente, *haec* habent libri pro vulgato *hoc*.

5. SIVE TOGIS ILLAM FULGENTEM INCEDERE COIS] de veritate hujus lectionis neminem umquam dubitasse, id vero nimis est mirificum. togas gestabant meretrices, & moechae damnatae; non autem puellae ingenuae. super qua re nihil attinet multa coacervare. Beroaldi flagitium est, verba corrupta trajicientis, ut versui consuleretur. Regii, itemque Colbertini, & Borrichianus, habent

Sive illam Cois fulgentem incedere togis.

Groninganus,

Sive illam Caeis fulgentem incedere cogis.

nostri, *Chois—cogis.* primitus cusi, & Volscus, *Caeis—togis.* ex his non erat difficile veram eruere lectionem,

Sive illam Cois fulgentem incedere totis.

h. e. omni corpore undique pellucentem ac perspicuam. tales enim erant in his vestibus. Horatius L. 1. Sat. 2.

Altera nil obstat: Cois tibi paene videre est
Ut nudam.

M. Seneca Declam. 15. *ut tenui veste perspicua sit, & nihil in corpore uxoris suae plus maritus, quam quilibet alienus peregrinusque agnoverit.* Plinius L. 11. C. 22. *Prima eas redordiri, rursusque texere, invenit in Ceo mulier Pamphila, Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatae rationis, ut denudet feminas vestis.* recte *totis.* Martialis IV. 22.

Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis.
Sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus.

Seu

Lucebat, totis cum tegeretur aquis. vide locum. compar vitium est in Ennio VI. Annal. (apud Festum in *Superescit*) *Dum quidem unus homo Romae toga superescit.* legendum omnino *Roma tota.* v. Merula ad Ennium. p. 384. bellissimum istud *fulgentem* Passeratius satis inepte ad purpuram traxit: debet enim referri ad ipsum corpus Cynthiae, candidum, solidum, ac sucei plenum. Catullus Carm. 64.

Quam circumcursans huc illuc saepe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica,

qua imagine non est alia congruentior ad mentem nostri poetae. Martialis L. 6. Epigr. 13.

Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
Et placide fulget vivus in ore liquor.

id alii *lucere* dixerunt; etiam noster, Elegia proxime insequente:

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.

Martialis L. 8. Epigr. 68.

Femineum lucet sic per bombycina corpus:
Calculus in nitida sic numeratur aqua.

Tibullus 4, 6, 13.

Adnue, purpureaque veni pellucida palla.

& L. 4. Epigr. 22.

Primos passa toros, & adhuc placanda marito,
Merserat in nitidos se Cleopatra lacus,
Dum fugit amplexus: sed prodidit unda latentem:
Lucebat totis quum tegeretur aquis.

Plinius L. 6. C. 17. *tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat.* tales M. Varro vestes festivo epitheto *vitreas* appellavit in Modio. quod jucundissime expressit Joannes Bocatius, scriptor venustissimus, Fiammettae L. 1. *alla mia connoscenza pervenne la bella ferma, & vidi lui ignuda, fuori solamente d'un sottilissimo drappo purpureo; il quale, avenga che esso in alcuna parte il candidissimo corpo coprisse, di quello non altrimenti toglieva la vesta a me mirante, che posta figura sotto chiaro vetro.* l'Ariosto VII. del Furioso 28.

Benche nè gonna nè faldiglia havesse,
Che venne auuolta in un leggier zendado;
Che sopra una camicia ella si messe
Bianca e sottil nel più eccellente grado.
Come Ruggiero abbracciò lei, li cesse
Il manto, e restò il vel sottile e rado;
Che non copria dinanzi, nè di dietro
Più che le rose, ò i gigli un chiaro vetro.

Martial. IV. 22.

Condita sic puro numerantur lilia vitro.

9. LYRAE CARMEN DIGITIS PERCUSSIT EBURNIS] Douza F. pro conjectura reponit *percurrit*: quomodo & Lernutius videtur legisse, hunc locum adludens,

Docta lyrae carmen digitis percurrere eburnis,
Concentumque lyrae similem voce edere docta.

sed repugnant omnes libri, in quibus *percussit.* Ovidius XI. Metam. 5.

Tumuli de vertice cernunt
Orphea percussis sociantem carmina nervis.

idem L. 4. Trist. Eleg. 10, *ferire* dixit:

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

Virgilius L. 6. Aen. *pulsare*:

Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Horatius L. 4. Od. 6.

Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum.

Pedo Albinovanus in obit. Maecen.

Actius ipse lyram plectro percussit eburno,
Postquam victrices conticuere tubae.

Val. Flaccus L. 5. Argonaut.

Carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dux rite movet, mixtoque sonantem
Percutit ore lyram.

quod postremum quasi expositio est nostri poëtae, Cynthiam simul voce canere simul digitis fides carpere innuentis.

Est

Seu quum poscentes somnum declinat ocellos,
Invenio caussas mille poëta novas.
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc vero longas condimus Iliadas.
Seu quidquid fecit, sive est quodcumque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Maecenas; fata dedissent,
Ut possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut caelo Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis & imperio bina coïsse vada:
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas, & benefacta MarI.

Bel-

Est tamen, ubi *perturrere* ferme idem sonat quod *pertutere*. Virgilius L. 7. Aen.

Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenuis percurrens pectine telas.

reddidit Juvenalis Sat. 9.

pingues aliquando laternas,
Munimenta togae, duri crassique coloris,
Et male pertussas textoris pectine Galli
Accipimus.

10. FACILES UT PREMAT ARTE MANUS] Palmerius sibi valde placet cum suo *tremat: nimium quantum elegans est*, inquiens, *qui fides increpet, tremere arte manus*. verum quod id de vetere codice depromtum dicit, in eo sane fucum facit lectori suo. usus est libro antiquo, ut ipse prodit in praefatione Spicilegii undecimi, quem evolvendum acceperat a Jo. Posthio. is autem liber, qui deinde Andr. Schotti fuit, nunc adservatur in bibliotheca Academiae Groningo-omlandicae. eumque ego, saepe ac diligenter inspectum, tale nihil habere liquido adfirmare possum. est enim ibi *premit*. quomodo & Livinejus invenerat, eodem libro usus non perfunctorie. *premere manus* Asconio Pediano est *chordas carpere*. in 1 Verrin. *Cum canunt cytharistae, utriusque manus funguntur officio. dextra plectro utitur: & hoc est, foris canere. sinistra digitis chordas carpit: & hoc est, intus canere.*

11. POSCENTES SOMNUM DECLINAT OCELLOS] *somnus* habent duo Regii. melius ceteri *somnum*; quomodo primus e suo restituit Scaliger. Virgilius L. 4. Aen. ℣. 185.

Nocte volat coeli medio terraeque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.

v. Canterus VI. Nov. Lect: 12.

20. UT COELI PELION ESSET ITER] legendum *coelo*. Ovidius L. 2. Art. Amat.

Restat iter coelo: coelo tentabimus ire.

Virgilius L. 4. Georg.

victorque volentis
Per populos dat jura, viamque adfectat Olympo.

ita & Valerii Flacci locum adfectum feliciter ab Nic. Heinsio persanatum nuper vidimus, L. 1.

Tendite in astra, viri: me primum regia mundo
Japeti post bella trucis, Phlegraeque labores
Imposuit: durum vobis iter & grave coelo
Institui,

nam antea *coeli* edebatur, itidem ut apud nostrum Aurelium. sic & in melioribus Virgilii codicibus legitur, L. 6. Aen: *facilis descensus Averno.* pro quo vulgo videas *Averni.*

21. NON VETERES THEBAS] *Nec veteres Thebas*, Groninganus cum altero Colbertino. supra bis habuimus *non:* ita hic bis *nec*. sed & vulgata stare potest.

24. BENEFACTA MARI] ita ipse Marius

apud

Bellaque, resque tui memorarem Caesaris: & tu
  Caesare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos,
  Aut canerem Siculae classica bella fugae:
Eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
  Et Ptolemaeeae litora capta Phari:
Aut canerem Aegyptum, & Nilum, quum tractus in urbem
  Septem captivis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
  Actiaque in Sacra currere rostra via:

35 Te

apud Sallustium loquitur Jugurth. C. 85. *illud intellego, Quirites, omnium ora in me conversa esse, aequos bonosque favere: quippe benefacta mea reipubl. procedunt. — — mihi, qui omnem aetatem in optumis artibus consumsi, benefacere jam ex consuetudine in naturam vertit.* Auctor dialogi de Orator. C. 12. *Felix illud, &, ut more nostro loquar, aureum saeculum, & oratorum & criminum inops, poëtis & vatibus abundat, qui benefacta canerent, non qui male admissa defenderent.*

26. CAESARE SUB MAGNO] Augustum ut peculiaribus honoribus, ita & peculiaribus honorum nominibus mactarunt Romani. *Magnus* hic dicitur; & infra Eleg. 6. sic & Virgilius L. 4. Georg.

Caesar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello.

& Horatius L. 1. Od. 12.

Gentis humanae pater, atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

cui etiam *invictus* audit L. 2. Sat. 1.

aude
Caesaris invicti res dicere multa laborum
Praemia laturus.

Altum vocat Ovidius L. 2. Pontic. Eleg. 3.

Quique dolor pectus tetigisset Caesaris alti,
Illum jurabas protinus esse tuum.

Pedo Albinovanus epicedio Drusi:

Hoc domus ista docet per te mea Caesaris alti.

auctor elegiae in obitum Maecenatis:

tu Caesaris alti
Dextera, Romanae tu vigil urbis eras.

Horatius L. 3. Od. 4. ad Musas:

Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

tamen ibi vir literatissimus Andreas Dacerius omni vi contendit *altum* esse idem quod *alumnum.* fallitur. *altus* est nobilis, antiqui sanguinis, vetustae prosapiae. Valerius Flaccus L. 3. ℣. 201.

Di, precor, hunc regem, aut aeque delegerit alta
Fors mihi gente satum: magnusque & flebilis urbi
Conciderit.

Seneca Herc. fur. ℣. 339.

nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclytum titulis genus;
Sed clara virtus.

Ovidius L. 4. Fastor.

Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto:
In qua par facies nobilitate fuit.

vide sis (nec pigebit) quae istic notavit poëtarum Latinorum magnus sospitator Nic. Heinsius.

33. REGUM AURATIS CIRCUMDATA COLLA CATENIS] crudele ludibrium, & tamen verum; more apud orientem nato. v. Justinus XI. 15. item L. 5. C. 11. *occulte* [Cyrus] *adversus fratrem bellum parabat. quod cum nuntiatum Artaxerxi esset, arcessitum ad se fratrem, & innocentiam dissimulatione belli simu-*

Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumta, & posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoctiaden.
Sed neque Phlegraeos Jovis, Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus.
Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere numen avos.

Navita

simulantem, compedibus aureis vinxit. honori id datum in summa calamitate. sic Garmus Babyloniorum rex Sinonin, amorem ejus aspernantem, in aureis catenis habuit captivam, referente ex Jamblichi Babylonicis Photio Cod. 94. inde fluxit ad Romanos. neque enim haec temere noster jacit. Silius L. 17.

Securus sceptri repetit per caerula Romam,
Et patria invehitur sublimi tecta triumpho.
Ante Syphax feretro residens captiva premebat
Lumina, & auratae servabant colla catenae.

Vellejus L. 2. C. 82. *Tertia aestate reversus* [Antonius] *in Armeniam, regem ejus Artasdem fraude deceptum catenis, sed, ne quid honori deesset,* aureis *vinxit. argenteas* facit Dio L. 49. A. V. 720. p. 474. plura ad Silium Dausquejus, hoc simul versu illustrato; Demsterus ad Rosini Antiquitates; Jac. Schegkius & Ger. Vossius ad Vellejum; ad Curtium Freinshemius.

36. POSITA PACE] ita *ponere pugnas* dixit Papinius L. 12. Theb. loco admodum elegante:

Ut modo connubiis taurus saltuque recepto,
Cum posuit pugnas; alio si forte remugit
Bellatore nemus, quamquam ora & colla cruento
Imbre madent, novus arma parat, campumque lacessens
Dissimulat gemitus, & vulnera pulvere celat.

& Cicero in Pison: *tamen illud contentionis odium simul cum ipsa pugna armisque ponant. ponere bellum*, Paullus Orosius, meliorum temporum non malus imitator, saepe & exscriptor. L. 3. C. 2. *Lacedaemonii inquieti magis quam strenui, & furore potius quam virtute intolerabiles, post bella posita, tentant furta bellorum.* etiam *sumere* & *ponere* Ovidius junxit L. 5. Trist. Eleg. 1.

At mala sunt fateor. quis te mala sumere cogit?
Aut quis deceptum ponere sumta vetat?

& mimorum ille sapiens scriptor Publius Syrus:

Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur.

Sumere bellum, Macrobius dixit. I. Sat. 10. *ponere vitam*, Plautus Curcul. 4, 3, 4.

37. SUPERIS TESTATUR ACHILLES] innuit, opinor, Achillem in coelo cum diis immortalibus aevum degere. quod unde hauserit, ego sane ignoro. Certe Ulysses, quo nemo hanc rem umquam scire potuit exploratius, & vidit Achillem apud inferos, & diu satis atque ubertim cum ipso est collocutus, prodente posteris Homero. L. 11. Odyss. ℣. 466. tradiderunt & alii ex eadem gente poëtae, uxorem istic duxisse Medeam, Aeëtae Colchorum regis filiam. Quos secutus est vir magnus, etiam inter maximos, Angelus Politianus in Ambra, ubi ad Thetidem ita Jupiter: ℣. 132.

atque adeo tristes ut pectore curas
Excutias, animumque leves, reddetur Achilli
Ingens tantorum precium (mihi crede) laborum.
Nam neque Cerbereos rictus, nec Erynnidas atris
Anguibus implicitas, inamoenaque Tartara passus
Elysium tenet: hic magna venerabilis umbra
Mutatis pulcram auspiciis sibi Colchida junget,
Solis & Oceani volventi progener aevo.

41. NEC MEA CONVENIUNT DURO PRAECORDIA VERSU

 CAE-

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.

45 Nos

CAESARIS IN PHRYGIOS CONDERE NOMEN AVOS.] carmine priore *praeconia versu* legitur in Groningano; quod non attendendum. pro *duro* malebat P. Scriverius *Doro*, Animad. ad lib. Spectac. Epigr. 31: id est molli, tenero, elegiaco, Philetaeo. ut dicat Propertius, non belle convenire, si poëta elegiis assuetus, factusque longo usu ad Philetae genium, molli atque imbelli versu Caesarem velit referre, & recondere in numerum antiquorum heroum Trojanorum. non persuadet vir acutissimus. *durus* versus opponitur *molli*, estque idem qui *fortis*, sive heroicus. Domitius Marsus epitaphio Tibulli:

Ne foret aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Horatius:

--- forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae.

noster L. 2. Eleg. ult.

Incipe jam angusto versus componere torno,
Inque tuos ignes, dure poëta, veni.

nam quod istic etiam, *Dore poëta*, legit Scriverius, de eo dispiciemus suo loco. versu secundo, pro τῷ *nomen*, videtur restituendum *numen*. favet certe Horatius L. 4. Od. 5.

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, & Laribus tuum
Miscet numen; uti Graecia Castoris,
Et magni memor Herculis.

nec non L. 2. Epist. 1.

Jurandasque tuum per numen ponimus aras.

ita istic membranae; non *nomen*, quod huc usque insedit vulgatas editiones. & L. 3. Od. 5.

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare: praesens divus habebitur
Augustus.

Ovidius L. 1. Art. Amat.

Marsque pater, Caesarque pater, date numen eunti:
Nam Deus e vobis alter es, alter eris.

L. 4. Pontic. Epist. 13.

Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus, in aetherias numen abisse domos.

noster L. 3. Eleg. 3.

Arma Deus Caesar ditet meditatur ad Indos.

Vellejus L. 2. C. 123. ubi mors Augusti: *mox cum omnem curam fata vincerent, Pompejo Appulejoque Coss. septuagesimo sexto anno, animam coelestem coelo reddidit.* quae pulcre conveniunt cum Nasonianis. Caesar Germanicus Arat. ℣. 564.

Hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
Attonitas inter gentes, patriamque paventem,
In coelum tulit, & maternis reddidit astris.

vide insignem inscriptionem, quae Narbone exstat, apud Cerdam in Virgil. I. Eclog. 7. p. 5. b. in Grutero non potui reperire. Sed est alia multo pulcerrima apud Montfaucon. T. 1. Diar. Ital. p. 382. idem mendum olim Suetonium obfuscabat, Calig. C. 24. *Nec umquam postea quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillae dejeravit.* ante Casaubonum erat *per nomen Drusillae*. in Servio etiam nunc haeret, ad L. 7. Aen. ℣. 29. LUCUM PROSPICIT. *in quo erat fluminis nomen. Diximus enim numquam sine religione esse lucum a Virgilio positum.* facile vides ibi *fluminis numen* legi debere. apud eumdem grammaticum vice versa *numen* legitur pro *nomen*, ad L. 11. Aen. ℣. 277. VENERIS VIOLAVI VOLNERE DEXTRAM. *Artificiose agit. nam sciens ea quae dicuntur in fine, animis inhaerere: suos casus ultimos memorat. Perite etiam Venerem tantum a se vulneratam dicit, Martis supprimens numen, quod ei poterat esse gloriosius.* vitiosam lectionem utrobique servarunt editiones recentatae; etiam illa splendida Leidensis, quae Jacobi Emmenessii nomine censetur. & tamen utrumque locum recte emendaverat jam ante sesquisaeculum Georgius Fabricius, vir laudatissimus, cujus scripta non tam fastidiose negligi debebant prae Faventiis nescio quibus ac Benedictis Aminibus. *Augusti numen, Caesaris numen*, plurimis locis invenies apud Gruterum. vide, prae caeteris, p. CCXXVIII. CCXXIX. nihil istis clarius, nihil efficacius tuendae nostrae lectioni.

51. Si

Nos contra angusto versamus praelia lecto.
    Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus altera, si datur uno
    Posse frui. fruar o solus amore meo,
His saltem ut tenear jam finibus: aut, mihi si quis
    Venerit alter amor, acrius ut moriar.
Sed memini, solet illa leves culpare puellas:
    Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sint tangenda novercae pocula Phaedrae,
    Pocula privigno non nocitura suo:
Seu mihi Circaeo pereundum gramine, sive
    Colchis Iolciacis urat aëna focis:
Una meos quoniam praedata est femina sensus,
    Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores:
    Solus Amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
    Phoenicis Chiron lumina Phillyrides.

Et

51. SI MEMINI] *Sed memini*, liber Vaticanus observante Livinejo, & probante. recte. nam exemplo constantiae herilis, ipse errorem suum reprehendit.

53. SEU MIHI SINT TANGENDA] *sunt* habent duo nostri, cum Borrichiano. & sequitur mox, *pereundum est.* sed istud *est* aliunde irrepsit; & melius delebitur. ostendit hic locus Hippolytum a noverca aut philtro aut veneno malo fuisse tentatum, quod opinor hodie nusquam legitur, amissis qui tradiderant scriptoribus Graecis.

55. CIRCAEO GRAMINE] Plinius L. 25. C. 2. *Certe quid non replevere fabulis Colchis Medea, aliaeque, in primis Itala Circe, Diis etiam adscripta? unde arbitror natum, ut Aeschylus e vetustissimis in Poëtica, refertam Italiam herbarum potentia proderet, multique Circeios, ubi habitavit illa, magno argumento etiamnum durante in Marsis a filio ejus orta gente, quos esse domitores serpentium constat.* Theophrastus L. 9. C. 15. Hist. Plant. interprete Theodoro Gaza: *Tractus medicamentorum fertiles potissimum tradunt, extra Graeciam, Etruriam & Latinum agrum, qua Circen habitasse affirmant. — Aeschylus enim, in Elegis, copiam medicaminum venenorumque Etruriae tribuit,*

Gens Tyrrhena suis clara veneficiis.

56 COLCHIS COLCHIACIS] mira est pertinacia quorumdam hominum in propagandis fovendisque erroribus. jam plus quam saeculum est, postquam monente Scaligero legi debuit *colchis Iolciacis.* & tamen vulgatum istud occupat omnes quotquot exinde prodierunt editiones. veram esse Scaligeri emendationem ostendit Virgilius in Ciri:

Pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.

Horatius Epod. 5.

Herbasque, quas Iolcos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax.

adi sis notas Nic. Heinsii ad L. 7. Metamorph. ℣. 159. de Thessaliae veneficiis ubertim Lucanus, atque Apulejus in Metamorphoseos libris.

16 URAT AENA] v. Gronovius ad Senec. Med. ℣. 666. p. 506. a

Et deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.
Myſus & Aemonia juvenis qua cuſpide vulnus
Senſerat, hac ipſa cuſpide ſenſit opem.
Hoc ſi quis vitium poterit mihi demere, ſolus
Tantaleae poterit tradere poma manu.

Dolia

63. CRESSIS HERBIS] non, ut quidam volunt, quia Androgeos Cretenſis; ſed quia in Creta omnes frutices omneſque herbas efficaciores naſci, ac ſalubriores quam uſquam alibi, ſtatuebant veteres, teſte Theophraſto L. 9. Hiſt. Plant. C. 16. & Servio in L. 12. Aen. ℣. 412. Macrobius VII. Sat. 5. *quibus admiſcetis quidquid nutrit India, quidquid devehitur herbarum quibus Creta generoſa eſt.* etiam in hac fabella alios noſter auctores habuit, ac nos hodie habemus.

66. HAC IPSA CUSPIDE SENSIT OPEM] ita fere omnes poëtae, quorum loca pleraque Paſſeratius collegit. copioſe Columna ad Ennium p. 269. b. ſq. tamen alii volunt Telephum herbis ſanatum ab Achille, herbarum peritiſſimo. Claudianus Epiſt. ad Hadrian.

Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis.

quamquam non ignoro Nic. Heinſium iſtic legere *Achillea haſta*, plurium librorum ſuffragia ſecutum. memorabilis eſt locus Plinii L. 25. C. 5. *invenit & Achilles diſcipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quae ob id Achilleos vocatur. Hac ſanaſſe Telephum dicitur. Alii primum aeruginem inveniſſe, utiliſſimam emplaſtris. ideoque pingitur ex cuſpide decutiens illam gladio in vulnus Telephi. alii utroque uſum medicamento volunt.* Acro ad Horat. Epod. 17. *Telephus reſtitit, & ſingulari certamine cum Achille conflixit, a quo & vulneratus eſt. Sed cum poſtea errore cognito in amicitiam rediſſent, ab Achille herbis curatus eſt, quarum ſcientiam habebat Chirone docente.* Apulejus, quiſquis tandem ille eſt, de herbar. virib. C. 89. *Achilleam herbam Achilles invenit, unde vulnera ferro facta ſanabat: hac ſanaſſe Telephum dicitur.* paullo aliter L. Septimius L. 2. C. 6: *Hi itaque* [Agamemnon cum Menelao] *Machaonem & Podalirium Aeſculapii filios venire, ac vulneri mederi jubent; qui inſpecto crure, propere apta dolori medicamina imponunt.* maluit hic ſcriptor conſiſtere intra ſimilitudinem veri, quod ei vetus eſt ac ſolenne.

67. HOC SI QUIS VITIUM POTUIT MIHI DEMERE] lege cum tribus noſtris, & Colbertino utroque, *poterit mihi demere.* cauſſam tibi reddent ſequentes verſus.

68. TANTALEAE POTERIT TRADERE POMA MANU] Nic. Heinſius Not. ad Claudiani L. 2. de Raptu Proſerp. ℣. 337. refingebat,

Tantalea poterit radere poma manu;

quod iterum repetit Not. ad Ovid. L. 3. Amor. Eleg. 15. ℣. 2. & *radere* hic poni dicit pro *corradere.* invitus diſcedo a judicio viri incomparabilis: ſed enim hoc loco aſſenſum meum praebere non poſſum. nam *radere poma* quis umquam dixit? & ſi vel maxime id probum ſit; *corradere poma* vix poterit dici Tantalus, qui neceſſe habet decerpere pendentia ſupra caput ſuum poma, non vero converrere ante ſe jacentia. *Tantalea* eſt in omnibus MSS. nimirum quia credebant τὸ *manu* eſſe ſexti caſus: in quo eos ſefellit ratio. & dictum aliquid ſupra ad L. 1. Eleg. 11. ℣. 12. Gellius L. 4. C. 16: *Non omnes concedunt in dativo caſu* ſenatui *magis dicendum, quam* ſenatu. *ſicut Lucilius in eodem caſu,* victu & anu *dicit, non* victui & anui, *in hiſce verſibus,*

Quod ſumtum atque epulas victu praeponis honeſto.

& alio in loco, anu noceo, *inquit.* praeterea non haec mens poëtae noſtri hoc vult: ſi quis medicinam facere poterit huic morbo meo, ille idem enecto ſiti ac ſame Tantalo poma in manus tradere poterit: ille Danaidum ſemper perfluentia dolia fideliter replebit: ille aquilam a Promethei jecore abiget, rumpetque vincula quibus is ad Caucaſum alligatus haeret. quare omnino legendum videtur *Tantaleae*, nec mutandum τὸ *tradere.*

Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assidua colla graventur aqua.
Idem Caucasia solvet de rupe Promethei
Brachia, & a medio pectore pellet avem.
Non hic herba valet: non hic nocturna Cytaeis:
Non Perimedea gramina secta manu.

Quippe

72. A MEDIO PECTORE PELLET AVEM] vulturem fuisse Apollo auctor est apud Valerium Flaccum L. 4. ℣. 68. vide eumdem VII. 359.

Fixus ubi e scopulis, media inter pabula diri
Vulturis, ipsum etiam gemitu moestaque fatigat
Voce Jovem, saevit relevans ambusta pruinis
Lumina: congeminant amnes rupesque fragorem
Caucasiae: stupet ipse dei clamoribus ales.

Ceteri fere aquilam fecerunt: vide Servium in Eclog. 6. ℣. 42. pulcerrimi sunt versus L. Attii, de Aeschylo sumti, apud Ciceronem L. 2. Tuscul. Quaest. C. 10.

Jam tertio me quoque funesto die,
Tristi advolatu, aduncis lacerans unguibus
Jovis satelles pastu dilaniat fero.
Tum jecoro opimo farta, & satiata affatim
Clangorem fundit vastum, & sublime advolans (f. *avolans*)
Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
Cum vero adesum inflatu renovatum est jecur,
Tum rursus tetros avida se ad pastus refert.
Sic hunc custodem moesti cruciatus alo:
Qui me perenni vivum foedat miseria.
Namque, ut videtis, vinclis constrictus Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.

verum uti Jupiter non semper omnibus placere potuit, ita hoc ejus facinus indignissime tulerunt habitatores montis Caucasi; omnesque eo nomine aquilas pro inimicis habuerunt, nidos omnes ubicumque exstructi fuerant igniferis sagittis incenderunt, & laqueos ad eas ipsas capiendas disposuerunt, Prometheum ulcisci dictitantes. auctor Philostratus L. 2. de Vita Apollonii C. 2. & hanc tam insignitam injuriam Spartano stomacho contemsit magnanimus Saturni filius. crederes Stoicorum praeceptis animum corroborasse.

73. NOCTURNA CYTAEIS] recte. semper enim noctu fiebant sacra magica. Apulejus Apol. *igitur & occulta non minus, quam tetra & horribilis, plerumque noctibus vigilata, & tenebris abstrusa, & arbitris solitaria, & carminibus murmurata.* Canidia apud Horatium Epod. 5.

o rebus meis
Non infideles arbitrae
Nox, & Diana, quae silentium regis
Arcana quum fiunt sacra.

tale sacrum nocturnum cum omni suo ornatu magnifice instruit Virgilius L. 4. Aen. haud longe a fine. fiebat autem post exactum noctis meridiem, quod luculenter ostendit Apollonius Rhodius, loco bene longo, L. 3. Argonaut. ℣. 1028. idque luna plena, ut tanto foret efficacius. Ovidius L. 7. Metam.

Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent,
Efficerentque orbem. postquam plenissima fulsit,
Ac solida terras spectavit imagine Luna:
Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos:
Fertque vagos mediae per muta silentia noctis
Incomitata gradus.

de noctis hora etiam Silius L. 13.

Vade, age, & a medio cum se nox humida cursu
Flexerit, ad fauces vicini castus Averni
Due praedicta sacris duro placamina Diti.

quin imo ut mensis esset desinens observabant. Philostratus L. 7. de Vita Apollonii C. 10. interprete Alemano Rhinuccino: *Dicunt te cum Nerva simul in agrum exeuntem, mactatum Arcadem puerum in frusta concidisse: atque in regis perniciem sacrificasse: atque hoc sacrificio Nervam ad opinionem regni extulisse, eaque noctu a vobis fuisse perpetrata, desinente jam mense.*

74. NON PERIMEDEA GRAMINA COCTA MANU] in octo libris est, *Non per Medeae*

75 Quippe ubi nec caussas, nec apertos cernimus ictus,
Unde tamen veniant tot mala, caeca via est.

Non

gramina cocta manus. quomodo & Gebhardus in suis invenerat. sed melior est vulgata lectio, quam iidem ex libris veteribus Beroaldus ac Passeratius depromserunt, & merito probavit venerum omnium medulla M. A. Muretus. nam sane *Cytaeis* Medea est. Perimedes meminit Theocritus in Pharmaceutria: estque eadem quae Homeri Acamede. pro *cocta* mallem ego *secta*, si per libros liceret, propter *τὸ manu.* neque enim nulla vis erat in ipsa sectione graminum, vel ad odium, vel ad amorem. Ovidius Lib. de Medicam. faciei. ℣. 35.

Sic potius nos uret amor; quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.

Virgilius L. 4. Aen.

Falcibus & messae ad lunam quaeruntur aënis
Pubentes herbae, nigri cum lacte veneni.

Ovidius L. 7. Metam.

placita partim radice revellit,
Partem succidit curvamine falcis aënae.

sed & ipsa illa falx incantabatur, eodem poëta prodente Epist. Hypsipylae:

Nec facie meritisve placet; sed carmine movit:
Diraque cantata pabula falce metit.

Seneca Medea ℣. 717.

Quodcumque gramen flore mortifero viret,
Dirusve tortis succus in radicibus
Caussas nocendi gignit, attrectat manu.
Aemonius illas contulit pestes Athos;
Has Pindus ingens; illa Pangaei jugis
Teneram cruenta falce deposuit comam.

tum paucis post versibus:

Haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem;
Illius alta nocte succisus frutex:
At hujus ungue secta cantato seges.

Valerius Flaccus L. 7. ℣. 364. ubi de herba Promethea:

Prima Hecate Stygiis durata fontibus harpe
Intulit, & validas scopulis effodit aristas:
Mox famulae constrata, seges, quae lampade Phoebes
Sub decima, juga foeta metit, saevitque per omnes
Relliquias saniemque dei; gemit irritus ille
Colchidos ora tuens: moto tunc contrahit artus
Monte dolor, cunctaeque tremunt sub falce catenae.

sic infra 4, 2, 26.

Jurabis nostra gramina secta manu.

quae singula, opinor, conjecturam meam pulcre corroborant: estque praeterea *manu coquere* locutio sic satis singularis.

75. QUIPPE UBI NEC CAUSSAS) elegans locutio, nec valde protrita. idem notat quod *nam*, vel *praesertim cum*, vel *nam cum*. noster L. 1. Eleg. 9.

Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat amor?

Lucretius L. 1.

Quippe ubi non essent genitalia corpora cuique,
Qui posset mater rebus consistere certa?

& L. 3. ubi de anima res est:

nam longe mobilitate
Praestat, & a tenui caussa magis icta movetur.
Quippe ubi imaginibus fumi, nebulaeque movetur.

ac L. 4.

In pelago nautis ex undis ortus, in undis
Sol fit uti videatur obire, & condere lumen;
Quippe ubi nil aliud nisi aquam coelumque tuentur.

& mox eodem libro:

Quippe ubi cui febris bili superante coorta est,
Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi;
Perturbatur ibi totum jam corpus, & omnes
Commutantur ibi positurae principiorum.

Virgilius fine L. 1. Georg.

Quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem:
Tam multae scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos.

76. UNDE TAMEN VENIANT TOT MALA, CAECA VIA EST.] in codice Groningano legitur *torta via est*; dubitante Modio an non sit, *certa via est*, Novant. Epist. 18. oportet Modium minus bene ab oculis valuisse

tum

Non eget hic medicis, non lectis mollibus aeger:
Huic nullum caeli tempus, & aura nocet.
Ambulat, & subito mirantur funus amici
Sic est incautum quidquid habetur amor.
Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero:
Maecenas nostrae spes invidiosa juventae,
Et vitae & morti gloria justa meae:

tum temporis: nam perspicuis ibi literis hodie quoque *torta* legitur. vulgata optime habet, neque debet sollicitari. *tamen* hoc loco valet *tandem*, vel *denique*: observatum Passeraratio, & exemplis illustratum. quibus adde locum Valerii Flacci L. 6.

Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri,
Quae scopulis trabibusque diu confectaque flammis
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.

pariter Lactantius lib. de mortibus persecut. C. 33. *Nascitur ei* [Galerio] *ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latius. Medici secant, curant. Sed inductam cicatricem rescindit vulnus, & rupta vena fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura.* Apulejus L. 5. Metam. *Fortassis tamen praecedente consuetudine, & adfectione roborata, Deam quoque illam Deus maritus efficiet.* & Apolog. *Cedo nunc, etsi inspexisse me fateor, quod tamen crimen est imaginem suam nosse?* Justinus L. 30. C. 2. *Mors ejus, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concursu multitudinis & Agathocles occiditur,* &c. vides istic voculam *diu* respondere τῷ *tamen*; quod non recte intellectum quidam mutare voluit.

77. NON EGET HIC MEDICIS) Cicero lib. de Amicit. Cap. 3. *Sed non egeo medicina: me ipse consolor*, &c.

79. SUBITO) lege *subitum*. τὸ *m* elicuit in prima litera vocis. *mirantur*: tum ex *subitu* fecerunt *subito*. Virgilius XII. Aen. 862.

Alitis in parvae, subitam conlecta figuram.

quomodo Pierius, & Heinsius: vulgo *subite* excusum fuit,

79. MIRANTUR) *miramur*, codex Groninganus recte: sic editum oportuit.

81. VITAM MEA FATA REPOSCENT] Livinejus malebat *vitam me fata rep.* non male. *me* habebat liber Vossianus. Valerius Flaccus L. 1.

Accelerat sed, summa dies, Asiamque labantem
Linquimus, & poscunt jam me sua tempora Graji.

sed nec vulgatam rejicias: est enim *mea fata* idem quod *meae Parcae.* Virgilius L. 6.

Sed me fata mea & scelus exitiale Lacenae
His mersere malis.

Juvenalis Sat. 9. eam locutionem sic extulit:

Haec exempla para felicibus: at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur &c.

bene autem, *reposcent.* Albinovanus:

Vita data est utenda; data est sine foenore nobis
Mutua; nec certo persolüenda die.

Seneca de Vita beata C. 20. *Quandocumque autem natura spiritum repetet, aut ratio dimittet, testatus exibo, bonam me conscientiam amasse*, &c. quamquam, quod ibi de ratione dicitur, non nisi Stoicae rationi est consentaneum. his verbis *reposcere* & *repetere* respondet trita locutio *animam reddere, spiritum reddere, persolvere debitum naturae*, &c.

82. ET BREVE IN EXIGUO MARMORE NOMEN ERO.) quid hic sit *nomen*, erudite exponit And. Schottus L. 3. Obs. Hum. C. 20. hoc simul loco commode illustrato. bene etiam Passeratius.

83. NOSTRAE SPES INVIDIOSA JUVENTAE)

Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda caelatis siste Britanna jugis.
Taliaque inlacrimans mutae jace verba favillae:
Huic misero fatum dura puella fuit.

TAE) in Groningano est, *pars invidiosa.* quod in suis inventum Beroaldus verum pronuntiat ac legitimum. ergo Maecenas fuit pars juventae Propertianae? apage. & Passeratius jam rejecit. pari modo Maecenatem Horatius vocat *praesidium & dulce decus* suum. pariter cum nostro Ovidius L. 4. Met.

Multorumque fuit spes invidiosa procorum.

noster L. 3. Eleg. 7.

Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis: & a te est
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

85. SI TE FORTE MEO DUCET VIA PROXIMA BUSTO) noli hinc colligere, poetam nostrum voluisse sepeliri juxta viam publicam: sed potius expone, Si forte iter facies haud procul eo rusculo, in quo ego mihi sepulturam elegero. ipse ita jubet L. 3. Eleg. 14.

Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.

vide quae istic sequuntur. nec monuissem, nisi Passeratius haec perperam intellexisset.

86. ESSEDA CAELATIS SISTE BRITANNA JUGIS.) *Britanna* dixit pro *Britannica.* cujus figurae multa exempla Passeratius hic illic collegit. & supra notatum est aliquid ad L. 1. Eleg. 11. *esseda* sunt Britannorum vehicula. Caesar L. 4. Bell. Gall. C. 24. *Barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu & essedariis, quo plerumque genere in praeliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant.* rationem pugnandi ex essedis tradit paullo post C. 33. quam fuisse fallacem ostendit & Cicero L. 7. ad famil. epist. 6. *Tu qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris caveto.* hinc jocus in Trebatium epistola proxime sequente: *in Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti. id si ita est, essedum aliquod suadeo capias, & ad nos quam primum recurras.* transierunt brevi haec vehicula in usus Romanos: credo ob agilitatem & flexurae commoditatem: usique iis quam maxime homines delicati. Virgilius L. 3. Geor.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Philargyrius: MOLLI, *mobili dixit, ut: Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.* erant autem adeo levia, ut & puellae aurigarentur solae. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 16.

Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis
Ipsa per admissas concute lora jubas.

hanc mollitiem in Sexto Maena acerbe proscindit Horatius Epod. 4.

Sectus flagellis hic triumviralibus,
Praeconis ad fastidium,
Arat Falerni mille campi jugera,
Et Appiam mannis terit.

Cicero L. 6. ad Attic. epist. 1. *hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis, & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna. — erat praeterea cynocephalus in essedo: nec deerant onagri.* sic & Antonius Italiae municipia lustrabat, initio belli civilis. Philipp. 2. C. 24. *Vehebatur in essedo tribunus plebis: lictores laureati antecedebant: inter quos, aperta lectica, mima portabatur. sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi.* deinde magis ac magis invaluit demens luxus. Suetonius Claud. C. 16. *Fuerunt & illa in Censura ejus notabilia, quod essedum argenteum, sumtuose fabricatum, ac venale ad Sigillaria, redimi, concidique coram imperavit;* &c.

II. Qui

II.

QUi nullam tibi dicebas jam posse nocere,
  Haesisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
  Et turpis de te jam liber alter erit.
Liber eram, & vacuo quaerebam vivere lecto:
  At me composita pace fefellit Amor.
Quaerebam sicca si posset piscis arena,
  Nec solitus ponto vivere torvus aper;

Aut

1. QUI NIHILUM TIBI) in omnibus libris est; *Qui nullum tibi.* lege *nullam*; quod firmant sequentia. *nulla* sic absolute dicitur, ut *nemo*. Tibullus 1, 10, 63. *Illa nulla queat melius consumere noctem.* Ovidius Remed. Amor.

Cur nemo est, Hecalen; nulla est, quae ceperit Iron?

noster L. 2. Eleg. 23.

Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.

Justinus L. 28. c. 4. *Nemo in acie saluti pepercit, nulla amissum conjugem flevit:* Plautus Aulul. Act. 3. Sc. 5.

Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli . . . . .
Majorem multo, quam tibi erat pecunia.

Terentius Heautontim. Act. 5. Sc. 3.

Tum praeterea talem, nisi tu, nulla pareret filium.

Sic & *nullus* dicebant. Seneca de Brevit. vit. C. 6. *Disputatur, an ipse sibi manus attulerit, subito enim vulnere per inguen accepto, collapsus est: aliquo dubitante, an mors voluntaria esset; nullo, an tempestiva.*

2. VIX UNUM POTES INFELIX] numerus insuavis, qui incessum versiculi primi odiose imitatur. Lege.

Vix potes, infelix, unum requiescere mensem.

5. VACUO QUAEREBAM VIVERE LECTO] membranae habent fere *meditabar vivere:* quod tamen minus aptum est, quam *quaerebam*; &, ut videtur, hujus ipsius interpretatio ex margine. Horatius L. 3. Od. 27.

Speciosa quaero
Pascere tigres.

& Od. 24.

Si quaeret, Pater urbium,
Subscribi statuis.

Justinus L. 20. C. 3. *tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quaerunt, feliciter vicerunt.* Quomodo & Lucretius, & Catullus alicubi. Corn. Nepos Conone C. 2. *rebus autem afflictis, cum patriam obsideri audisset, non quaesivit, ubi ipse tuto viveret: sed unde praesidio posset esse civibus suis.* Plinius L. 8. C. 53. de ibicibus: *in haec* [cornua] *se librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum e monte aliquo in alium transilire quaerentes.* non capiebant librarii vim vocis interiorem.

6. COMPOSITA PACE] facta pace rursus me dolo aggressus est, inquit Passeratius. sane *pacem componere* est facere pacem. tamen hic *composita pax* est conficta, simulata: in qua nihil veri; uti recte Schoppius exposuit L. 4. Verisimil. C. 12. Cicero Accus. 2. in Verr. C. 22. *rem occulte instituunt: ad Verrem per ejus interpretes defecerunt: ita causa componitur, ut item palaestritae Bidenses peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palaestritae Syracusani ab Heraclio petissent.* pro Sextio C. 18. *quem virum studiosum mei, cupidissimum reipublicae conservandae, domi meae certi homines ad eam rem compositi monuerunt, ut esset cautior: ejusque vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt.*

 Auctor

Aut ego si possem studiis vigilare severis.
Differtur, numquam tollitur ullus amor.
Ac veluti primo taurus detractat aratro,
Mox venit adsueto mollis ad arva jugo:
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post haec aequa, & iniqua ferunt.

Tur-

Auctor dial. de Orator. C. 12. *vel si haec fabulosa nimis & composita videntur, illud certe mihi concedis Aper*, &c. Ausonius Epist. 24.

Nec quae compositit malesuadae credula causis
Concinnat verisimilis suspicio culpas.

9. SERENIS] habent codices nonnulli. videndum si hoc referri possit ad Lucretianum *noctes vigilare serenas*. nec tamen displicet vulgata scriptura.

11. PRIMO TAURUS DETRECTAT ARATRA] *detractat* habet noster secundus, cum duobus Regiis ac Colbertino utroque: quae est ipsissima vetustatis scriptura. Lactantius C. 9. de mortibus persecutor: *in tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est, ut jam detrectaret Caesaris nomen.* Vide ibi Jo. Columbum, &, qui nuperrime edidit, P. Bauldri. Sic *adtractare* legi in vetustis Maronis ac Livii exemplaribus, notavit Jo. Pierius Valerianus ad L. 2. Aen. ℣. 719. sic *conjuge praerapta* scribitur in membraneo codice Virgilii eximiae bonitatis, qui est apud virum disertissimum Petrum Francium, L. 9. Aen ℣. 138. sic *conspargere* in manuscripto Phaedro invenit illustris Gudius, L. 2. Fab. 5. atque ita crebro Sallustius. deinde *aratro* erat in nostro primo, ac Borrichiano; quod & in Comel. invenerat Gebhardus. sed vulgata non videtur temere tentanda. Ovidius L. 3. Pontic. Epist. 7.

Ductus ab armento taurus detrectat aratrum.

plura Passeratius dabit firmandae receptae lectioni. tamen, ut verum fatear, istud mihi *aratro* nescio quo modo subblanditur: & propemodum inducor, ut credam latere ellipsin verbi *parere*, aut alicujus non dissimilis. sane ad hanc faciem verbo *negare*, non multum abeunte a *detractandi* verbo, usus est Lucanus L. 8. ipso initio:

Jam super Herculeas fauces, nemorosaque Tempe,
Aemoniae deserta petens dispendia silvae,
Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem
Magnus agens, incerta fugae vestigia turbat.

itemque Papinius L. 3. Silv. 1.

Praecipuus sed enim labor est, exscindere dextra
Oppositas rupes, & saxa negantia ferro.

vide quae in hanc rem notavit inusitatae vir eruditionis Jo. Fred. Gronovius Diatribes Statianae capite 45. & quae nos ad Tibull. 1, 7, 44.

12. MOX VENIT ADSUETO) libri habent *Post.* sed τὸ *mox* aptius est: id enim notat tractum temporis, interdum etiam satis longum. ut apud Florum L. 3. c. 19. *primum servile bellum inter initia urbis, Herdonio Sabino duce in ipsa urbe tentatum est --- Mox imperio per diversa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello esse vastatam? adsueto jugo*, ut supra L. 1. Eleg. 1.

Sua quemque moretur
Cura, neque adsueto mutet amore locum.

Virgilius L. 6. Aen.

Ne pueri, ne tanta animis adsuescite bella.

Papinius L. 4. Thebaid.

Armiferos geminae jam sidere brumae
Orgia ferre Getas, canumque virescere dorso
Othryn, & Icaria Rhodopen adsueverat umbra.

14. DEHINC DOMITI POSTHAEC] parelcon, quale illud Virgilii L. 8. Aen.

Posthinc ad navis graditur, sociosque revisit.

quod probo judicio imitatus est vir multo disertissimus Dominicus Baudius L. 1. Gnom. Jamb. carm. 17.

lenis ante corrigi,
Mox pravitate post inemendabili
Curvatur arbos.

plurimum gaudebant veteres hoc genere pleo-

Turpia perpeſſus vates eſt vincla Melampus,
Cognitus Iphicli ſubripuiſſe boves.
Quem non lucra, magis Pero formoſa coëgit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.
Nec me tam facies, quamvis ſit candida, cepit:
Lilia non domina ſint magis alba mea:
Ut Maeotica nix minio ſi certet Hibero,
Utque roſae puro lacte natant folia.

Nec

pleonaſmi. ſic dicebant *olim quondam*, *poſt deinde*, *deinde deinceps*, *repente ſubito*, *tandem denique*, & quae ſunt ad hanc formam alia longe plura. vide ſis quae vir doctiſſimus Geor. Fabricius notavit ad Terent. Eunuch. Act. 4. Sc. 7. & ad Heaut. Act. 2. Sc. 3. quaeque incomparabilis Voſſius lib. de Conſtruct. C. 63. Quocirca vix eſt ut adſentiar Paulo Manutio, a quo tamen invitus diſcedo, in Miloniana, C. 24, legenti: *Quid, quae poſtea ſunt in eum congeſta, quae quemvis etiam mediocrium delictorum conſcientia perculiſſent, ut ſuſtinuit?* quum antea legeretur: *Quid, quae deinde poſtea ſunt in eum congeſta.* nam quod τὸ *deinde* pro gloſſemate habet, nimis eſt audax facinus, niſi veteres libri ſuffragantur. Cicero Philipp. 6. C. 3. *Teſtificor, denuntio, ante praedico, nihil M. Antonium eorum, quae ſunt legatis mandata, facturum.* de Senectute C. 14. *quam delectabat eum, defectiones ſolis & lunae multo ante nobis praedicere!*

20. Sint magis alba] *ſunt* eſt in noſtris duobus. minus recte.

21. Ut Maeotica nix minio si certet Hibero:
Utque rosae puro lacte natant folia.]
venuſtiſſimae comparationes, quarum alteram Anacreonti deberi notarunt Lipſius L. 1. Ant. Lect. C. 20. & Barthius L. 25. Adv. C. 4. cui etiam ipſi ſublegiſſe videri poteſt Achilles Tatius L. 5. ubi dicit, Melittes in vultu colorem eum eſſe, quem ſanguine ac lacte temperatum crederes. ſed & Ennius tale quid dixerat Annal. L. 11.

Et ſimul erubuit ſeu lacte & purpura miſta.

quod nobis fragmentum ſervavit Nonius Marcellus in *lacte*. eſt & Maronis comparatio admodum illuſtris L. 12. Aen.

Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba roſa; tales virgo dabat ore colores.

aemulatus eſt Ovidius, addito etiam tertio emblemate, L. 2. Amor. Eleg. 5.

Quale roſae fulgent inter ſua lilia miſtae:
Aut ubi cantatis Luna laborat equis:
Aut quod, ne longis flaveſcere poſſit ab annis,
Maeonis Aſſyrium femina tinxit ebur.

aliquanto lenius, & ſuo quodam more peculiari, Tibullus L. 3, Eleg. 4.

Ut quum contexunt amaranthis alba puellae
Lilia, & autumno candida mala rubent.

iſtas noſtri delicatiſſimas imagines furto indecoro deturpavit Publius quidam Spinula, ſuperiorum temporum poëtaſter parvulus:

Purpurea eſt facies, facies eſt candida noſtrae:
Lilia non membris ſunt magis alba ſuis.
Ut ſi nix minio certet, vel cana pruina;
Et folia ut puro lacte notata roſae.

verebatur, opinor, homo providus ne aliquando totus interiret Propertius: atque ideo has gemmas in ſuis ſcriniis clementer ſervatum ivit. quanto venuſtius noſter ille Hoofdius, in ſuo aere dives:

Kaekjes, zacht, van ys en gloedt;
Leelymelk en roozebloedt.

uberrime haec inluſtravit Hier. Columna ad Ennium p. 96. b. ſq. paene exciderat, in Groningano legi *certat*. quod minus mihi probatur.

21. Ut Maeotica nix minio si certet Ibero] d'Urfé T. 5. de l'Aſtrée L. 4. p. 334. *le reſte de ſon viſage plus blanc que la neige, mais que la neige ou en quelques endroits on auroit jetté de la poudre de cinabre, eſtoit auprès de ſes cheveux comme l'yvoire l'eſt auprès de l'ebene.*

Nec de more comae per laevia colla fluentes,
  Non oculi geminae sidera nostra faces:
Nec siqua Arabio lucet bombyce puella.
  Non sum de nihilo blandus amator ego.
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
  Egit ut evantes dux Ariadna choros.
Et quantum, Aeolio quum tentat carmina plectro,
  Par Aganippeae ludere docta lyrae.
Et sua quum antiquae committit scripta Corinnae,
  Carminaque aequaevis non putat esse suis.

Num

24. OCULI GEMINAE SIDERA NOSTRA FACES] d'Vrfé T. 5. de l'Astrée L. 4. p. 334. *Ses yeux eblouissoient quiconque les osoit regarder. Ils ne sembloient pas seulement pleins de lumiere, l'on auroit dit encore qu'ils estoient tout de feu.*

28 EGIT UT EVANTES DUX ARIADNA CHOROS] multum desciverant mores ab illa antiqua severitate. non ita pridem Sallustius in Sempronia reprehenderat, quod psalleret & saltaret elegantius, quam necesse esset probae. noster id summae laudi ducit in sua Cynthia. & sane oportet Graeculos motus egregie doctam fuisse, quae tam formose saltaverit Ariadnem, multi laboris opus. videndus Homerus L. 18. Iliad. ℣. 590. ejus choreae, ad ductum Homeri in candido lapide olim expressae, meminit Pausanias in Boeoticis. Lydarum mulierum choros Bacchicos multa cum laude celebrat Dionysius Perieg. ℣. 839. in versu proxime superiore, pro *formose saltat*, duo Colbertini habent *formose jactat*. equidem nescio, si *jactare* sic ἁπλῶς dici potest, pro eo quod est *brachia jactare*; in quo motu magna pars erat saltationis antiquae. videbunt doctiores.

30. PAR AGANIPPEAE LUDERE DOCTA LYRAE] N. Heinsius videtur maluisse *Mytileneae lyrae*, inductus illo Claudiani,

Quod Mytileneo modulatur pectine Sappho.

prorsus praeter mentem poëtae; ut omittam omnium librorum consensum, in quibus nihil tale. Cynthiam suam non cum Sapphone comparat; sed eam canere dicit quod aequare possit ipsam Musarum lyram. sic L. 1. Eleg. 2.

Quum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram.

32. CARMINAQUE AEQUAEVIS NON PUTAT ESSE SUIS.] haec est Scaligeri correctio, qua nihil certius. *Carmina quae quivis*; legitur in nostris duobus; Borrichiano; utroque Regio; uno Colbertino. neque aliter in suis invenerant Beroaldus ac Volscus. eadem praefert Vaticanus Livinejo inspectus; & duo Palatini Gebhardo, qui tamen refingit *Carmina Sirenum*, ne scilicet nihil dicat. in Groningano, inque altero Colbertino, est *Carmina que lyrnes*. quod ego quid sit numquam divinaverim. nos contenti simus nostro Catone. qui quod iniquiorem habuerit Jacobum Wallium, virum omnibus poëticae artis laudibus florentissimum, est cur indignemur, non cur miremur. non Scaliger hunc locum corrupit, ut Wallius autumat; non etiam Beroaldus, ut Scaliger; sed vero Antonii Volsci putidum caput. quem dum nimis cupide sequitur Beroaldus, factum est ut posteriores crediderint a libris esse id, quod erat somnium pusilli homuncionis, nulla re nisi sola temeritate nobilis. etiam maximum virum Lilium Gregorium Gyraldum hic error transversum egit, dial. 4. Histor. Poëtar. ubi Propertium respexisse putat ad *Hecaten*, Erinnae poëma, cujus versus Homericis per quam similes sint visi. numquam haec in mentem venissent homini longe doctissimo, si vel leviter inspexisset veteres Propertii libros.

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aureus argutum sternuit omen Amor?
Haec tibi contulerunt caelestia munera divi,
Haec tibi: ne matrem forte dedisse putes.
Non, non humani sunt partus talia dona:
Ista decem menses non peperere bona.

Glo-

34. ARIDUS ARGUTUM STERNUIT OMEN AMOR.] mera mapalia hic faciunt interpretes, dum anxie inquirunt, cur Amor dicatur *aridus?* *Aridus*, (Schoppium audis L. 4. verif. C. 12.) *ob sonum quem sternutans edit.* quis non laudet commentum? eadem totidem verbis Passeratius. Macrobius in libello de Differentiis & societate Graeci Latinique verbi, ita profert hunc versum,

Candidus Augustae sternuit omen Amor.

unde Jo. Isacius Pontanus multo cum ambitu asserit, veram lectionem, & quam olim ipsi Scaligero probaverit, esse *Candidus augustum*, &c. quod & ipsum pro suo Passeratius venditavit frustra omnia. in τῷ *aridus* latet vera lectio; quae est *Aureus*, proprium ac tantum non perpetuum Cupidinis epithetum. pariter ὁ χρυσὸς Ἔρως Aristaeneto dicitur. L. 1. Epist. 1. Ovidius Remed. Amor. ipso fere initio:

Haec ego. movit Amor gemmatas aureus alas.

& L. 2. Amor. Eleg. 18.

Nec tibi (qua tutum vati, Macer, arma canenti)
Aureus in medio Marte tacetur Amor.

& ejusdem operis L. 1. Eleg. 2. ad Cupidinem:

Tu, pennas gemma, gemma variante capillos,
Ibis inauratis aureus ipse rotis.

Martialis VIII. 51.

Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis:
Palladius tenero lotos ab ore sonat.

Apulejus L. 5. Milesiar. *o nos beatas, quas infantis aurei nutrimenta laetabunt! qui si parentum, ut oportet, pulcritudini responderit, prorsus Cupido nascetur.* Sappho quoque Venerem vocat χρυσοῦ χρυσοτέραν. nec semel Venus *aurea* dicitur apud Maronem; apud Homerum multo etiam frequentius. Et hinc omnia pulcra, solenni voce *aurea* vocantur Tibullus 4, 16, 40. *Sed ille quum redibit aureus puer.* de sternutatione non est cur multa moneamus. Quod vero Amorem potissimum, nascente Cynthia, sternutatione felix omen dare faciat poëta, non ita est in propatulo. ab ipsis Aegyptiis caussam accersit Macrobius L. 1. Saturn. C. 19. *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum, quae genesis appellatur, Aegyptii protendunt, Deos praestites homini nascenti quatuor adesse memorantes,* δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην. quorum deinceps singulorum rationes reddit. τὸ *aridus* exponit interpres Parisinus nuperrimus per *propitius & favens.* o illum nimis cerebri felicem, cui ad omnem nodum cuneus est praesto. & tamen haec ipsa expositio multis visa est nimis quam arida & macra: qualem scilicet hominis ab omni literarum cultu aridissimi esse conveniebat: qui in tot paginis ne semel quidem sapere voluit, *Solamque servat gloriam ariditudinis.*

37. NON, NON HUMANI SUNT PARTUS TALIA DONA] bellissima repetitio ejusdem particulae, quam & Passeratius observavit. addo ego, esse eo etiam concinniorem, quod in ipso principio ponitur, nulla alia voce interjecta. quae res mirifice animat orationem. Terentius Phorm. Act. 2. Sc. 1. *non, non sic futurum est: non potest.* Catullus Carm. 14.

Non, non hoc tibi, salse, sic abibit.

Cicero Philipp. 4. C. 5. *Non est, non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, quo cum aliqua pacis conditio esse possit.* in initio, post moram non nullam, Cicero pro Milon. C. 8. *Non fuit ea caussa, judices, profecto non fuit, cur sibi censeret Pompejus quaestionem ferendam.* ibid. C. 35. *Negat enim se, negat ingratis civibus fecisse quae fecisset: timidis, & omnia circumspicientibus pericula, non negat.* Virgilius L. 9. Aen.

O

Me,

Gloria Romanis una es tu nata puellis.
Romano accumbes prima puella loco.

Nec

Me, me; adsum qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli.

Cicero Accuſ. 5. in Verr. C. 48. *Adſpicite, adſpicite, judices, ſqualorem ſordeſque ſociorum.* ibid. C. 59. *Malo, malo mehercule id, quod tu defendis, his judicibus populoque Romano, quam id, quod ego inſimulo, probari.* pro M. Fontejo C. 7. *Fuit, fuit illis judicibus divinum ac ſingulare, judices, conſilium.* pro Caecin. C. 29. *Mea, mea eſt iſta defenſio: ego omnes homines deoſque teſtor,* &c. pro Cluentio C. 23. *nihil, nihil inquam aliud, judices, reperietis.* pro domo ſua C. 40. *Adſpicite, adſpicite, pontifices, hominem religioſum,* &c. Seneca Herc. fur. ℣. 1157.

Pudet fateri: paveo. Neſcio quod mihi,
Neſcio quod animus grande praeſagit malum.

Cicero pro Milon. C. 26. *Erit, erit illud profecto tempus, & illuceſcet aliquando ille dies,* &c. ibid. C. 29. *Confiteretur, confiteretur, inquam, ſi feciſſet, & magno animo, & libente ſe feciſſe, libertatis omnium cauſſa.* C. 31. *Eſt, eſt profecto illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra non ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturae, tam praeclaro motu.* C. 33. *Excitate, excitate ipſum, ſi poteſtis, a mortuis. franget is impetum vivi, cujus vix ſuſtinetis furias inſepulti?* Philipp. 2. C. 15. *Dolebam, dolebam, patres conſcripti, rempublicam veſtris quondam meiſque conſiliis conſervatam brevi tempore eſſe perituram:* ibidem C. 17. *Audite, audite, patres conſcripti, & cognoſcite reipublicae vulnera.* Philipp. 4. C. 1. *Laudo, laudo vos, Quirites, cum gratiſſimis animis proſequimini nomen clariſſimi adoleſcentis, vel pueri potius. ſunt enim facta ejus immortalitatis; nomen aetatis.* Philipp. 8. C. 7. *Deſerti, deſerti, inquam ſumus, patres conſcripti, a principibus.* Philipp. 12. C. 2. *Decepti, decepti, inquam, ſumus, patres conſcripti: Antonii eſt acta cauſſa ab amicis ejus, non publica.* in media periodo poſuit Valerius Flaccus, magna cum vi, L. 7.

Quinquaginta Aſiam (pudet heu!) penetrarit Iaſon
Exſulibus? meque ante alios ſic ſpreverit una,
Una ratis, ſpolium ut vivo de rege reportet?

pariter Juvenalis Sat. 8.

Praeter majorum cineres atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Damaſippus, & ipſe,
Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine conſul.

Cicero pro Milon. C. 28. *Vota enim faceretis, ut in eos ſe potius mitteret, quam in veſtras poſſeſſiones, veſtra tecta, veſtras pecunias: pecunias dico? a liberis, a liberis, me dius fidius, & a conjugibus veſtris numquam ille effrenatas ſuas libidines cohibuiſſet.* in ultima Cicero, orat. de Haruſp. reſponſ. C. 18. *ſit ei deae, cujus ne nomen quidem viros ſcire fas eſt: quam iſte idcirco Bonam dicit, quod in tanto ſibi ſcelere ignoverit. Non ignovit, mihi crede, non.* &c. pro Sextio C. 36. *Hic jam de ipſo accuſatore quaero, qui P. Sextium queritur cum multitudine in tribunatu & cum praeſidio magno fuiſſe, num illo die fuerit. certe certe non fuit.* in initio & in fine Seneca Herc. fur. ℣. 1156. *Libet meum videre victorem, libet.* ceterum *humani partus ſunt,* erat in Groningano, utroque Colbertino, & Vaticano Livinei; numero elumbi, & ſubagreſti.

39. GLORIA ROMANIS UNA ES TU RARA PUELLIS] omnes tam ſcripti quam antiquitus cuſi libri habent magno conſenſu, *una es tu nata puellis.* Quomodo & L. 4. Eleg. ult. *Filia, tu ſpecimen cenſurae nata paternae.* Cicero Philipp. 13. C. 1. *ſive quis alius civile bellum optavit, eum deteſtabilem civem reipublicae natum judico.* ibidem C. 15. *Illud tamen animadvertite, patres conſcripti, quam ſit huic reipublicae natus hoſtis Antonius, qui tantopero eam civitatem oderit, quam ſciat huic reipublicae ſemper fuiſſe amiciſſimam.* Philipp. 14. C. 12. *Vos vero patriae natos judico, quorum etiam nomen a Marte eſt: ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuiſſe videatur.* Porphyrio in L. 1. Horatii Od. 27. *Natis in uſum laetitiae ſcyphis*] *Natis, id eſt, ad hoc ſpecialiter inventis & factis.* Sic, *Animal propter convivia natum.* & *Lucilius:*

Ju-

Nec semper mecum Romana cubilia vises:
  Post Helenam haec terris forma secunda redit.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?
  Pulcrius hac fuerat; Troia, perire tibi.
Olim mirabar, quur tanti ad Pergama belli
  Europae, atque Asiae caussa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens, & tu, Menelae, fuisti:
  Tu, quia poscebas: tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.
  Vel Priamo belli caussa probanda fuit.

Si

Judicis Hortensi est ad eam rem nata palaestra.

recte grammaticus ille. Cicero Accus. 4. in Verr. C. 24. *tum illa, ex patellis & thuribulis quae evellerat, ita scise in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata esse diceres.* Possis vulgatam defendere eo versu L. 1. Eleg. 8.

Sunt igitur Musae, neque amanti tardus Apollo:
Queis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.

& Eleg. 17. ejusdem libri:

Quamvis dura, tamen rara puella fuit.

sed cur insuper habeas tot librorum fidem, & lectionem minime ineptam?

42. POST HELENAM HAEC TERRIS] nullum mihi dubium est, fuisse olim a manu poetae, *Post Helenam haec Grajis forma secunda redit*, sensu aperto & facili. Romanos illos veteres miro terrae Graeciae videndae amore flagrasse, non est cur operose adstruamus, eo se nunc ducturum comitem Cynthiam suam dicit; qua conspecta fateantur Graeci, elegantes illi formarum spectatores, nihil post bellum Trojanum extitisse apud se venustius, quodque tam prope accederet ad divinam illam saeculisque omnibus celebratam Helenae pulcritudinem. id profecto notat verbum *redit*. Vide L. 2. Eleg. 19. ab eo versu, *Sex mare per longum mea cogitet ire puella.* non est ulla alia ratio qua connectas hunc versum cum praecedente, aut sensum elicias tolerabilem. ut jam nihil dicam de profectione Cynthiae in Achaïam cum nescio quo praetore. vide Lib. 1. Eleg. 8.

43. HAC EGO NON MIRER] haec plane jacent, & frigent. *ego nunc* est in quinque scriptis. recte. sic autem eriges sententiam:

Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?

45. MIRABAR QUOD TANTI AD PERGAMA BELLI] melius in Groningano, *mirabar cur tanti.* Horatius L. 1. Od. 33.

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae; neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Laesa praeniteat fide.

Et Epist. 8. L. 1.

Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno.

Prudentius Hymno 4. Cathemer.

feram repellis,
Quae circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes
Cur te, summe Deus, precemur unum.

Cicero L. 3. ad Attic. Epist. 13. *Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, cum ita me adflictum videas, ut neminem umquam nec videris, nec audieris.* deinde *in Pergama* erat, pro *ad.* quomodo & Vaticanus. perperam: nam Asiae populi pro Troja pugnabant, sed tamen ad Trojam, id est, apud ipsam urbem. Cicero ad Brutum: *bellum ad Mutinam gerebatur.*

46. FUIT] qq. *foret* legit Heinsius. recte.

49. DIGNA QUIDEM FACIES, PRO QUA VEL OBIRET ACHILLES,
VEL PRIAMUS. BELLI CAUSSA PROBANDA FUIT.]

Livinejus legebat, *pro qua vel obiret Atrides,*

Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
  Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
  Uret & Eoos, uret & Hesperios.
Quur haec in terris facies humana moratur?
  Jupiter, ignoro pristina furta tua.

Ful-

ut utrimque summi duces numerentur, sine quorum alterius sanguine bellum exstingui non posset. commode sane, si addicerent libri. sed commodius Nic. Heinsius Not. ad Epistolas Sabini,

- - - - pro qua vel obiret Achilles.
Vel Priamo belli caussa probanda fuit.

sic contrario sensu apud Maronem Diomedes L. 11. Aen.

infanda per orbem
Supplicia, & scelerum poenas expendimus omnis,
Vel Priamo miseranda manus.

firmat Heinsii lectionem insignis locus M. Fabii Quintiliani ex tertia Iliade desumtus, L. 8. C. 4. *Non putant indignum Troiani principes, Grajos Troianosque propter Helenae speciem tot mala tanto temporis spatio sustinere: quaenam igitur illa forma credenda est? non enim hoc dicit Paris, qui rapuit: non aliquis juvenis, non unus e vulgo: sed senes, & prudentissimi, & Priamo adsidentes. Verum & ipse rex decenni bello exhaustus, amissis tot liberis, imminente summo discrimine, cui faciem illam, ex qua tot lacrimarum origo fluxisset, invisam atque abominandam esse oportebat, & audit haec, & eam filiam appellans juxta se locat, & excusat etiam, atque sibi esse malorum caussam negat.* Gebhardus adducit hunc ipsum Quintiliani locum, quamquam de lectione corrigenda unice securus. volupe fuerit conferre cum Fabio sermonem Achillis ac Priami apud Lucium Septimium fine libri tertii.

51. SI QUIS VULT FAMA TABULAS ANTEIRE VETUSTAS] *id est*, inquit Schoppius L. 4. Verisimil. C. 12; *si quis eo nomine laudari volt, quod dominam adeo formosam habeat, ut cum veteribus heroinis conferenda sit*, &c. quas non ille tragoedias dedisset, si quis alius explicationem attulisset tam insigniter fatuam! sed ignoscebat sibimet Maenius. adludit poëta Venerem Apellis, Helenam Zeuxidis, &c, quod versus proxime sequens ostendit.

52. HIC DOMINAM EXEMPLO PONAT INANTE MEAM] *inante* est in septem libris scriptis, in duabus editionibus primis, in Aldina, Colinaeana, Plantiniana, &c. idque multis propugnat Gebhardus. videri possunt super hac vocula Gifanius in Collectaneis Lucretianis, Raevardus L. 3. Varior. C. 3. & Bernartius in Papin. L. 1. Silv. 6. sed intercedit pater Gronovius L. 1. Observ. C. 15. negans τὸ *inante* boni aevi Latio receptum fuisse; & se alibi dicens ostendisse Scaligeri in eo peccatum, qui Propertio obtruserit. at vero Scaliger de ea vocula verbum fecit nullum; & jam in Propertio legebatur ante Scaligerum natum. itaque haec quidem calumnia est, & mera aerugo. noster primus habet *in arte*, & liber Passeratii. sic L. 3. Eleg. 3.

Corpora disponens, mentem non vidit in arte.

53. SIVE ILLAM OSTENDET EOIS] *ostendat* est in Groningano. Gebhardus praefert *exponat*, quod habebat liber Comelini. Mihi potior est consensus ceterorum codicum vetustorum. in primitus cusis legitur *ostendit*.

56. IGNOSCO PRISTINA FURTA TUA.] *ignoro* habent octo libri MSS. cum editionibus primis. Cicero pro Rabir. Post. C. 12. *Si me invitum putas, ne Cn. Pompeji animum offenderem, defendisse caussam; & illum, & me vehementer ignoras.* Philipp. 8. C. 2. *Horum omnium bellorum caussae ex republicae contentione natae sunt. de proximo bello civili non libet dicere: ignoro caussam: detestor exitum.* Plautus Amphitr. I, 1, 305.

Ibo ad portum, atque haec uti sunt facta, hero dicam meo.
Nisi etiam is quoque me ignorabit.

ibid. 4, 3, 13.

Quis

Fulva coma est, longaeque manus; & maxima toto
Corpore: & incedit vel Jove digna soror:
Aut quum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferae pectus operta comis.

Qua-

Quis me Thebis alter vivit miserior? quid nunc agam?
Quem omnes mortales ignorant, & ludificant, ut lubet.
Asin. 1, 2, 18.
Eadem nunc, quom est melius, me, cujus opera est, ignoras, mala.
Capt. 2, 3. 74.
Ne tu me ignores, quom extemplo meo e conspectu abscesseris.
ibidem. 3, 4, 34.
Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.
M. Minucius Felix: *Eos autem merito torqueri, qui Deum nesciant, ut impios, ut injustos, nemo deliberat: cum parentem omnium, & omnium dominum non minoris sceleris sit ignorare, quam laedere.* Phaedrus L. 5. C. 2.
In queis Menander, nobilis comoediis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius.
Corn. Nepos Arist. C. 1. *Se ignorare Aristidem: sed sibi non placere, quod tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros Justus appellaretur.* Vide sis Janum Gulielmium Quaest. in Amphitr. Plauti C. 6. Douzam. F. Not. in Propert. C. 6. Vossium L. 4. Instit. Orat. C. 10. vulgatum *ignosco* defendit Passeratius; sed non ego credulus illi. defendit & Cerda ad Virgil. X. Aen. 532. nihil audio. pulcre Petronius:
Quid factum est, quod tu projectis, Jupiter, armis
Inter coelicolas fabula muta taces?
Nunc erat a terva submittere cornua fronte,
Nunc pluma canos dissimulare tuos.
Haec vera est Danaë: tenta modo tangere corpus,
Jam tua flammifero membra calore fluent.

58. INCEDIT VEL JOVE DIGNA SOROR] Virgilius L. 1. Aen. *Ast ego quae Divûm incedo regina.* ibi Servius: *Incedere proprie est nobilium personarum, hoc est, cum aliqua dignitate ambulare.* de majestate autem incessus Junonii valde magnifice sentiebant veteres. videndus Turnebus L. 13. Advers. C. 16. & Gifanius indice Lucret. in *cataplexis.* & noster Junius in adagio *Junonius puer.*

59. AUT CUM DULICHIAS PALLAS SPATIATUR AD ARAS] Passeratius ait, quosdam legere *Munichias.* ego vero nondum reperi qui fuerint illi quidam. certe in omnibus libris est *Dulichias.* & non summo cultu veneratus sit Ulysses Deam patronam? de τῷ *spatiatur* quaedam habet Turnebus L. 23. C. 3. quem locum, uti & istum superiorem, exscripsisse videri poterat Passeratius, si id fas esset suspicari de homine summae eruditionis, pari quoque candore.

60. GORGONIS ANGUIFERAE PECTINE OPERTA COMAS] ita liber Scaligeri: ipso tamen vix admittente. nostri omnes, *pectus operta comis.* quae vera lectio: nam in aegide habebat Minerva Gorgonis caput. Ovidius ipso fine L. 4. Metam.
Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydres.
Nunc quoque, ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.
Virgilius L. 8. Aen.
Aegidaque horriferam turbatae Palladis arma
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Conexosque anguis, ipsamque in pectore divae
Gorgona desecto vertentem lumina collo.
Papinius L. 12. Theb.
Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam
Pectoris, incussa movit Tritonia parma.
Idem Papinius L. 1. Achil. ubi describit Deïdamiam, festum Palladis celebrantem:
Illius e roseo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux major inest, & blandius aurum.
Atque ipsi par forma Deae, si pectoris angues
Ponat, & exemta placetur casside vultus.

Qualis & Ischomache Lapithae genus heroinae
Centauris medio grata rapina mero:
Mercurio & sanctis fertur Boebeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite jam, Divae, quas pastor viderat olim
Idaeis tunicam ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare vetustas,
Et si Cumaeae saecula vatis aget.

paria habent Fulgentius L. 2. Mytholog. C. 2. Martianus Capella ipso initio L. 6. Servius ad L. 2. Aen. ℣. 615. *tu vero aegida cave hic pro scuto capias.* pro scuto cepit Delrius Comm. in Senec. Agamemn. ℣. 526. p. 501. thorax est, peculiari nomine ita dictus. Servius ad laudatum Virgilii locum: AEGIDAQUE HORRIFERAM. *Aegis proprie est munimentum pectoris aereum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum si in pectore numinis fuerit, Aegis vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, Lorica dicitur.* Haec ille debere videtur Martiali, L. 7. Epigr. 1.

Accipe belligerae crudum thoraca Minervae,
Ipsa Medusaeae quem timet ira comae.
Dum vacat haec, Caesar, poterit lorica vocari:
Pectore cum sacro sederit, Aegis erit.

sane Domitianus, sicuti filius Palladis credi volebat, ita pari fere superbiebat armatura, & Virgilii illas *serpentum squamas* ungulis aprugnis imitabatur. v. Pierius XVI. Hieroglyph. 33. p. 165. Martialis L. 7. Epigr. 2.

Invia Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis:
Quam vel ad Aetolae securam cuspidis ictus
Texuit innumeri lubricus unguis apri.

tamen & in scuto gestabat Gorgonis caput Minerva. sic apud Heliodorum L. 3. Aethiop. in fibula, qua Theagenes chlamydem purpuream nectebat, Pallas ex electro repraesentabatur, Medusae caput in clypeo praeferens. Albricus lib. de imaginib. Deor. C. 8. *ipsa autem* (Minerva) *lanceam tenebat in dextra: in sinistra vero scutum crystallinum habebat, quod caput Gorgonis a cervice serpentibus monstrose continebat.* quae posteriora mendosa sunt, nec sine ope veteris alicujus libri corrigenda. nunc scriptorem purioris facundiae audiamus, Angelum Politianum, virum maximum etiam inter principes eruditionis, Miscell. C. 47. *Vidimus item, quod etiam his Miscellaneis nostris putavimus inserendum, marmoreum quoddam in urbe eadem* (Roma) *Palladis simulacrum gestans aegida squamoso draconum corio contectam, sic ut extremum ipsius ambitum dracunculi item ad limbi aut fimbriae vicem circumcluderent.* hic *aegida* cum clypeo confundit, quod & multi alii fecerunt. ejus vero limbi vel fimbriae meminit & Capella L. 6.

Hinc tibi dant clypeum, sapientia quod regat orbem:
Vel rationis opem quod spumea praelia poscant.
Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen:
Lymphaseum magis est, & scutum circulus ambit.

63. MERCURIO ET SANCTIS, &c.] egregie hos versus restituit Scaliger; uti & Turnebus L. 11. C. 16. si quis autem dubitat de τῷ *sanctis*, is sciat ita diserte legi in duobus Regiis, in altero Colbertino, & in utroque nostro. Passeratius malebat, *Mercurioque sacris*: sed, ut vides, reclamantibus membranis. Mureti quoque liber habebat *sanctis.*

64. BRIMO] nominis originem exponit Vossius Etymol. p. 224. a. in verbo *Fremo.* plura notavi ad Thes. Fabr. p. 377.

66. IDAEIS TUNICAS] *tunicam* est in quinque MSS. & vetustis editt. Ovidius quoque sic extulit L. 3. Amor. Eleg.

Illic nec tunicam tibi sit posuisse rubori.

68. ETSI CUMAEAE] *Cumanae*, habet Groninganus. in carmine obscaeno: *Cumaeae soror, ut puto, Sibyllae.* alteram flexionem Ausonius maluit Epigr. 18.

Nestore sim quamvis provectior: aemulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben.

III.

III.

Multa prius dominae delicta queraris oportet:
Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas.
Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequiquam perfusa meis unguenta capillis:
Ibat & expenso planta morata gradu.
Nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
Quae mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puero si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi litoris unda nocet?

Al-

4. Et crepitum dubio suscitet ira pede] Livinejus mallet, *duro.* frustra. *dubio pede*, dum primum moveri incipit bilis; sed tamen deliberante secum amatore, an non praestet blanditiis rem agere. *incerto pede* Horatius dixit in negotio simili Epod. 11.

5. Nequicquam] apud Festum scribitur *nequiquam.* recte, opinor. creditur enim a casu ablativo desumi, itidem ut *nequaquam.* vide sis doctissimi Pierii Castigationes in L. 2. Aen. ℣. 101. & Gifanium in Lucretianis, ac Dausquium in Orthographia.

6. Ibat et expenso planta morata gradu.] *extenso*, praeferunt Passeratius & Gebhardus: sed contra mentem poëtae. *extensus* gradus superbiae est, & jactationis. Ovidius L. 3. Artis Amat.

Haec movet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit, extensos fertque superba pedes.

sed τοῦ *expendere* alia est notio. Cicero Orat. *nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet, ac seliget.* illum autem *expensum* gradum pulcre tangit Petronius: *quo incessus tute compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam prostituis, ut vendas?* J. Firmicus L. 8. Astron. C. 7. *Hi molliter ambulantes, vestigia sua cum delicata moderatione suspendunt.* Poëta anonymus, cujus Iambum veterem atque elegantem C. Barthius edidit L. 44. Advers. C. 17.

Tu qui superbo te vehis celsum gradu,
Doctumque numero ponis exscripto pedem,
Animum vago testatus incessu levem.

ubi notare te volo τὸ *exscripto.* Seneca L. 7. Nat. Quaest. C. 31. *colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero & molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus.* hoc certe nostri loco *expenso* est in omnibus libris calamo exaratis.

7. Cui] *Quoi* Groning.

9. Hostis si quis erit nobis] optime hanc locutionem illustra. Lambinus ad Horat. L. 3. Od. 27.

Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Hoedi.

9. Amet ipse puellas] *ille* habet Groninganus, Borrichianus, unus Regius, unusque Colbertinus. quod potius videtur.

Alter ſaepe uno mutat praecordia verbo:
Altera vix ipſo ſanguine mollis erit.

14. ALTERA VIX IPSO SANGUINE MOLLIS ERIT.] *mitis erit*, legitur in Groningano. quod ſane praeferrem, niſi obſtaret ipſe noſter, Eleg. 1. hujus libri:

Mox venit adſueto mollis ad arva jugo.

Horatius L. 3. Od. 10. utramque vocem junxit in eodem negotio:

nec rigida mollior aeſculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.

IV.

HOc verum eſt tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Haec merui ſperare? dabis mihi, perfida, poenas,
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quae fieri noſtro carmine nota velit:
Nec mihi tam duris inſultet moribus, & te
Vellicet. heu ſero flebis amata diu.
Nunc eſt ira recens, nunc eſt diſcedere tempus.
Si dolor abſuerit, crede, redibit amor.

Non

4. ET NOBIS AQUILO, CYNTHIA, VENTUS ERIT] locus per quam obſcurus, quique multis viris doctis tenebras denſas obfudit. eorum opiniones per ſaturam collegit Paſſeratius. antiquam locutionem eſſe *Auſter ventus*, *Aquilo ventus*, notavit Salmaſius in Exercit. ad Solin. p. 745. eique rei firmandae hunc ipſum Propertii verſiculum adducit, de cujus ſenſu nihil addit ulterius. ſane de locutione ambigit nemo, quae obvia eſt apud optimum quemque ſcriptorem. Gellius L. 2. C. 30. *Hoc ſaepenumero in undarum motu obſervatum eſt, quas Aquilones venti, quique ex eadem coeli regione aër fluit, quaſve faciunt in mari Auſtri atque Africi.* Cicero L. 9. ad Attic. Epiſt. 6. *ex ea die fuere Septemtriones venti.* Caeſar L. 5. Bell. Gall. C. 7. *Corus ventus navigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare conſuevit.* quem ad modum plus ſemel eſt locutus ſcriptor puriſſimus Cor. Nepos. quinimo illud *ventus* etiam cum appellativo jungitur apud Plautum Curcul. Act. 2. Sc. 2.

Poſtquam illo ventum eſt, jam ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo: ſpectacula ibi ruunt.

Et Trinum. Act. 4. Sc. 2.

Ita jam quaſi canes, haud ſecus, circumſtabant navem turbines venti.

verum haec nihil ad Bacchum. mihi aqua haeret, nec pudet ſateri. omnium minime diſplicet Paſſeratii expoſitio: Nos, o Cynthia, ventos nihil aliud quam ventos putabimus, & verba tua, verba mera eſſe. neque tamen vel ſic adquieſco. ſi quis verius aliquid protulerit, ei gratas gratias agemus. Italus ille, cujus manus hic illic conparet in ora exemplaris Aldini variis lectionibus ab Heinſio ornati, ita hic ſcripſit: *Et nos aliquando ſecundo utemur flatu.*

9. NUNC EST IRA RECENS] Gebhardus e codice Palatino legit, *Nunc eſt ira ruens:* quia ſcilicet noſter alibi dixerit,

Neſcit veſtra ruens ira referre pedem.

quod ſtramineum argumentum ſi inverteris, & probaveris hic recte legi *recens*, an ideo in

iſto

Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto:
Quam facile irati verbo mutantur amantes.
Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis.
Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu per dominae Junonis dulcia jura
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.

Non

isto quoque pentametro repones τὸ *recens?* apage hunc innovandi pruritum. tu Nasonem audi initio Remediorum Amoris. il Michiele VIII. del Guidon Selvaggio, 18.

E che non può d'un vero amor la forza,
Che tiranneggia à suo piacer un cuore?
Lo sdegno, o la ragion mai non ammorza,
Ma solo intepidisce un puro ardore:
Ardor, che viger prende, e si rinforza
E da l'ira amorosa, e dal rigore.
L'ira che nasce d'amoroso affetto
E mantice à l'ardor chiuso in un petto.

10. Si dolor abfuerit] *Ni dolor affuerit*, Vaticanus Livinejo inspectus. *Si dolor afuerit*, Gebhardus. sane in optimis libris fere scribi *afuit*, *afuisse*, *afuturus*, *afere*, satis superque jam pridem viri docti ostenderunt. sed nondum reddita est ratio idonea, quae vetet has voces litera *b* inserta exarari.

12. Nec dubio nubes vertitur atra Noto,] *acta Noto*, Gebhardus e Palatino. nostri nihil mutant. & vero τὸ *atra* plenius est quam *acta*. *atra*, quae pluviam & tempestatem minatur. tales *gravidas* dixit Seneca Troad. ỳ. 395.

Ut nubes gravidas, quas modo vidimus,
Arctoi Boreae disjicit impetus.

Horatius L. 2. Od. 16.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Aegeo, simul atra nubes
Condidit lunam.

Virgilius L. 10. Aen.

Tum levis haud ultra latebras jam quaerit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atrae.

17. Per dominae Junonis dulcia jura] quaerit Passeratius, quare per Junonem adjuret poeta Cynthiam suam: an quia Junoni sint vincla jugalia curae? an quia Cynthia jam pepererat? &c. non erat opus tanto ambitu. Junonem, ut peculiare ac proprium numen suum, venerabantur & jurabant omnes mulieres, etiam prostitutissimae. Petronius: *Ita? inquit Quartilla; minor est ista quam ego fui, cum primum virum passa sum? Junonem meam iratam habeam, si umquam me meminerim virginem fuisse. nam & infans cum paribus inquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris adplicui, donec ad hanc aetatem perveni.* Lapis Puteolanus apud Gruterum. xxv. 3.

SIL. PETRONILIA. M. AN. IANVARII
COIVX. GRAVISS. EX. TT. SS. HH.
VT. IVNONI. PRONVB. SVAE. VIRG
EREPTAE. PRIM. AEDES. MAR
CONSTRVATVR. IMP.

ceterum *dominae* dicuntur passim omnes Deae. quod bene illustrat Passeratius ad L. 3. Eleg. 2. eo versu,

Et Veneris dominae volucres mea turba columbae.

adde Apuleji locum L. 5. Metam. *de multis quae circa cubiculum dominae stabulant, procedunt quatuor candidae columbae, & hilaris incessibus picta colla torquentes, jugum gemmeum subeunt: susceptaque domina laetae subvolant.* Dii quoque *domini* dicti. Psyche Apulejana, L. 6: *prospecto templo quodam in ardui montis vertice, Unde autem, inquit, scio, an istic meus degat dominus?* & Jupiter, eodem libro, *prensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consuaviat, atque sic ad illum, Licet tu, inquit, domine fili, numquam mihi concessu Deûm decretum servaris honorem:* &c. Ovidius Epist. Phaedrae:

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis.
Nec tibi perjuro scindam de corpore vestem,
Nec mea praeclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim laedere pollicibus.
Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
Cujus non hederae circuïere caput.

Scri-

Quidquid Amor jussit, non est contemnere tutum.
Regnat, & in dominos jus habet ille Deos.

inscriptio Bononiensis apud Gruterum LXXXIV. 2.

DOMINAE
ISIDI. VICTRICI
NOMINE
M. CALPVRNII. TIRONIS
ET. SVO. EX
PARTE. PATRIMONI. SVI
SEXTILIA. M. L. HOMVLLA
PER. ANICETVM. M. LIB
SVVM. VT. FIERET. TEST
CAVIT

& altera Cibini in Transilvania, CIↃVI. 1.

I. O. M. IVNONI. MI
NERVAE. ET. AESCV
LAPIO. DOMINO
SEPTIM. ASC. HER
MES. LIBERTVS
NVMINIS. AES
CVLAPI. HABENS
ORNAMENT. DEC
COL. APVLE. AVG.
COL. EIVSDEM
V. P

21. SCINDAM DE CORPORE VESTES] *vestem* Groninganus; quod praeplacet. Ovidius L. 2. Art. Amat.

Nec puto, nec sensi tunicam laniasse; sed ipsa
Dixerat.

noster infra Eleg. 12.

Scissa veste meas experiere manus.

Terentius Eunuch. Act. 4. Sc. 3.

Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,
Vestem omnem miserae discidit: tum ipsam capillo conscidit.

Tibullus L. 1. Eleg. 11.

Sit satis e membris tenuem perscindere vestem;
Sit satis ornatus dissoluisse comae.

Horatius L. 1. Od. 17.

ne male dispari
Incontinentes injiciat manus,
Et scindat haerentem coronam
Crinibus, inmeritamque vestem.

26. HEDERAE CIRCUMIERE CAPUT] *circuïere* scribunt nostri, & Groninganus. probe, & ex usu prisco. Corn. Nepos Datam. C. 6. *His locis castra ponit, ut neque circuiri multitudine adversariorum posset.* Lucanus L. 9.

Circuit exustae nomen memorabile Trojae.

Ovidius L. 8. Metam.

Saepe sub hac Dryades festas duxere choreas:
Saepe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
Circuïere modum.

& L. 3. Art. Amat.

Metaque ferventi circueunda rota.

sic habebant libri Achillis Statii: quamquam Ciofanus τὸ M necessario requiri contendit. atque ita scribitur apud Ciceronem, credo propter sonum, Philipp. 13. C. 9. *Eique in Galliam penetranti D. se Brutus objecit: qui se totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi aut progredi maluit.* Papirianus apud Cassiodorum lib. de Orthogr. CIRCUM *praepositio, sequentibus vocalibus M literam in enuntiatione amittit, in scriptura servat.*

Scribam igitur tua quod numquam deleverit aetas:
Cynthia forma potens, Cynthia forma levis.
Crede mihi, quamvis contemnis murmura famae,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

servat. Beda lib. de Orthogr. CIRCUM *praepositio, quibusdam in locis* M *amittit, ut* CIRCUIRE: *in quibusdam servat, ut* CIRCUMVENIT. liquidius distinxerat Papirianus, ibidem loci: *Sed & cum* I *&* U *vocales loco consonantium positae sequuntur, & scribitur, & pronuntiatur, ut* CIRCUMVENIT, CIRCUMIACET.

27. SCRIBAM IGITUR QUOD NON UMQUAM TUA DELEAT AETAS] in nostro secundo legitur, *Scribam igitur tua quod numquam deleverit aetas.* id mihi non paullo erectius videtur.

28. CYNTHIA VERBA LUES] hanc lectionem commentus est Scaliger, nec tamen cuiquam probare potuit. *Cynthia verba levis,* habent Regil, Colbertini, Groninganus, & noster secundus. in primo est *Cynthia forma levis;* quo modo & Mureti codex habebat, teste Lipsio L. 1. Ant. Lect. C. 20. & excerpta Borrichiana. quam elegantem sane ac pervenustam figuram unice exosculabuntur ii, quibus aures sunt poëticae. ita infra dicit,

Tam te formosam non pudet esse levem?

& alibi,

Formosis levitas semper amica fuit.

& iisdem numeris infra Eleg. 7.

Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis.

& L. 1. Eleg. 12.

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

30. HIC TIBI PALLORI, CYNTHIA, VERSUS ERIT.] anne, ut Passeratius ait, alludit ad pallorem noxiorum? Horatius L. 1, Epist. 1.

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

& Epod. 7.

Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsae stupent.

an vero pallor ponitur hic pro rubore & pudore? quod non est tam mirificum, ut quidam volunt. sane Taurus apud A. Gellium L. 19. C. 6. *adhuc enim quaeri potest,* inquit, *quam ob caussam pudor sanguinem diffundat, timor contrahat; cum sit pudor species timoris: atque ita definiatur, Timor justae reprehensionis. ita enim philosophi definiunt,* αἰσχύνη ἐστὶ φόβος δικαίου ψόγου. confer cum his, si libet Macrobium L. 7. Saturn. C. 11. Cicero *metum famae* vocat, Orat. pro Plancio C. 29. *an fuisse in iis aliquem aut famae metum, aut poenae?* & *famae pudorem*, Orat. de Provinc. Consular. C. 6. *Quae enim homini, in quo aliquis si non famae pudor, at supplicii timor est, gravior poena accidere potuit?*



V.

NOn ita complebant Ephyreae Laidos aedes,
 Ad cujus jacuit Graecia tota fores.
Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim
 Tanta, in qua populus luſit Erichthonius.
Nec quae deletas potuit componere Thebas
 Phryne tam multis facta beata viris.

Quin

1. NON ITA COMPLEBANT EPHYREAE LAIDOS AEDES] duas fuiſſe Laidas, matrem & filiam, quarum hiſtoria fere confundatur, erudite oſtendit Palmerius Grentemenilius Exercit. p. 368. noſtrum de priore, quam e Sicilia advexit Nicias, loqui opinor: iſta enim altera minus celebris fuit. Vide Jo. Brodaei notas in Antholog. L. 3. p. 327. 328.

2. AD CUJUS JACUIT GRAECIA TOTA FORES] *tota pedes*, eſt in noſtro utroque & Borrichiano. quod tamen non attendo. rationem jam plus ſemel tetigimus in ſuperioribus. neque huc facere poteſt Ciceronis locus, orat. poſt reditum ad Quirit. C. 5. *cum & cunctus ordo, & multi eum ſummi viri orarent, & Cn. Oppius ſocer, optimus vir ad pedes ejus flens jaceret.* potius hic Naſonis L. 3. Art. Amat.

Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet:
 Multaque ſubmiſſe, multa minanter agat.

Horatius

Extremum Tanaim ſi biberes, Lyce,
Saevo nupta viro, me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
 Plorares Aquilonibus.

Naſo

Pervigilant ambo: terra requieſcit uterque:
 Ille fores dominae ſervat; at iſte ducis.

4. IN QUA POPULUS LUSIT ERICHTHONIUS] *ludere in aliqua* ſic dicitur, ut *gaudere in puero*, ſupra Eleg. 3. ỳ. 10. non intellexit Schoppius IV. Suſpect. Lect. 18. qui *uſſit* ſuppoſuit, peſſimo exemplo.

5. NEC QUAE DELETAS POTUIT COMPONERE THEBAS] quia in uno Palatino *delectas* repererat Gebhardus, non dubitavit refingere *dejectas*. in omnibus libris noſtris eſt *deletas*. an vero *delere Thebas* minus eſt quiddam, quam *dejicere*? Cicero pro Roſcio Amer. C. 45. *ſaepe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit.* Aſconius in Divinat. in Q. Caecil. C. 4. *reddidit rationem, cur iſti Siculorum patroni ſunt: Scilicet, quia a M. Marcello originem ducant, qui Syracuſas cepit, nec tamen delevit.* Cicero Accuſ. 4. in Verr. C. 31. *ut illa flamma divinitus excitiſſe videatur, non quae deleret Jovis Opt. Max. templum, ſed quae praeclarius magnificentiuſque depoſceret.* ibid. C. 33. *Hoc quondam oppidum a Karthaginienſibus vi captum atque deletum eſt.* ibid. C. 36. *certiorem te faciunt, P. Africanum, Karthagine deleta, ſimulacrum Dianae majoribus ſuis reſtituiſſe:* ibid. C. 54. *qui cum tam praeclaram urbem vi copiiſque cepiſſet, non putavit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulcritudinem, ex qua praeſertim nihil periculi oſtenderetur, delere & exſtinguere.* pro Lege Manilia C. 20. *non dicam, duo bella maxima, Punicum & Hiſpanienſe, ab uno imperatore eſſe confecta: duaſque urbes potentiſſimas, quae huic Imperio maxime minitabantur, Karthaginem, atque Numantiam, ab eodem Scipione eſſe deletas.* Curtius L. 9. C. 4. *oppidani deſperata ſalute ignem ſubjecere tectis: ſe quoque ac liberos conjugeſque incendio cremant: Quod cum ipſi augerent, hoſtes extinguerent, nova forma pugnae erat: delebant incolae urbem; hoſtes defendebant.* & L. 5. C. 7. *Pudebat Macedones tam praeclaram urbem a comeſſabundo rege deletam eſſe.* & L. 3. C. 10. *Dein Deûm templa ruinis & ignibus eſſe deleta: urbes eorum expugnatas: foedera humani divinique juris violata referebat.* de Phryne

com-

Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos,
Oscula ne desint qui tibi jure ferant.
Me juvenum facies pictae, me numina laedunt;
Me tener in cunis, & sine voce puer.

complufcula videre eft, quae vidiffe juvet, apud Athenaeum L. 13. unde itidem difces, duas fuiffe Phrynas eadem fere aetate; hanc verò Thefpiam, de qua nofter loquitur, nomen habuiffe proprium *Mnefareten*.

8. OSCULA NEC DESUNT QUI TIBI JURE FERANT.] argutius membranae Comelini, apud Gebhardum, *Ofcula ne defint q. t. j. f.* nam reddit rationem, quare Cynthia falfos fibi propinquos fingat. vide Gellium L. 10. C. 23.

9. ME JUVENUM FACIES PICTAE, ME NOMINA LAEDUNT:] in uno Colbertino eft, *me juvenum pictae facies*; quod firmat Groninganus. verum id non eft tanti momenti, quanti τὸ *nomina*. an fubfcribebant tabulis eorum nomina, quorum vultus exprimebantur? id quidem olim, & in primis pulcerrimae artis cunabulis. Plinius L. 35. C. 3. *inventam linearem dicunt a Philocle Aegyptio, vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuere Ardices Corinthius & Telephanes Sicyonius, fine ullo etiamnum colore, jam tamen fpargentes lineas intus. Ideo & quos pingerent, adfcribere inftitutum.* notavit & Cl. Aelianus L. 10. Var. Hift. C. 10, etiam in aliis rebus id factum, adjectumque *hic eft bos, hic eft equus, haec eft arbor*. in editione Beroaldi legitur *numina*, quod & in libris prifcis invenerant Pafferatius ac Gebhardus: & divinaverat flos ille hominum venuftiorum Janus Douza L. I. Plautin. Explan. C. 8. addita fimul veriffima interpretatione. haec germana eft lectio. fuit enim tum temporis, uti etiam hodie, ufitatiffimum amores, amicas, & quidquid carum foret, proponere atque effingere fub fchemate Deorum ac Dearum. fic quum Phryne, illo conventu frequentiffimo qui apud Eleufinen fiebat, per Neptuni ferias, depofitis veftibus capilloque paffo mare effet ingreffa, adeo praeftanti fpecie fuiffe dicitur, ut ad ejus exemplum Apelles emergentem e mari Venerem pinxerit; Praxiteles vero ftatuarius, ejus amator, Veneris Gnidiae fimulacrum finxerit, adjecto in bafi ftatuae Cupidinis molliffimo delicatiffimoque epigrammate, quod recitat Athenaeus L. 13. quamquam fuerunt, qui Venerem Anadyomenem ad Campafpes exemplar, quam Apelles adamatam donum ab Alexandro acceperat, pictam putaverint, auctore Plinio L. 35. C. 10. quo loco plane ftabilit lectionem noftram, idque hiftoria luculenta: *Fuit & Arellius Romae celeber paullo ante Divum Auguftum, nifi flagitio infigni corrupiffet artem, femper alicujus feminae amore flagrans, & ob id Deas pingens, fed dilectarum imagine.* plura, quae ad lucem noftri faciant, videre potes apud confummatae eruditionis virum J. F. Gronovium Diatr. in Silvas Statii Cap. 6. valde infignis eft Arnobii locus, quamquam paullo longior, L. 6. *Sed quid ego Diis datas falces & fufcinas rideo? quid cornua, malleos, & galeros? cum fimulacra quaedam fciam certorum effe hominum formas, & infamium lineamenta meretricum. Quis eft enim qui ignoret, Athenienfes illos Hermas Alcibiadei ad corporis fimilitudinem fabricatos? Quis Praxitelem nefcit, Pofidippi fi relegat, ad formam Cratinae meretricis, quam infelix perdite diligebat, os Veneris Cnidiae folertiarum coëgiffe certamine? Sed fola eft haec Venus, cui de fcorti vultu translatitium decus auctum eft? Phryna illa Thefpiaca, ficut illi referunt qui negotia Thefpiaca fcriptitarunt, cum in acumine ipfo effet pulcritudinis, venuftatis, & florit, exemplarium fuiffe perhibetur cunctarum quae in opinione funt Venerum: five per urbes Grajas, five ifte quo fluxit amor talium cupiditafque fignorum. Itaque artifices omnes ipfis iifdem qui temporibus exftiterunt, quibufque primas dabat exprimendarum fimilitudinum veritas, omni cura ftudioque certabant, filum capitis proftituti Cythereia in fimulacra traducere. Ardebant artificum fcita, alterque alterum vincere contentiofa aemulatione quaerebant; non Venus ut auguftior fieret, fed ut Phryna pro Venere ftaret. Atque ita perducta eft res eo, ut pro Diis immortalibus facra meretricibus fierent, & infelix religio figno-*

Me laedit, si multa tibi dedit oscula, mater;
Me soror, & cum quae dormit amica simul.
Omnia me laedent: timidus sum: ignosce timori.
Et miser in tunica suspicor esse virum.
Felix Admeti conjunx, & lectus Ulyxis,
Et quaecumque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?

Quae

signorum fabricationibus falleretur. Inter significes ille memoratus Phidias & primus, cum Olympii formam Jovis molimine operis extulisset immensi, super Dei digito PANTARCES *inscripsit* PULCER. *nomen autem fuerat amati ab se pueri, atque obscaena cupiditate dilecti: neque ullo metu est aut religione commotus, Deum nomine prostibuli nuncupare; quinimo exoleto Jovis numen simulacrumque sacrare. Usque adeo ludus est, & puerilis affectio, sigillaria ista formare, adorare pro Diis ea, sanctitatibus accumulare divinis: cum ipsos videamus artifices in effingendis his ludere, & libidinum propriarum monumenta sancire.* mirum est quam sub manu creverit istud flagitium, etiam in templis Christianorum. neque enim novum est, ut sibi videtur persuasisse quicumque ille fuit, a quo appendicem habemus ad Epistolas Itinerarias Rever. Burneti: tamquam de antiquo scelere conqueritur Lilius Gyraldus Dial. 1. de Poet. Hist. quo loco Poëticam a calumniis hominum indoctorum tuetur: *Numquid sacerdotium & sacerdotes ipsi exsecrandi, quod inter eos aliqui mali sunt? Nam nec ideo picturam & pictores exsecramur & detestamur, quod pictorum nonnulli pictura abusi sunt, atque eam foedarunt, quod Dei immortalis & Divorum Divarumque effigies ex dilectorum puerorum puellarumque aspectibus effinxerunt.* sic Alexander VI. Vanozzae suae imaginem adorabat, tamquam Divam tutelarem, & in templo Populi & in Vaticano. v. il Tomasi nella vita di Cesare Borgia p. 271.

9. ME NOMINA LAEDUNT] *nomen, numen; nomina, numina:* saepe confunduntur in libris antiquis. Dixi supra ad Eleg. 1. ℣. 41. p. 94. Germanicus Caesar Arat. ℣. 564.

Annua concludunt Syriae duo nomina Pisces Tempora.

recte Scaliger, & noster Grotius, *duo numina* restituerunt. Pisces a Syris cultos pro Diis notum est.

12. ME SOROR, ET, CUM QUA DORMIT, AMICA SIMUL.] concinnius Douza F. & quidem nulla paene mutatione,

Me soror, & cum quae dormit amica simul.

quum amica aliqua vel tecum, vel cum sorore, dormit.

18. SI CUIVIS NUPTAE QUIDLIBET ESSE LICET] *quod libet*, videtur maluisse Nic. Heinsius Not. ad Epist. 7. Heroid. Ovidii. ibi tamen ipse Ovidius contra stat:

Dum tua sit Dido, quidlibet esse feret.

Gebhardus quoque legebat *quod libet*, & id sibi in mentem venisse ait paene puero. nec miror. sed quare in *nuptas* potissimum invehitur noster? an quia omnes nuptae impudicae, omnes innuptae castae? non incommode, meo animo, refingas,

Si cuivis nurui quidlibet esse licet?

quaevis nurus, tam patricia, quam plebeja. *nurus* autem poëtis omnis mulier dicitur, virgo, mater, nupta, innupta. Martialis L. 4. Epigr. 75.

O felix animo, felix Nigrina marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus.

& L. 10. Epigr. 6.

Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latia culta fenestra nuru?

& L. 14. Epigr. 59.

Balsama me capiunt, haec sunt unguenta virorum:
Delicias Nini vos redolete nurus.

tamen nihil adfirmo: & possum falli. de Cynthia *nupta* ad elegiam proxime insequentem dispiciemus.

Quae manus obscaenas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaeque suae noluit esse rudes.
Ah gemat in terris ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita laetitia.
Non istis olim variabant tecta figuris.
Tum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immerito velavit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba Deos.
Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?

Nam

26. QUUM PARIES NULLO CRIMINE PICTUS ERAT.] *Tum paries*, Groninganus, ambo Colbertini. quod verum puto ac germanum: & putabit mecum quisquis paullo diligentius expenderit. parietes pingere in frequenti usu Romanis. Lactantius de mort. persec. C. 5. *imposito pede super dorsum ejus, Illud esse verum dicebat, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent.* id primum institutum est Augusti aetate, docente Plinio L. 35. C. 10. earum picturarum argumenta, ut hic vides, fere erant amores, stupra, concubitus. etiam circa tales tabellas insaniebat veterum luxuria. Parrhasius, teste Plinio, loco jam saepe laudato, *pinxit minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis joci se reficiens.* ad eas respexit Ovidius L. 2. Art. Amat.

Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.
Inveniat plures nulla tabella modos.

& nescio quis alius in collectionibus veterum epigrammatum:

Inque modos omnes, dulces imitata tabellas,
Transeat, & lecto pendeat illa meo.

Terentius Eunuch. Act. 3. Sc. 5.

virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura haec, Jovem
Quo pacto Danäe misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.

Ovidius Tristium L. 2.

Scilicet in domibus vestris ut prisca virorum
Artifici fulgent corpora picta manu:
Sic quae concubitus varios Venerisque figuras
Exprimat, est aliquo parva tabella loco.

Suetonius Tiber. C. 43. *cubicula plurifariam dispositis tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum & figurarum adornavit.* & Cap. 44. *Parrhasii quoque tabulam, in qua Meleagro Atalanta ore morigeratur, legatam sibi sub conditione, ut, si argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet, non modo praetulit, sed & in cubiculo dedicavit.* imo & monumenta publica historiis peccare docentibus insignita passim reperies. talem noster describit porticum Apollinis, elegia hujus libri vigesima secunda: alia alii.

28. ET MALA DESERTOS OCCUPAT HERBA DEOS] Corn. Severus in Aetna:

Aurea securi quis nescit saecula regis?
Cum domitis nemo Cererem jactaret in arvis,
Venturisque malas prohiberet frugibus herbas.

non recte nostri locum ad *herbam impiam* Plinii retulerat Passeratius. *mala herba* est, quae nostratibus elegante vocula *onkruid* vocatur. sola *herbae* voce in re simili usus est ingentis animi ac fulminantis cujusdam eloquentiae poëta Math. Casimirus Sarbievius L. IV. Od. 1.

Frustra, Poloni, cingimus oppida
Muris, & arces addimus arcibus:
Delubra si squalent, & altis
Caelituum viret herba tectis.

29. QUOS IGITUR TIBI CUSTODES, QUAE LIMINA PONAM] *limina* & *custodes* iterum jungit L. 4. Eleg. 1.

Nec

Nam nihil invitae tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

Nec mille excubiae, nec te signata juvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.
nimirum ex more Romano, ubi mulieres in anteriore parte aedium. Corn. Nepos praefat. *Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus materfamilias non primum locum tenet aedium, atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Graecia. nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum: neque sedet nisi in interiore parte aedium, quae* gynaeconitis *appellatur. quo nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus.* egregia luce hunc nostri poëtae locum perfudit vir undequaque doctissimus Jo. Lud. de la Cerda comm. in Virgil. L. 9. Aen. ÿ. 948.

32. Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.] verissimum atque adeo unicum vinculum, quo continetur pudicitia matronalis. pulcerrima in hanc rem elegia est Nasonis quarta L. 3. Amor. quam juvabit legisse. venuste Baudius L. 1. Iamb. Gnom. 21.

quae virum aut legem timet;
Moechatur intus: quam sui mores vetant
Peccare, tuta est, nec sera aut claustris
eget.
Nativa virtus, indolesque cultibus
Formata rectis asserit matrum decus.
Si desit ista, centuplex urbem nequit
Servare murus; in sinu latet Sinon.
Ut Omne passim cingit indago latus;
Mens ipsa fraudis auctor includi fugit.

cum utroque conferre poteris Hoofdii nostri epistolam, Menelai nomine ad Helenem conscriptam, ipso initio.

VI.

GAvisa est certe sublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,

Ni

1. Gavisa est certe sublatam Cynthia legem] aliud agunt, qui hic ad legem de Adulteriis & de Pudicitia respici contendunt: quum tota Elegia ostendat clarissime, tangi legem Juliam de maritandis ordinibus. eam quum Augustus prae multitudine recusantium perferre non posset, nisi adenta lenitave parte poenarum, & data triennii vacatione, ideo *sublatam* vocat Propertius; non obscure sperans fore ut paullatim antiquetur. nihil tale accidit in rogatione legis de Adulteriis & de Pudicitia: quam sublatam nemo (si Parisinum Tiresiam excipias) umquam vel somniavit. vide sis Suetonium Aug. C. 34. & magnum Lipsium Excurs. in L. 3. Annal. Taciti p. 512. in Groningano est *sublata lege*, quod minus placet. sed qui est, quare amantes nostri tam anxie metuerent, ne per novam hanc legem, Augusto veteres retractante, dividerentur ac distraherentur? an, si lex fuisset perlata, Cynthiam ducere non poterat Propertius, caelebs caelibem? certe Propertius uxorem non habebat, id quod satis constat. Videtur autem Cynthia tum temporis maritum habuisse. hinc illae lacrimae. sic modo habuimus, elegia proxime superiore,

Templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae quidlibet esse licet?

clarius etiam loquitur hoc ipso libro, Eleg. 14.

Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus:
Frater ego, & tibi sim filius unus ego.

exprobrat ei sterilitatem: quod opinor nequaquam faceret in puella innupta. clarissime autem L. 4. Eleg. 7. ubi videmus eam cum marito in Subura habitasse, secunda urbis regione:

Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae,
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?

Per

Ni nos divideret. quamvis diducere amantes
Non queat invitos Jupiter ipse duos.
At magnus Caesar. sed magnus Caesar in armis.
Devictae gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces.

Anne

Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu.

firmat opinionem meam Ovidius, qui nostrum ex usu quotidiano perspectissimum habebat, Tristium L. 2. ubi quum de Tibullo attulisset plurima, quae & hodie leguntur, tandem ita colligit, ut caussae propriae serviat:

Multaque dat talis furti praecepta: docetque
Qua nuptae possint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi; legiturque Tibullus,
Et placet, & jam te Principe notus erat.
Invenies eadem blandi praecepta Propert I:
Districtus minima nec tamen ille nota est.

igitur Cynthiae vir suus erat unguis in ulcere: nam si lex Julia perferri potuisset, restabat ut Propertius aliam ducere cogeretur, quamvis invitus ac reluctans. atque hoc est hujus elegiae argumentum. deinde vero Cynthiae liberius vivendi potestas fuit, sive elato viro, sive facto divortio. etenim cum suo sibi amatore sub eodem tecto, inque iisdem laribus degisse, multis ex locis colligi potest, praecipue autem ex L. 2. Eleg. 7. 19. 20. 22. 23. ex L. 3. Eleg. 4. 6. 8. ex L. 4. Eleg. 7. quae omnia essent liquidiora, si in his libellis observatus foret temporum ordo, quo scriptae sunt singulae elegiae. sed & sic quoque indiciorum satis superque habemus. certe libri secundi elegia decima octava spinas ac difficultates & pericula & ludibria in amore matronali tam vivis coloribus praepingit, Cynthiae nomine nequaquam dissimulato, ut de hujus matrimonio deque poëtae caelibatu dubitari omnino non possit.

3. NE NOS DIVIDERET] in omnibus libris scriptis, & editionibus vetustis est, *Ni nos divideret.* quo modo scripsisse veteres, pro *ne*, auctor est Servius ad L. 3. Aen. ℣. 686. & Donatus in Terent. Eunuch. Act. 2. Sc. 3. ℣. 35. Act. 3. Sc. 3. ℣. 2. sic & marmor Romanum apud Gruterum DCCCCXCVI. 12.

QVISQVIS. ES. HOMO. ET. VOS. SODALES. MEOS. CVNCTOS
ROGO. PER. DEOS. SVPEROS. INFEROSQVE. NI
VELITIS. OSSA. MEA. VIOLARE

ita habet autographum Steph. Vinandi Pighii: nam in Grutero male SEPEROS excusum est.

8. NUPTAE PERDERE AMORE FACES] sic est in omnibus libris. tamen *prodere* reponunt Passeratius, ac Livinejus, ex illo Virgilii, *Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro:* & adsentientem sibi habent Nic. Heinsium Not. ad L. 2. Art. Amat. ℣. 636. sed illud *prodere* alio pertinet; & mox dicam. *Perdere* hic valet simpliciter, inutili dispendio prodigere, fumum facere nihil profuturum. hoc enim dicit poëta, Si sibi ducenda sit uxor, Augusto ita jubente, ea re nihil effecturum amplius, nisi ut pereat sibi omne id argentum, quod in apparatum nuptialem invito & coacto sit profundendum. hujus expositionis sponsorem dabo valde idoneum, & quem tu nequaquam possis rejicere. is est Iunius Iuvenalis, Sat. 6.

Si tibi legitimis junctam pactamque tabellis
Non es amaturus: ducendi nulla videtur
Caussa: nec est quare coenam & mustacea perdas,
Labente officio crudis donanda, nec illud
Quod prima pro nocte datur, cum lance beata
Dacicus, & scripto radiat Germanicus auro.

pariter Lucanus L. 10. ubi convivium Cleopatrae luxuriosissimum:

Discit opes Caesar spoliati perdere mundi,
Et gessisse pudet genero cum paupere bellum.

Tetentius Adelph. Act. 1. Sc. 2.

tibi si istuc placet,
Profundat, perdat, pereat: nihil ad me adtinet.

Anne ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus?
Ah mea tum quales faceret tibi tibia somnos,
Tibia, funesta tristior illa tuba!

Unde

Manilius L. 4. ipso initio:

Quid tam sollicitis vitam consumimus annis?
Torquemurque metu, caecaque cupidine rerum?
Aeternisque senes curis, dum quaerimus aevum,
Perdimus, & nullo votorum fine beati
Victuros agimus semper, nec vivimus umquam?

Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 11.

Desine blanditias & verba potentia quondam
Perdere. non ego sum stultus, ut ante fui.

Suetonius Neron. C. 30. *Divitiarum & pecuniae fructum non alium putabat quam profusionem, sordidos ac deparcos esse quibus ratio impensarum constaret, praelautos vereque magnificos qui abuterentur, ac perderent.* vides quam signanter dixerit noster *perdere faces*, & quam non utili medicina corrumpere voluerint locum recte valentem.

9. 10. AUT EGO TRANSIREM TUA LIMINA CLAUSA MARITUS RESPICIENS UDIS PRODITA LUMINIBUS.]

Nic. Heinsius legit, *Anne ego transirem*, cum Passeratio. in vulgatis fere videas *An ego.* Groninganus habet, *Aut ego transierim.* deinde refingit Heinsius, *udis obdita luminibus*, quia scilicet praecesserit *prodere.* atqui *limina clausa*, ut puto, nihil significant aliud quam *limina obdita*: cur ergo bis idem dicat? *prodita* est in omnibus libris; & recte. *prodere* est deserere, in periculo ponere ac derelinquere, perdere, projicere. Cicero Philipp. C. 3. *Vos autem, patres conscripti, si M. Brutum prodideritis, & deserueritis, quem tandem civem umquam ornabitis? cui favebitis? nisi forte eos, qui diadema imposuerint, conservandos; eos, qui regni nomen sustulerint, deserendos putatis.* Philipp. 11. C. 9. *At vero ita decernunt, ut liberato Bruto: id enim restabat: ut relicto, deserto, prodito.* Virgilius L. 4. Aen.

Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.

Terentius Adelph. Act. 4. Sc. 5.

Prodidisti & te, & illam miseram, & gnatum, quod quidem in te fuit.

iterum Hecyr. Act. 4. Sc. 4.

quid dixti? eho, an non alemus, Pamphile?
Prodemus quaeso potius?

Caesar L. 4. Bell. Gall. C. 25. *qui decimae legionis aquilam gerebat, contestatus Deos, ut ea res legioni feliciter eveniret, Desilite, inquit, milites, nisi vultis aquilam hostibus prodere.* L. 1. Bell. Civ. C. 30. *Quibus rebus pene perfectis, adventu Ciceronis cognito; queritur in concione sese projectum ac proditum a Cn. Pompejo.* Cicero L. 10. ad. Attic. Epist. 9. *cum hoc idem obsecraret, ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicam filiam, ne meos omnes tam temere proderem.*

11. AUT MEA QUUM TALES CANERET TIBI, CYNTHIA, SOMNOS TIBIA,]

infeliciter hic rem gessit Douza Schediasm. succid. p. 66. in editionibus vetustis est,

Ah mea tum qualis caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia,

nisi quod quaedam *cantus* habent; pro *somnos.* quae omnia Scaliger dicit esse perversa, & in officina Beroaldi cusa, qui multa, quae non intelligebat, corruperit. fateor, Beroaldus non fuit criticus ad Scaligerum: haec tamen illum non corrupisse, testes sunt omnes membranae, in quibus, *Ah mea tum qualis.* deinde in altero Colbertino, & in nostris duobus, legitur, *caneret tibi tibia somnos.* quare dubitare non debes de veritate lectionis, quam Nic. Heinsius constituit loco modo laudato,

Ah mea tum quales faceret tibi tibia somnos,
Tibia funesta tristior illa tuba!

facere somnos Ovidius dixit L. 3. Pontic. Epist. 1.

Et faciat somnos haec tibi cura breves.

L. 3. Art. Amat. ℣. 648.

Sunt quoque quae faciant altos medicamina somnos.

L. 3. Fast. ℣. 18.

Dum

Unde mihi patriis gnatos praebere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod mea si tenerae comitarent castra puellae,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus.
Hic erit & patrio sanguine pluris amor.
Uxor me numquam, numquam me ducet amica.
Semper amica mihi: semper & uxor eris.

Dum sedet; umbrosae salices, volucresque canorae
Fecerunt somnos, & leve murmur aquae.

Plinius L. 20. C. 7. *Peculiares earum vires partim jam dictae sunt, somnum faciendi, veneremque inhibendi.*

15. QUOD SI ROMANAE COMITARENT CASTRA PUELLAE] ita Scaliger, ex corrupta membranarum paene omnium lectione, *Quod si vera meae comitarem castra puellae.* & sane ex *ra meae* non difficulter fit *Romanae*: tum & mos ipse favet, notissimus, & nulli non dictus. sed, audebo dicere, unice ad gustum meum est ingeniosa Nic. Heinsii correctio, Not. ad L. 1. Trist. Eleg. 8. ℣. 31. quam suggerit turbatus ordo literarum:

Quod mea si tenerae comitarent castra puellae,

tenerae perpetuum puellarum epitheton est apud nostrum, Nasonem, ac Tibullum. neque attinet exempla coacervare. *mea castra, mes campagnes.* sic L. 4. Eleg. 3.

Texitur haec castris quarta lacerna tuis.

profecto nullus mihi scrupulus restat super germanitate loci admodum feliciter restituti. lectionem illam cascam (nam eam sequitur) quomodo exponat musteus interpres, non libet repetere. valde isti homini volupe est in luto volutari.

18. GLORIA AD HIBERNOS LATA BORYSTHENIDAS.] non quod Scythae Borysthenis accolae multum delectarentur carminibus Propertianis: sed quod tribuni ac centuriones Romani non gravarentur fabulas Milesias & carmina amatoria inter sarcinas suas circumferre, etiam quum militarent apud longissime dissitas regiones. narrat Plutarchus in vita Crassi, occiso eo duce, & dejeto exercitu Romano, in *Roscii Rustium* vocat Appianus in Parthicis p. 154. C. vide locum. impedimentis repertos fuisse libros Aristidis Milesiacos; atque eam rem Surenae argumentum praebuisse multis modis sugillandi & eludendi Romanos, quod nec in bello abstinerent scriptis tam libidinosis. Erat nimirum ipse valde frugi, contentus ea ipsa expeditione non nisi ducentas pellicum rhedas secum trahere. pariter Martialis de suis lusibus gloriatur L. 11. Epigr. 3.

Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.

vides imaginem militiae hodiernae, ubi otium castrense, si quando datur, oblectare solent amatoriis Gallorum naeniis. Tamen & altius sapuisse nonnullos in hoc genere scribendi, argumento est, quae nunc quoque cum summa legitur voluptate, fortissimi ac disertissimi viri Xenophontis Cyropaedia. Quales Fabulas Heroicas (uti hodie loquuntur) multas olim exstitisse, colligere licet ex Ciceronis oratione pro M. Marcello, C. 3. *At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, & in victoria, quae natura insolens & superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio incendimur; non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos numquam vidimus, diligamus!*

19. TU MIHI SOLA PLACES] videtur hoc hemistichium in proverbium abiisse. certe, tamquam frequente usu notissimum, adludit Ovidius L. 1. Art. Amat.

Dum licet, & loris passim potes ire solutis,
Elige cui dicas, Tu mihi sola places.

VII.

ERipitur nobis jam pridem cara puella:
 Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas?
Nullae ſunt inimicitiae, niſi amoris, acerbae:
 Ipſum me jugula, lenior hoſtis ero.
Poſſum ego in alterius poſitam ſpectare lacerto?
 Nec mea dicetur, quae modo dicta mea eſt?
Hic olim ignaros luctus populavit Achivos,
 Atridae magno quum ſtetit alter amor.
His olim, ut fama eſt, vitiis ad praelia ventum eſt,
 His Trojana vides funera principiis.
Aſpera Centauros eadem dementia juſſit
 Frangere in adverſum pocula Pirithoum.

Cur

1. ERIPITUR NOBIS JAM PRIDEM CARA PUELLA] Barthius Anim. ad Papin. L. 2. Silv. 1. jubet legi, *tam pridem cara.* neſcio quam bene; neque ipſe rationem dedit. libri nihil mutant. nec videtur quidquam mutandum. Cicero L. 7. ad famil. epiſt. 9. *Jam diu ignoro quid agas: nihil enim ſcribis.* ibi quoque *Tam diu* refictum fuit a viris haud ſane indoctis, ſed non & perſuaſum. contra, in oratione pro Roſcio comoedo C. 13. ubi legitur: *cur in re tam veteri, in negotio tam confecto, in ſocietate diſſoluta, nova haec reſtipulatio interponitur?* ibi, inquam, recte atque ordine feciſſe puto Gulielmium ac Paſſeratium, qui ſcripſerint *in negotio jam confecto.* crebro confunduntur iſtae particulae in libris vetuſtis. v. Cicero Philipp. 12. C. 1. p. 852. qua in re ſenſus potius ſcriptoris eſt ſequendus, quam manus librarii. hoc diſtichon pulcre expreſſit Aeg. Menagius initio elegiae ad J. G. Graevium, qua deplorat obitum principis poëtarum Nic. Heinſii:

Heinſiadae mortem, Heinſiadae mihi funera narras?
Et tu me carmen ſcribere, amice, jubes?

8. ATRIDAE MAGNO CUM STETIT ALTER AMOR] Scaliger iſtud *magno* ita cepit, ut cum nomine *Atridae* jungeret. ſed homines ſumus. *ſtare magno* damnum & detrimentum & poenam Latine notat. Ovidius L. 2. Faſt. ubi Lucretiae ſtuprum:

Quid, victor, gaudes? haec te victoria perdet.
Heu quanto regnis nox ſtetit una tuis!

Virgilius L. 10. Aen.

Quiſquis honos tumuli, quidquid ſolamen humandi eſt,
Largior. haud illi ſtabunt Aeneïa parvo
Hoſpitia.

Martialis ludit ſuo more, hoc eſt nequiter, non tamen prorſus inepte ad negotium Agamemnonis, L. 3. Epigr. 75.

Mirari ſatis hoc quiſquam, vel credere poſſit,
Quae non ſtat, magno ſtare, Luperce, tibi?

bene hanc locutionem expoſuit Paſſeratius: non aeque bene id quod ſequitur, *alter amor.* Nam, inquit, amarat Arginum. imo vero amaverat Chryſeïda, quam quia patri reddiderat coactus, ideo in ſolatium viduitatis ſuam Achilli eripuit Briſeïda. nota res ex Homero. vide ſis Naſonem Remed. Amor. ℣. 467.

11. EADEM DEMENTIA] libido cum ebrietate juncta. ſed ſuberat cauſſa altior, furor a numine immiſſus. Servius in L. 7. Aen. ℣. 304. *Pirithous Lapitharum rex cum uxorem duce-*

Cur exempla petam Grajum? tu criminis auctor
Nutritus duro, Romule, lacte lupae.
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas:
Per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
Cessare in thecis pertulit arma sua.

Vide-

duceret, vicinos populos Centauros, etiam sibi cognatos, & Deos omnes, excepto Marte, ad convivium convocavit. Unde iratum numen immisit furorem, quo Centauri & Lapithae in bellum venerunt. de asperis poculis in Pirithoum fractis, aliter narravit Naso L. 12. Metam. ubi de Euryto centauro, qui primus incenderat insanum illum tumultum:

Forte fuit juxta signis exstantibus asper
Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Aegides; adversaque misit in ora.
Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque, merumque,
Vulnere & ore vomens, madida resupinus arena
Calcitrat.

Verum enim vero in his fabellis alii aliter atque aliter luserunt, nulla habita ratione nec veri, nec falsi.

13. CUR EXEMPLA PETAM GRAJÛM?] quia in Posthiano libro legitur, *Cur extrema petam*; ideo sibi temperare non potuit Palmerius, quin fabricaret, *Cur externa petam Grajum? Cur Graecorum*, inquit, *externa exempla petam, cum sint domestica Romana? Sic per domestica & externa Valerius Maximus exempla dictorum ac factorum memorabilium descripsit.* quae est ista infelix sedulitas, quae nullum non aberrantis calami lapsum amplexa, undecumque quaerit quo augeat errorem? *exempla* habent reliqui omnes codices. & rectum esse, vel puer videat. noster L. 4. Eleg. 10.

Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae.

ibidem Eleg. 1.

Exemplum grave erit Calchas.

conjecturae tamen blandienti succurrere videri possit Cicero II. de Offic. 8. *Externa libentius in tali re, quam domestica recordor.* & III. 26. *Sed dimittamus & fabulas, & externa; ad rem faciam, nostraque veniamus.* lib. de Senect. C. 6. *Quod, si legere, aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas, & restitutas reperietis.* II. de Divinat. 66. *Sed haec externa, ob eamque caussam ignota nobis sunt: nonnulla etiam ficta fortasse.*

14. NUTRITUS DURO, ROMULE, LACTE LUPAE.] *Nutritus durae*, Groninganus. tantumdem est. infra L. 4. Eleg. 4.

Te toga picta decet: non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.

17. ILLE ETIAM ABREPTA DESERTUS CONJUGE ACHILLES] Servius ad L. 10. Aen. ℣. 677: *Antiqui* ILLE *vel magnitudini vel nobilitati adsignabant. ut, Multum ille & terris, &, Poenorum qualis in arvis Saucius ille gravi. τὸ ille* ornatus tantum gratia adjectum millies apud poëtas reperias. & notavit ad Valer. Flacci L. 3. ℣. 587, Lamp. Alardus. qui vir, quod obiter monendum erat, mirificam instituit commentandi rationem. nam quum quaedam bona & juventuti utilia hinc inde corrasisset, neque attulisset de suo quidquam; numquam tamen vel tralatitio nominandi honore dignatus est eos scriptores, quos non dicendis latrociniis pudendum in modum expilaverat. maxime autem in Belgas nostros exercuit istam suam crudelem piraticam. Ecce, quae modo laudavi, ne apice quidem uno mutato, totidem verbis reperies apud Guliel. Canterum L. 3. Novar. Lect. c. 26. Nota ad Valerii L. 3. ℣. 709, tota quanta est, una cum emendatione loci Sophoclei, exscripta est e Rutgersio, L. 4. Var. Lect. c. 16. tum & illa ad Valer. L. 5. ℣. 147, 148, itidem apud Rutgersium legitur L. 4. c. 20. quae ad Valer. L. 3. ℣. 441, 442, signavit, debentur Meursio ad Lycophr. p. 296. Wouwerio ad Petron. p. 478. Barthio ad Claudian. p. 379, mox laudando. nota ad Val. L. 1. ℣. 83, iisdem verbis ex-

stat

Viderat ille fugas fractos in litore Achivos,
Fervere & Hectorea Dorica castra face.
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, & sparsas caede jacere comas,

Omnia

stat apud Jacob. Nicolaum Loënsem L. 5. Epiphyll. miscell. c. 21. uti & illa ad Valer. L. 5. ℣. 74, apud eumdem Jacob. Nicolaum L. 6. c. 14. ubi quidem meminit auctoris sui, sed quasi qui longe diversa tradiderit. unde vides nec fidelem Exscriptorem fuisse, nedum interpretem maximi post Virgilium poetae. Nota ad L. 3. ℣. 224, transscripta est de commentario Jani Parrhasii L. 3. ℣. 347, Claudiani de Raptu Proserpinae, una cum emendatione loci Claudianaei. Poetae inibi nostri distichon, ex L. 3. Eleg. 7, *Te duce vel Jovis arma canam*, id inquam distichon Parrhasius errore memoriae, ut fit, Ovidio dederat: Lampertus itidem Ovidium auctorem fecit. Parrhasius librum unde depromserat, non indicavit: quod & ipsum Lampertus fideli texit silentio. quae de *nocte dulia*, si Musis placet, conscribillavit ad Valer. L. 2. ℣. 573, sunt consarcinata ex male intellectis Phil. Maussaci verbis, subindicante J. F. Gronovio L. 1. Obs. c. 2. quae de *herba Promethea* scribit ad Valer. L. 7. ℣. 356, descripsit ex Miscellaneis Joannis Brodaei, L. 3. c. 32. Quae de Hyla tradit ad Valer. L. 3. ℣. 596, una cum emendatione hemistichii Apolloniani apud Probum Georgicorum interpretem, corrasit ex Rutgersio, L. 3. Var. Lect. c. 8. & tamen, quod merito mireris, fefellit hic Autolycus eorum omnium industriam, qui de Plagio Literario aliquid in vulgus emiserunt. uberrimam ego illis messem indicavi. interim videre te velim quae de nostro isto graculo insignis ille Barthius notavit ad Papin. L. 1. Silv. 2. ℣. 177. & ad L. 10. Thebaid. ℣. 787.

18. CESSARE IN TECTIS PERTULIT ARMA SUA.] Passeratius & Gebhardus legunt, *Cessare in Teucros*, uterque (uti ajunt) ex libro vetere. nostri omnes habent *in tectis*. Guyetus non infeliciter reponebat *in thecis*. nihil verius. nam arma cessantia thecis & integumentis includebantur, etiam in itinere. & sic capiendus Seneca Phoeniss. ℣. 388.

Regina, dum tu flebiles questus cies,
Terisque tempus, saeva nudatis adest
Acies in armis. aera jam bellum cient.

Caesar L. 2. de Bell. Gall. c. 21. *Temporis tanta fuit exiguitas, hostiumque tam paratus ad dimicandum animus, ut, non modo ad insignia accommodanda, sed etiam ad galeas induendas, scutisque tegmenta detrahenda, tempus defuerit.* omnino videndi tibi sunt Hier. Magius L. 4. Miscell. c. 2. & J. F. Gronovius Diatr. ad Silvas Statii C. 41. ubi plena hujus moris dilucidatio.

19. VIDERAT ILLE FUGA TRACTOS IN LITORE ACHIVOS] Palmerius ex codice vetusto reponit,

Viderat ille fugas, fractos in litore Achivos,

quomodo & Passeratius in Memmiano invenerat. omnino recte. & juvat in partem noster primus, qui habet, *viderat ille Phrygas*; quod etiam legitur in Borrichiano.

22. SPARSAS CAEDE JACERE COMAS] crines cruore foedatos horrere. Valerius Flaccus. L. 3. ℣. 286.

Ille ubi concretos pingui jam sanguine crines,
Pallentesque genas, infractaque pectore caro
Tela, neque hesternos agnovit in hospite vultus;
Ingemit.

non est hic vulgaris notio verbi *jacere*. ejus opposita sunt in re comarum *strui*, *fingi*, *ornari*, *comi*. Ovidius Epist. Sapphus:

Ecce, jacent collo sparsi sine lege capilli.

L. 3. Art. Amat.

Et neglecta decet multas coma. saepe jacere
Hesternam credas: illa repexa modo est.

iterum Epist. Sapph.

Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine jacente feror.

Seneca Thyest. ℣. 507.

adspice, ut multo gravis
Squallore vultus obruat moestos coma:
Quam foeda jaceat barba.

Ovidius IV. Fast. 318, de Q. Claudia:

Submissoque genu, vultus in imagine Divae
Figit,

Omnia formosam propter Briseïda passus.
Tantus in erepto saevit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita poena,
Fortem illum Aemoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo quum sim vel matre, vel armis,
Mirum si de me jure triumphat Amor?

Magni

Figit, & hos edit crine jacente sonos.
Seneca Hippol. ℣. 804.
Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege jacens.

25. SERA CAPTIVA EST REDDITA POENA] *poena sera*, inquit析Passeratius, *est poenitentia cum gravi damno.* quid ita? nempe ne non obloqueretur Scaligero, statuenti, *poenam* esse legem qua victori victus aliquid facere damnas sit, idque probanti auctoritate Silii L. 2.
Jam medio seram bello poscentia pacem,
Ductorisque simul conceptas foedere poenas.
optime, Douza putat *poenam* hic poni pro *praemio*: quomodo apud Horatium *pretium* pro *poena*: *Et peccare nefas, aut pretium mori.* L. 4. Expl. Plaut. C. 14. etiam illustris Spanhemius de *pretio* quod ad redimendam poenam datur, exponit Obs. in Callimach. p. 310. poetae mentem clare atque distincte exponit musteus interpres: *Sed quando tandem captiva est restituta tardâ poenâ.* quid ad istud acumen fatuus aliquis Belga? eruit hic homo, non sine aerumnabili labore, verbum *reddere* ferme hic loci idem valere, quod verbum *restituere.*

27. INFERIOR MULTO QUUM SIM VEL MARTE VEL ARMIS] unius literulae transpositio tenebras huic loco obfudit: est enim legendum, *vel matre vel armis.* quum ego nec Dea matre sim progenitus, nec virtute bellica Achilli comparandus; an mirum, me quoque ab Amore in triumphum duci, quem neque ipse Achilles potuit declinare? noster hausit ab Homero Iliad. L. 1.
Εἰ δὲ σὺ καρτερός ἐσσι, θεὰ δέ σε γείνατο μήτηρ.
Eobanus vertit:
Quod si matre Dea satus ipse, & robore vasti
Corporis excellis.
Cicero L. 9. ad Attic. epist. 5. *ego igitur, si quis apud Homerum, cum ei & mater & Dea dixisset, Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα.* gloriam illam generis materni cum laude fortitudinis militaris in Achille etiam Horatius junxit L. 4. Od. 6.
Filius quamvis Thetidos marinae
Dardanas turres quateret tremenda
cuspide pugnax.
& Epod. 13.
Invicte mortalis, Dea
Nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus.
idem mendum in eadem voce e Sidonio Apollinari sustulit eruditissimus Sirmondus, Panegyr. Majoriani:
plantasque superbas
Haud ita per siccam Nemeen citus extulit Arcas,
Cujus in Aetelo volitantem pulvere matrem
Horruit Hippomenes.
ibi quoque *volitantem martem* legebatur: neque animadverterat diligentissimus Savaro, par locus est apud Tibullum L. 2. Eleg. 1.
Ludite. jam Nox jungit equos: currumque sequuntur
Matris lascive sidera fulva choro.
nam & istic *Martis* erat in omnibus editionibus, antequam veram lectionem adseruisset elegantissima Mureti Venus. Passeratius etsi monuerat apud nostrum *matre* esse legendum, auctore libro suo vetere; id adeo non movit ecphrasten nuperum, ut potius maluerit retinere insulsam illam lectionem vulgatam; eamque ita interpretari: *quandoquidem vero non sum Achilli par, aut bellica virtute, aut armorum genere.* credas hunc hominem paleis victitare, abjectis frugibus. a matre etiam praerogativam ducebat Xerxes contra fratrem Artamenem, maximum natu, apud Justinum L. 2. C. 10. *Huc accedere, quod Artamenes non patre tantum, sed & matre privatae adhuc fortunae, avo quoque materno privato, procreatus sit: se vero*

&

Magni ſaepe duces, magni cecidere tyranni.
Et Thebae ſteterunt, altaque Troja fuit.
Omnia vertuntur. certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis: haec in amore rota eſt.
Iſte quod eſt ego ſaepe fui. ſed fors & in hora
Hoc ipſo ejecto carior alter erit.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci?
Illa tamen nunquam ferrea dixit, Amo.
Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum,
Ecquandone tibi liber ſum viſus? an uſque
In noſtrum jacies verba ſuperba caput?
Penelope poterat bis denos ſalva per annos
Vivere, tam multis femina digna procis.

Conju-

& matre regina natum, & patrem non niſi regem vidiſſe. &c. & Ulyſſes Naſonianus L. 13. Metam.

Sed neque materno quod ſum generoſior ortu,
Nec mihi quod pater eſt fraterni ſanguinis inſons,
Propoſita arma peto.

quae de materna nobilitate adferri plura ſolent, vix tamen huc facientia, videre potes apud Tiraquellum lib. de Nobilitate C. 18.

32. HAEC IN AMORE ROTA EST] vide quae notavi ad Tibull. 1, 6, 34.

33. SED FORSIT IN HORA] in quinque libris ſcribitur *fors &*, vocibus diviſis. quomodo & in multis Horatii exemplaribus ſcriptis L. 1. Od. 28. in aliis junctim exaratur. uti apud Horatium L. 1. Sat. 6. anceps lectio eſt apud Virgilium L. 11. Aen.

Fors & vota facit; cumulatque altaria donis.

Servius: FORS ET. *Forte etiam vota ſuſcipit. poteſt & unum eſſe* forſet, *id eſt, forſitan.* atque ita intellexit Donatus: *Forſitan, inquit, nunc, hoc eſt, quum jam Pallas exanimis jaceret, preces numinibus Euander fundit, & exhibet munera.* tamen uſitatius *forſit* ſcribi exiſtimant. & ſic praecipit Priſcianus L. 15. *inveniuntur diverſae adverbia formae, ex eiſdem derivata nominibus: ut a fors, forte, forſan, forſitan, forſit, fortaſſe, fortaſſis.* paullo ante dixerat: *in T, ſat, pro ſatis, & duntaxat, quod ab adverbio componitur & verbo; & forſit, pro forſitan.* Horatius Sermonum primo:

Diſſimile hoc illi eſt, quia non ut forſit honorem
Jure mihi invideat quivis.

ante Scaligerum hoc ipſo noſtri loco *forſit* repoſuerat Gulielmus Canterus noſtras L. 4. Nov. Lect. C. 8. quem cur ſilentio praeteriret Paſſeratius, cauſſae nihil erat. Nic. Heinſius *fors &* ſcribi jubet Not. ad I. Valer. Flacc. 478.

37. JAM MULTOS NIMIUM TEMERARIUS ANNOS] in Groningano eſt, *tam multos.* quod magis adridet. ita fine L. 3.

Quinque tibi potui ſervire fideliter annos.

39. ECQUANDONE] Scaligerani libri ſcripturam habet & Borrichianus. in noſtris duobus erat *Et quando ne.* vide notata in *Ecquis. Et quando*, Carrionis codex Valerii Flacci II. 395. recte ac vere. in Groningano erat *Et quando ire* ubi duae lineolae, quae conſtituunt literam *n*, diſparatae ſunt, & corruptae in *ir.* Apulejus Apolog. *Ecquandone vidiſti, Maxime, flammam ſtipula exortam, claro crepitu, largo fulgore, cito incremento?*

Conjugium falsa poterat differre Minerva,
  Nocturno solvens texta diurna dolo.
Visura & quamvis numquam speraret Ulyxen,
  Illum exspectando facta remansit anus.
Nec non exanimum amplectens Briseis Achillen,
  Candida vesana verberat ora manu.
Et dominum lavit moerens captiva cruentum,
  Appositum flavis in Simoënta vadis.

Foe-

43. CONJUGIUM FALSA POTERAT DIFFERRE MINERVA,] *falsa Minerva*, optime. quum telam, quam texere simulabat, semper retexeret. valde elegans est usus hujus voculae, quum ponitur pro eo qui videri vult, aut qui putatur, is esse, qui re vera non est. Virgilius L. 1. Aen. de Cupidine in vultum Ascanii mutato:

Ille, ubi complexu Aeneae colloque pependit,
Et magnum falsi implevit genitoris amorem.

& L. 3.

Sollemnis cum forte dapes, & tristia dona,
Ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache.

Catullus Carm. 63.

Longus homo est, magnas cui lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

Noster supra Eleg. 5.

Quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos.

Valerius Flaccus L. 8.

neque enim fugit aequore raptor
Jupiter, aut falsi sequimur vestigia tauri.

Statius L. 7. Thebaid.

hic, cui nivea arma tridentem
Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti
Non falsus virtute nepos.

& sub finem ejusdem libri:

aurigam jaculum detorqueti n Hersen
Ille ruit: Deus ipse vagis succedit habenis,
Lernaeum falso simulans Aliagmona vultu.

& L. 9. ubi narratur somnium Atalantae:

Dum gemit, & planctu circumdat pectus inani,
Abrupere oculi noctem, moestoque cubili
Exilit, & falsos quaerit per lumina fletus.

& L. 10.

Te nemus Oebalium, te lubrica ripa Eurotae
Virginis, & falso gurges cantatus olore
Flevit.

& L. 11.

Sidonios ex quo per litora raptor
Turbasti thyasos, dignatus virgine nostra
Terga premi, & placidas falsum mugire per undas.

44. NOCTURNO SOLVENS TEXTA DIURNA DOLO] bellissimum illud Homeri commentum adeo placuit Nasoni, optimo ingeniorum arbitro, ut vel ex eo solo pulcritudinem Odysseae aestimare ac metiri videatur, L. 3. Amor. Eleg. 9.

Durat opus vatum Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.

Caelii Calcagnini, hominis sua tempestate multo eruditissimi, exstant duae elegiae, *Noctium Penelopearum* titulo insignes, quas juvabit legisse bonorum carminum studiosos. pulcre Claudianus in Laude Serenae Reginae:

Penelope trahat arte procos, fallatque furentes
Stamina nocturnae relegens sollertia telae.

sed invertit omnem scenam disertissimus Baudius, promus ille condus Romanae urbanitatis, L. 3. Iambic.

sancta conjunx interim
Servat cubile, castitatis scilicet
Vindex, & arte eludit instantes procos,
Solvens diurna texta nocturne dolo:
Dumque haud videre sperat absentem virum,
Domi pudica mansit, & fastu ferox
Florem juventae fraudat usura sui.
Judaeus hoc Apella credat, non ego.
Non ratio mecum, flosque prudentum virûm
Qui matre sali Pana prognatum ferunt.

50. APPOSITUM FLUVIIS IN SIMOENTA VADIS] ita omnes libri; lapsu haud difficulter erigendo, si *flavis* legas pro *fluviis*. *flavus*

Foedavitque comas, & tanti corpus Achillei,
Maximaque in parva fubftulit offa manu.

Quum

proprium quafi amnium & aquarum epitheton. Horatius L. 1. Od. 2.

Vidimus flavum Tiberim retortis
Litore Etrufco violenter undis.

& L. 2. Od. 3.

Cedes coëmtibus faltibus, & domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes.

Virgilius L. 1. Aen. 7.

ingentem ex aequore lucum
Profpicit: hunc inter fluvio Tiberinus amoeno,
Vorticibus rapidis, & multa flavus arena
In mare prorumpit.

Fronto apud A. Gellium L. 2. C. 26. Flavus *videtur ex viridi & rufo & albo concretus. fic* flaventes comae, &, *quod mirari quosdam video*, frondes olearum a *Virgilio dicuntur* flavae. *Sic multo ante Pacuvius aquam* flavam *dixit*, & flavum pulverem. *cujus verfus, quoniam funt jucundiffimi, libens commemini:*

Cedo tamen pedem lymphis flavis: flavum ut pulverem
Manibus isdem, quibus Ulyffi faepe permulfi, abluam;
Laffitudinemque minuam manuum mollitudine.

quas Pacuvius *flavas lymphas* dixit, eas Catullus *liquidas*, aperta imitatione carminis Pacuviani:

Quae sibi jucundo famularer ferva labore,
Candida permulcens liquidis veftigia lymphis,
Purpureave tuum confternens vefte cubile.

claret hinc τοῦ *flavi* fignificationem, quam adfert Acro ad priorem Horatii locum, non femper effe veram: FLAVUM, inquit *aut turbidum, aut colore limi flavum.* nam *flavus* fere pro pulcro ponitur apud poëtas, etiam ubi de fluviis fermo eft, obviis paffim exemplis. hanc elegantem emendationem debes Nic. Heinfio, Not. ad Claudian. L. 3. de R. P. ✝. 332. & ad Ovid. L. 3. Amor. El. 6. ubi tamen videtur praeferre *Appofito Simoënte*; quae & Guyeti mens fuit. atqui prifcae venuftatis erat τὸ *in* cum accufandi cafu jungere. fic *in mentem effe, in honorem effe, in hoftium poteftatem effe, in amicitiam ditionemque P. R. effe*, Plautus dixit, & Terentius, & Cicero. certe fine difcrimine vel hunc, vel auferendi cafum, ponebant. vide Noctium Atticarum Scriptorem L. 1. C. 7. Andr. Schottum L. 1. Nodor. Ciceron. C. 6. Aufon. Popmam ad Caton. de R. R. cap. 40. & L. 2. de ufu Ant. Locut. C. 7. & quos praeterea longa referre mora eft.

51. FOEDAVITQUE COMAS] Pafferatius dicit fe in vetere libro inveniffe *Siccavitque comis:* quod calide arripit ac probat Janus Gebhardus, firmatque loco Papiniano L. 9. Theb.

illa manu ceu vivum amplexa reportat,
Infternitque toris riparum, atque humida ficcat
Mollibus ora comis.

aptius non nihil quam Pafferatius, qui ftabiliendae novae lectioni ex Apulejo adduxerat, (L. 6. Metam.) *humum crinibus fuis verrit, cinerem venerabunda.* quae poftrema verba non funt Apuleji; uti neque priora quidquam ad rem faciunt. ecce locum, ipfo libri initio: *Tunc Pfyche pedes ejus* (Cereris, in cujus erat templo) *advoluta, & ubere fletu rigans Deae veftigia, humumque verrens crinibus fuis, multijugis precibus editis, veniam poftulabat.* Barthius, Pafferatio accedens, propter auctoritatem fui ipfius exemplaris, valde alioqui mirifici, (ita loquitur) multo etiam longius extra orbitam procurrit, in enarratione loci Papiniani modo laudati. *Nos*, inquit, *Regiam puellam vidimus, ad quotidianas epulas manus capillis formofiffimi pueri deficcantem.* putes hanc puellam regiam Petronium legiffe, apud quem *Trimalcio, lautiffimus homo, exonerata veftca aquam popofcit ad manus, digitofque paullulum afperfos in capite pueri terfit.* propius ad fcopum ibat alius Papinii locus C. 11. quem uterque adducere neglexit:

Illius exili ftridentem in pectore plagam
Ifmene collapfa fuper, lacrimifque, comifque
Siccabat plangens.

nec tamen vel ideo vulgatam lectionem damnare

Quum tibi nec Peleus aderat, nec caerula mater,
Scyria nec viduo Deïdamia toro.
Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis:
Tunc etiam felix inter & arma pudor.

At

nare animus est, quam firmant octo libri veteres, & mos ipse lugendi priscus. Catullus Carm. 61.

Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra atque immundo polvere foeans.

Virgilius L. 12. Aen.

it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis urbisque ruina,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

Claudianus L. 3. de R. P.

Tum laceras effusa comas, & pulvere canos
Sordida, sidereae raptus lugebas alumnae.

Ovidius L. 8. Metam. ubi mors Meleagri:

Alta jacet Calydon. lugent juvenesque senesque:
Vulgusque proceresque gemunt: scissaeque capillos
Planguntur matres Calydonides Eveninae.
Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Foedat humi fusus.

Seneca Troad. ℣. 82.

Fidae casus nostri comites,
Solvite crinem. per colla fluant
Moesta capilli tepido Trojae
Pulvere turpes.

& paullo post:

Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.
Coma demissa est libera nodo;
Sparsitque cinis fervidus ora.

& Hercule Oetaeo ℣. 120.

Nos turpis macies & lacrimae tenent,
Et crinis patrio pulvere sordidus.

plura dabunt Funerum Scriptores, & Tiraquellus ad Alexandr. L. 3. C. 7.

51. TANTI CORPUS ACHILLIS] *Achillei*, liber Groninganus. optime. & videor alibi notasse.

51. TANTI CORPUS ACHILLEI &c.] Naso XII Metam. 615.

Jam cinis est; & de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

pueriliter exsultat in simili argumento auctor Herculis in Oeta ℣. 1758. & quidem ore Alcmenae:

Timete Superi fata. tam parvus cinis
Herculeus est. huc ille decrevit gigas.
O quanta, Titan, in nihil moles abit!
Anilis, heu me, cepit Alciden Sinus.
Hic tumulus illi est. ecce vix totam Hercules
Complevit urnam. quam leve est pondus mihi,
Cui totus aether pondus incubuit leve?

53. QUUM TIBI NEC PELEUS ADERAT] ita omnes libri, sensu claro, numero decente. tamen Gebhardus putat melius fore, *Cum illi nec Peleus*, pro *illic*. utinam istiusmodi ingenia abstineant ungues suos a poetis! & cui quaeso persuadeat versiculum tam scabrum, tam inficetum, excidere potuisse Propertianae Veneri? qui legebant *Quando ibi nec Peleus*, aliquanto tolerabilius peccabant.

54. VIDUO DEIDAMIA TORO] *viro* fere habent MSS. sed *toro* est in utroque Colbertino. quomodo recte Scaliger restituit; & firmavit Nic. Heinsius Not. in Ovid. L. 1. Art. Amat. ℣. 682. nec semel ista confunduntur in membranis, & turbant.

55. TUNC IGITUR VERIS GAUDEBAT GRAECIA NATIS] *veris* est in Colbertinis, & Groningano: *castis* in utroque Regio, Borrichiano, & nostris duobus; neque aliter duo libri Gebhardi. sed illud potius videtur. nam *verum* est sincerum, germanum, non adulterinum; & opponitur falso, fucato, spurio. Virgilius L. 8. Aen.

Salve vera Jovis proles, decus addite divis.

Valerius Flaccus L. 5.

Cara mihi, & veras inter non ultima natas,

Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 3.

—— nova figura oris, ——
Color verus, corpus solidum, & succi plenum.

Donatus: *quia non de cura est ac de fuco; id est*

At tu non una potuisti nocte vacare
  Impia: non unum sola manere diem.
Quinctiam multo duxisti pocula risu:
  Forsitan & de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
  Dii faciant, isto capta fruare viro.

Haec

est naturalis, non fucatus. Cicero L. 2. de Offic. C. 5. *virtus omnis tribus in rebus fere vertitur: quarum una est in perspiciendo quid in quaque re verum sincerumque sit.* &c. Ovidius L. 3. Art. Amat.

Dum licet, & veros etiam nunc editis annos.

sed eam scripturam esse *absurdam*, ipsamque locutionem *edere annos* id fateri sponte, clamat Jacobus quidam Gronovius in Notis ad Pinacem Cebetis; ideoque sic reponit Ovidianam manum,

Dum licet, & veros etiamnum inceditis annos.

atque ita imponit fet bonam, ut opinatur, clausulam. sed non debebat hic magister Latium augere nova locutione, nisi simul ostenso apud quem idoneum scriptorem legatur portentificum istud *incedere annos.* non enim haec est Ovidiana manus, sed mangonium agreste ac rusticanum. *Edere* significat *profiteri.* Juvenalis Sat. 3.

Ede ubi consistas: in qua te quaero proseucha?

Cicero pro Quintio C. 24. *Emisti bona Sex. Alpheni, L. Sulla dictatore vendente. socium tibi in hujus bonis edidisti Quintium.* Asconius in Milon. C. 25. *Responderat Pompejus, Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis, itemque libertos, comparatos esse ad caedem suam: nomina quoque servorum edidisse.* Ovidius II. Metam. 43.

Amplexuque dato, Nec tu meus esse negari
Dignus es, & Clymene veros, ait, edidit ortus.

& secunda pro C. Cornelio: *Num in eo, qui sunt hi testes, haesitatis? ego vobis edam duos. reliqui sunt de consularibus, inimici tribuniciae potestatis.* ad eam faciem *annos edere* dicebantur, qui aetatis suae spatium apud censores in condendo lustro profitebantur. nam de singulorum annis quaerebatur. Cicero L. 3. de Leg. C. 3. *Censores, populi aevitates, soboles, familias, pecuni sque censento.* atque hoc est, quod adlusit Ovidius. videlicet puella juvencula, &, ut ipse loquitur, vera puella, interrogata, facile edet veros annos, neque dissimulabit quidquam: provectior aliqua edet non veros, ne anus videri possit. Hanc esse mentem loci Ovidiani docere hunc hominem poterat ipse Ovidius L. 2. Art. Amat.

Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
  Consule: quae rigidus munera censor habet.
Praecipue si flore caret, meliusque peractum est
  Tempus, & albentes jam legit illa comas.

56. TUNC ETIAM FELIX INTER ET ARMA PUDOR] τὸ & valet *etiam*: ut bis idem dixerit; quomodo supra Eleg. 2. ℣. 24. Lubens equidem, si quis liber addiceret, legerim, *Tunc igitur felix*, venusta repetitione, & Nasoni admodum familiari. sed noster aliarum est Venerum: neque minus decore partes suas tuetur.

58. NON UNUM SOLA MANERE DIEM] Gebhardus ex codice Palatino mavult, *sola vacare.* mihi secus videtur: nec mutant nostri quidquam. paullo ante habuimus, ℣. 46.

Illum exspectando facta remansit anus.

59. MULTO DUXISTI POCULA LUXU] in omnibus membranis est *risu*; quod melius videtur & validius ad exagitandam petulantis mulieris levitatem. etiam *risu* legitur in veterrimis editionibus. inde opinor *luxu* concinnavit corrector aliquis; quod postea abiit in *luxu.*

62. DI FACIANT] *Dii* scribunt nostri libri cum Groningano. & sic ubique in his ac similibus. erudite, & ex usu prisco. in membranis

Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Quum capite hoc Stygiae jam poterentur aquae:
Et lectum flentes circumstaremus amici?
Hic ubi tum, pro dii, perfida, quisve fuit?

Quid

branis Horatii, luculentae bonitatis libro, cujus usuram habui a magno viro Jo. Georgio Graevio, numquam aliter exaratum est. est autem valde patheticum illud *Dii faciant.* ita & Cicero Accus. 5. in Verr. C. 13. *Dii faciant ut rei militaris, ut belli mentionem facere audeas. cognoscentur enim omnia istius aera illa veteri, ut non solum in imperio, verum etiam in stipendiis qualis fuerit, intelligatis.* Ovidius Epist. Phyllid.

Sum decepta tuis & amans & femina verbis.
Dii faciant, laudis summa sit ista tuae.

noster L. 3. Eleg. 14.

Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti.

Catullus Carm. 105.

Dii magni, facite, ut vere promittere possit;
Atque id sincere dicat, & ex animo.

Plautus Pers. Act. 5. Sc. 2.

Dii faciant, ut id bibatis, quod vos numquam transeat.

plura apud Brissonium videre potes L. 1. Formularum. interim cogitemus, si haec referri possint ad hominem istum, cujus insectatio est L. 3. Eleg. 18. nam temporis series in his libris nimis quam confusa est.

63. HAEC MIHI VOTA] in Groningano est, *Nec mihi nota*: ut videatur dicere, inusitatis & minime vulgaribus votis caput suum obligasse. sed non libet recedere a vulgata & sana lectione. in literis enim initialibus plurimum sibi librarii licere voluerunt. ea caussa fuit, cur *vota* mutarint in *nota*.

64. QUUM CAPITE HOC STYGIAE JAM PETERENTUR AQUAE] quum tu jam alterum pedem in cymba Charontis haberes. similis locutio est infra L. 4. Eleg. 6.

Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci.

sed in uno Colbertino est *potarentur*; levi lapsu depravatum ex *poterentur*. quam veram lectionem ex suis depromsit Passeratius, & ex alio libro Nic. Heinsius Not. ad illud Ovid. L. 13. Metam. ℣. 130.

Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille.

sic Valerius Flaccus L. 7.

Scilicet Aeoliae fecudis poteretur ut auro?

sane & Catullus ita locutus est Carm. 61.

Optavit genitor primaevi funera nati,
Liber ut innuptae poteretur flore novercae.

& Terentius Phorm. Act. 5. Sc. 5.

Curavi, propria Phaedria ut poteretur: nam emissa est manu.

quomodo quidem eum versum exhibet castigatissimus codex Bembinus. in eadem fabula legitur Act. 3. Sc. 1.

Ne quid propter tuam fidem decepta poteretur mali.

ita inquam legitur hodie: antiquitus autem fuisse, *poteretur mali*, testantur excerpta ex commentariis Donati, adduntque, *potius* fuisse τῶν μέσων, quum Plautus dixerit *hostium potitus est.* notabilis est locus doctissimi grammatici Servii ad L. 3. Aen. ℣. 56. sed mancus in libris vulgatis; quem ego tibi ex vetere scriptura integrum dabo: AURO VI POTITUR. *Hoc verbum de his est quae permiscent conjugationes: cum enim sit tertiae conjugationis, infinitum modum a quarta facit, ut* potiri. *unde plerique decipiuntur, ut* potiris *dicant. similiter* fio *pro* fiere, fieri *facit permixta conjugatione.* haec opinor valide fulciunt Passeratii atque Heinsii correctionem. Et hunc locum corruperat Volscus. quum enim legeretur in priscis editionibus *potarentur*, haec notavit: *emenda* PETERENTUR: *nondum migrarat e vita, sed in procinctu erat.* non potest dici quam flagitiose in hoc poeta grassatus sit ignobilis iste literio. neque arbitror ejus interpretationem Scaligero visam fuisse: quum fere quae Volscus peccavit, in Beroaldum rejiciat. Sane cur quisquam bonas horas in libro tam inepto perdere velit, caussae nihil video. Sed tamen quodcumque id taedii est, devorandum erat ei, qui propius nollet desideraret infelices scatebras tot malarum lectionum.

Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si staret navis in Oceano?
Sed vobis facile est verba, & componere fraudes.
Hoc unum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto:
Quam cito feminea non constat foedus in ira,
Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis.
Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor, pueri, promite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam.
Sanguis erit vobis maxima palma meus.
Sic igitur prima moriere aetate, Properti?
Sed morere. interitu gaudeat illa tuo.

Exa-

67. LONGINQUOS RETINERER MILES AD INDOS] Cicero Accus. 5. in Verr. C. 65. *Si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium duecerere, quid aliud clamitares, nisi te civem esse Romanum?* Catullus Carm. 11.

Sive in extremos penetrabit Indos.

Horatius L. 1. Epist. 6.

quid censes munera terrae,
Quid maris, extremos Arabas ditantis & Indos?

68. AUT MEA SI STARET NAVIS IN OCEANO] si haereret, inquit Passeratius, impedita brevibus, & arenae cumulis vadisque in medio ac magno mari. eum sequitur interpres nuperus, omnium interpretum, quotquot umquam fuerunt, egentissimus. sed ignoscamus Passeratio, qui puto mare numquam viderat. Locutio est proverbialis de itinere valde longinquo. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 20. *Qui ex foedere ipso navem vel usque ad Oceanum, si imperassemus, sumtu periculoque suo armatam atque ornatam mittere debuerunt.* Catullus Carm. 111.

Prata, arva, ingentes silvas, saltusque, paludesque,
Usque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.

Horatius L. 4. Od. 14.

Te fontium qui celat origines
Nilusque, & Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis.

noster hujus libri Eleg. 13.

Semper in Oceanum mittis me quaerere gemmas,
Et jubes ex ipsa tollere dona Tyro.

τὸ *staret* hic valet *esset*, ut saepe alias: minime vero *haereret*. Virgilius VI. Aen. 697. *Stant sale Tyrrheno classes.*

76. TELA PRECOR, PUERI, FIGITE ACUTA MAGIS] *promite* est in omnibus membranis, quomodo in suis quoque Scaliger, Livinejus, & Gebhardus invenerant. recte. Ovidius L. 3. Art. Amat.

Sic ubi praelusit, rudibus puer ille relictis
Spicula de pharetra promit acuta sua.

Horatius L. 3. Od. 20.

Interim dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos.

istud *figite* primum comparuit in exemplaribus Aldinis. unde non vane arbitror commentum esse Hieronymi Avantii, qui in ea officina multos scriptores bonos malo mangonio interpolavit.

77. HANC MIHI SOLVITE VITAM] ita & Valerius Flaccus loquitur L. 3. ℣. 180.

en frigidus orbes
Purpureos jam somnus obit: jam candor, & anni
Deficiunt; vitaque fugit decus omne soluta.

Exagitet nostros manes, sectetur & umbras,
 Insultetque rogis, calcet & ossa mea.
Quid? non Antigonae tumulo Boeotius Haemon
 Conruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miserae commiscuit ossa puellae,
 Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies. mecum moriaris oportet.
 Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.

Quam-

83. Antigones tumulo] *Antigonae* habent sex libri, Latina flexione. & ita fere solent poëtae in nominibus Graecis. Horatius Epod. 17.

Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyxei,
Volente Circa, membra.

ita ibi optimus ille codex, quem saepe laudavi, Gravianus: & ita jam olim M. Val. Probus in Catholicis. hodie inepte legitur *Circe*. Plautus Epid. Act. 4. Sc. 2

Abi modo intro; atque hanc asserva Circam,
 Solis filiam.

& Pseud. Act. 1. Sc. 2.

te, quasi Dircam olim (ut memorant) duo
Gnati Jovis devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium.

& Stich. Act. 1. Sc. 1.

Credo ego miseram fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo; quae tam diu vidua
Viro suo caruit.

porro in historia Haemonis & Antigonae non bene inter se convenit scriptoribus antiquis. tu Barthium vide Animadv. ad L. 4. Theb. Statii ℣. 88. simile fere exemplum femineae fortitudinis habet Plutarchus lib. de Virtutibus Mulierum C. 23.

85. Et sua cum miserae permiscuit ossa puellae] in uno Colbertino est *commiscuit*. quae sane adliteratio minime insuavis est apud aures purgatas: quamquam & vulgata ferri potest. sed sive *commiscuit*, sive *permiscuit* leges, magni amoris indicium est ista ossium mixtura. sic infelix pater, qui filiae desiderio contabuerat, in marmore antiquo apud Boissardum:

OSSA. MEA. IN. ARAM. MIXTA. CUM FILIAE. UNA. REQUIESCUNT
HOC. SOLATIUM. MECUM. ERIT

Pedo Albinovanus:

Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.

Suetonius Domit. C. 17. *Phyllix nutrix in suburbano suo Latina via funeravit, sed reliquias templo Flaviae gentis clam intulit, cineribusque Juliae, Titi filiae, quam & ipsa educaverat, commiscuit.* qui locus commode firmat scripturam libri Colbertini. Cicero orat. post reditum ad Quirit. C. 3. de Quinto fratre: *Tante in me amore exstitit; ut negaret fas esse non modo domicilio, sed ne sepulcro quidem se a me esse sejunctum.*

85. Puellae] talis fere constructio est apud Ciceronem, Orat. in L. Pison. C. 18. *An ego, si te & Gabinium cruci suffixos viderem, majore afficerer laetitia ex corporis vestri laceratione, quam afficior ex famae?* Philipp. II. C. 4. *nam ceteris quidem vitae partibus quis est, qui possit sine Trebonii maxima contumelia conferre vitam Trebonii cum Dolabellae?*

88. Hoc eodem telo stillet uterque cruor.] omnes membranae, *Hoc eodem ferro.* quod quamvis idem dicat, fuit tamen indicandum. & sane *ferri* voce, quam *teli*, libentius utuntur scriptores Romani. Cicero Orat. post reditum in senatu C. 14. *Nolui, cum consul communem salutem sine ferro defendissem, meam privatus armis defendere.* pro domo sua C. 3. *ne cum improbis boni ferro dimicarent.* C. 5. *Quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est:* &c. C. 23. *quid frater meus? —— —— quoties ex vestro ferro ac manibus est elapsus?* pro Plancio C. 37. *si tum illorum impiorum ferro ac manu concidissem.* ibidem C. 41. p. 621. pro Sextio C. 1. p. 3. C. 39. p. 118. 119. 121. ohe, jam satis est. Tacitus L. 15. Annal. C. 31. *ne quam imaginem servitii Tiridates*

ter-

Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura;
  Mors inhonesta quidem; tu moriere tamen.
Sidera sunt testes, & matutina pruina,
  Et furtim misero janua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius umquam.
  Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi.

Nec

perferret, neu ferrum traderet. Suetonius Domit C. 17. *modo ferrum extorquere, modo quamquam laniatis digitis oculos effodere conatum.* Valerius Flaccus III. 144.

Has precor exuvias & prima cadavera, Nestor,
Linquite, ait: ferro potius mihi dextera, ferro
Navet opus.

Statius L. 9. Theb. ℣. 799.

ferrum mea semper & arcus
Mater habet: vestri feriunt cava tympana patres.

Statius L. 11. Theb.

non improba posco
Vota: piabo manus, & eodem pectora ferro
Rescindam.

verba sunt Eteoclis, expiaturi, si detur, necem fratris Polynicis sua ipsius morte. *ferro* quoque exhibent primitus culi. quocirca *telo* pro glossa videri potest ex margine irrepsisse. neque tamen defendi non potest, etiam principum scriptorum exemplis. Cicero pro Millon. C. 4. *Ipsi persapienter, & quodammodo tacite, dat ipsa lex potestatem defendendi; quae non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi caussa vetat: ut, cum caussa, non telum quaereretur; qui sui defendendi caussa telo esset usus, non hominis occidendi caussa habuisse telum judicaretur.* pro P. Oppio, apud Fabium L. 5. C. 10. *Utrum cum Cottam appetisset, aut cum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est?*

91. SIDERA SUNT TESTES] pari figura Juvenalis *saxa* vocat *custodes*. Sat. 10.

patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, titulique cupido
Haesuri saxis cinerum custodibus.

minus bene Passeratius huc advocavit alium Juvenalis locum ex Sat. 8.

Nocte quidem: sed luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos.

nam ibi *testes* referri debet ad *oculos*, non ad *sidera*. quo ferme modo loquitur Valerii Flacci Medea L. 8. ℣. 50.

Dii nostris vocibus adsunt,
Sidera & haec te meque vident.

& lepidissimus Catullus Carm. 7.

Aut quam sidera multa, quum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores.

multo etiam minus bene Passeratium istic exscripsit Isaacus Grangaeus, admodum impar poetae suo interpres. laudat hunc nostri locum Servius ad Eclog. 5. ℣. 21. *quod autem ait*, coryli testes & flumina, *usurpatum est. nam* testes flumina *non dicimus. quoniam quae in* Is *exeunt, neutrum in* E *mittunt: ut agilis agile. Sed nec* hoc teste, *nec* haec testia *possumus dicere. Unde per diffinitionem debemus dicere, Testes mihi sunt; quae res? coryli & flumina. Sic Horatius:* Testis Metaurum flumen. *Propertius* 2. *Eleg.* 9. Testes sunt sidera nobis.] haec ille. ubi duo animadvertenda. neque Servius, neque Grammaticorum veterum ullus, solitus fuit tam minutatim indicare unde sumserit sua testimonia. sed nec minora poëmatia, odae puta, elegiae, silvae, ullis numerorum notis distinguebantur, ita quidem uti hodie fit. utrumque norunt ii, quibus familiariter tritae membranae antiquae. unde apparet notitiam loci Propertiani inrepsisse ex margine. certe editiones Servii, quae aetate excedunt Fabricianam, atque ipsa etiam Fabriciana, non agnoscunt. deinde restituendum in Servio, ordine retrogado, *Sidera sunt testes.* Haec vel ideo erant monenda, ut ne quis temere doctissimi grammatici testimonio fretus, retinendam esse in elegiis vulgatorum librorum sectionem contendat.

91. ET MATUTINA PRUINA] quae mane cadit. utitur hoc epitheto Ovid. L. 3. Metam.

n 2

95 Nec domina ulla meo ponet veſtigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet eſſe tuo.
Atque utinam, ſi forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.

ut intabeſcere flavae
Igne levi cerae, matutinaeque pruinae
Sole tepente ſolent.

& Jo. Jovianus Pontanus, inter primos ſuperiorum temporum poëta, Meteor:

Nec vero aut tenebrae, aut nocturna ſilentia, cum jam
Frigore concreſcunt terrae, & vis humida regnat,
Sunt tantum metuenda, aut matutina pruina.

ac deinde:

Unde cadunt imbres, & matutina pruina.

utitur & Daniel Heinſius, Vir laudatiſſimus, in opere divino de contemtu mortis L. 4:

Jamque tibi pecudum vigiles ante omnia cingunt
Paſtores tuguri exiguum, & penetrabile culmen
Immiti Boreae, matutinaeque pruinae.

95. NEC DOMINA ULLA MEO PONET VESTIGIA LECTO] *veſtigii* vox proprie ad lectum pertinet, & ad contubernium amoris. male Paſſeratius per *pedem figere* interpretatur. Livius L. 1. C. 58, ubi Lucretiae hiſtoria: *quaerenti viro, Satin ſalvae? minime, inquit. quid enim ſalvi mulieri amiſſa pudicitia? Veſtigia viri alieni, Collatine, in lecto ſunt tuo.* Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 8.

Ille viri toto videat veſtigia lecto.

Cicero Accuſat. 1. in Verr. C. 24. *ecquo in oppido pedem poſuit; ubi non plura ſtuprorum flagitiorumque ſuorum, quam adventus ſui veſtigia reliquerit?* Accuſ. 3. C. 34. *Quid facerent miſeri? aut quid recuſarent? praeſertim cum in lectulo decumanae mulieris veſtigia viderent recentia, quibus illum inflammari ad perſeverandum intelligebant.* Plinius Caecilius L. 6. Epiſt. 7. ad Calpurniam uxorem: *Scribis te abſentia mea non mediocriter adfici: unumque habere ſolatium, quod pro me libellos meos teneas, ſaepe etiam in veſtigio meo colloces.* Petronius: *Ego, ne ſuſpicioni relinquerem locum, lectulum veſtimentis implevi, uniuſque hominis veſtigium ad corporis mei menſuram figuravi.* noſter infra Eleg. 21.

Apparent non ulla toro veſtigia preſſo.

Tibullus L. 1. Eleg. 10.

Semper ſint externa tuo veſtigia lecto.

96. NON LICET ESSE TUUM.] optima & certiſſima eſt reſtitutio Nic. Heinſii Not. ad Heroid. Epiſt. 14. ℣. 64, *non licet eſſe tuo.* quem omnino videre debes, uti & iſtuc Addenda. Cicero L. 1. Tuſc. Quaeſt. C. 15. *Licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondae; licuit, ne & vetera, & externa quaeram, mihi.* Quintilianus L. 4. Inſtit. C. 4. *Recuſatio quoque plures interim propoſitiones habet: ut contra petitionem pecuniae, Male petis: procuratori enim tibi eſſe non licuit,* ſic & L. 3. Eleg. 16. ipſe Scaliger correxit, ex veſtigiis priſcae ſcripturae,

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Caeſaris eſſe focos?

97. EDUXIMUS ANNOS] Valerius Flaccus II. 371. *nimboſque educere luxu, Nec jam velle vias.*

98. ILLE VIR IN MEDIO FIAT AMORE LAPIS.] ſi quis in ipſa Venere obdureſceret in ſaxum, id addendum foret Mutationibus Ovidianis. ceterum multos ita in mortem obriguiſſe, nullis evidentibus cauſſis, a multis proditum eſt. v. Janus Nicius Erythraeus Dialog. T. 2. p. 15. Plinius L. 7. C. 53. *Cornelius Gallus Praetorius, & Q. Haterius eques Rom. in Venere obiere.* utriuſque etiam Valerius Maximus meminit L. 9. C. 12. & ſua aetate, Barcinone in Hiſpania, Beltrandum cognomento Ferrerium in Venere exſpiraſſe, auctor eſt Jovian. Pontanus L. 1. de Obed. C. 10. nec non Joannem Manardum, inſignem medicum, in Elogiis ſuis Paullus Jovius. de quo hoc eſt diſtichon Jo. Latomi:

In fovea qui te periturum dixit haruſpex,
Non eſt mentitus: conjugis illa fuit.

talem & Menelaum quemdam memorat Jo. Secundus noſter: alios alii. eſt & in recente memoria Comitis Boccabellae mors, quae narratur in Hiſtoria commorationis Romanae Chriſtinae Reginae p. 120. ſi quidem haec

Historia est, ac non potius commentum Milesium. sed ante omnia ejus mortis exempla notabile est, quod de Giacheti Genevae exitu refert Bapt. Fulgosius L. 9. Exempl. C. 12. is enim pariter cum ea ipsa puella, quam comprimebat, spiritum efflavit. v. Jo. Caspareus T. 1. Delic. Ital. p. 715. quam rem si credidisset posse fieri amorum magister, non fuisset contentus simplici voto, L. 2. Am. Eleg. 10. melius ac sanius eo Valerius, loco laudato: *quamquam quorsum attinet eorum cavillari fata, quos non libido sua, sed fragilitatis humanae ratio abstulit? Fine namque vitae nostrae variis & occultis caussis exposito, interdum quaedam immerentia supremi fati titulum occupant: cum magis in tempus mortis incidant, quam ipsam mortem accersant.*

98. IN MEDIO AMORE] Guyetus, *in medio agone.* pessime. Nas. Epist. Sapphus: *omnique ex parte placebam; Sed tum praecipue, cum sit amoris opus.* Martialis VI. 93.

Tam male Thais olet, quam nec fullonis avari
Testa vetus, media sed modo fracta via.
Non ab amore recens hircus, non ora leonis.

sic & idiomata hodierna. nostras van Merwede:

't Fransch nieren-gift moet al hun min bederven.

VIII.

NOn ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani, media non sine matre, duces:
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.
Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Aemonio jam dare tempus equo.

Jam

2. MEDIA NON SINE MATRE] elegante prudentia Lucanus L. 1.

pignora juncti
Sanguinis, & diro ferales omine taedas,
Abstulit ad manes Parcarum Julia saeva
Intercepta manu. quod si tibi fata dedissent
Majores in luce moras, tu sola furentem
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem,
Armatasque manus excusso jungere ferro,
Ut generos soceris mediae junxere Sabinae.

ad rem, de qua noster, Polynices Papinianus L. 11. Thebaid.

fratrem suprema in bella, (quid horres?
Decretum est fixumque) voco. desiste morari:
Nec poteris. non si atra parens, miseraeque sorores
In media arma cadant: non si ipse ad bella ruenti
Obstet, & exstinctos galeae pater ingerat orbes,
Deficiam.

& mox, jam caeso mutuis vulneribus fratre utroque, pater Oedipus:

Hei mihi, quos nexus fratrum, quae vulnera tracto?
Solvite quaeso manus, infestaque vincula tandem
Dividite, & medium nunc saltem admittite patrem.

4. MORTEM EGO NON FUGIAM MORTE SUBIRE TUA.] pariter Statius L. 11. Theb.

cum vero Acherontis operti
Diva ter admota tetigit thoraca flagello;
Ardet inops animi, nec tam considere regno,
Quam scelus, & caedem, & perfossi in sanguine fratris
Exspirare cupit:

5. SED TEMPUS] vulgatae, *Jam tempus:* nimirum ut commode inciperet nova elegia: quod merito correxit Scaliger: cui favent omnes membranae. male hic Scaligerum carpit Passeratius, tantum ut morem gerat libidini suae obloquendi, ipse nihil adferens

Jam libet & fortes memorare ad praelia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.

Quod

rens vel novi vel boni. *Sed tempus* jam olim habuerunt primae editiones: quinimo & ipse Volscus. primus opinor corrupit Beroaldus.

6. Et campum Aemonio jam dare tempus equo.] Beroaldus & Volscus putant adludi ad equos Thessalos, qui laudatissimi fuerunt; vel ad equos Achillis, quos laudat Homerus; vel ad bellum Philippense, quod Augustus gessit in Thessalia adversus Brutum & Cassium. Passeratius nihil dicit. itaque graculus ille Parisinus, qui nobis nuper Propertium concacavit, coactus fuit Beroaldum exscribere. quid enim faceret aliud? sed pro sui ingenii felicitate, consilium nobis poëtae retegit, de quo ne ipse quidem poëta cogitaverat: nimirum statuisse scribere illud ipsum civile bellum contra Cassium & Brutum. oportet hunc hominem longo tempore capillum promisisse; adeo perite ac docte hariolatur. Ego, pro stupore coeli patrii, in alia ibo, & ipse quoque divinare occipiam. puto igitur poëtam dicere; fixum sibi esse, grave epos condere, ad exemplum Iliados Homericae, in qua primas partes sustinet Achilles Thessalus, acerrimus bellator, & dominus equorum longe omnium praestantissimorum. Hoc adeo mihi in mentem venit, quod viderem veteres illos quum laudare vellent principum poëtarum immortales labores, id fecisse designata parte aliqua operis praecipua. Juvenalis Sat. 7.

neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere sana
Paupertas, atque aeris inops, quo nocte dieque
Corpus eget. Satur est, cum dicit Horatius, Evoë.

vides, puto, istic adludi odam illam admirabilem, quae est nona decima libri secundi, *Baccham in remotis carmina rupibus Vidi docentem.* pergit poëta Aquinas:

Magnae mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitae, currus, & equos, faciesque Deorum
Adspicere, & qualis Rutulum confundat Erynnis.

neque hic dubitas respici ad locum plane divinum medio libro Aeneidos septimo. ut alios omittam. sequitur paullo post:

Consedere Duces: surgit tu pallidus Ajax.

agnoscis Nasonem initio L. 13. Metam. ubi duo illa celeberrima eloquentiae poëticae specimina, quae tantopere admiratus est uti quisque fuit eruditissimus. adde huc initium libri de Senectute Ciceronis. neque enim opus est longioribus logis. haec de consilio condendi carminis epici: nunc de materia paucis dispiciamus. Ain' vero belli Philippensis exsecrabilem furorem scribere voluisse Propertium? anne ut invidiam Augusto conflaret apud populum Rom. memorem adhuc oppressae libertatis, exhaustaeque cladibus ac dilectibus Italiae? non ea meus Horatio L. 1. Od. 2.

Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.

& Od. 35.

Eheu, cicatricum, & sceleris pudet,
Fratrumque. quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactam nefasti
Liquimus:

& L. 2. Od. 1.

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia praelia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges, aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?

& Epod. 7.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis, atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non, ut superbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via:
Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
Urbs haec periret dextera.

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit. in magnis & voluisse, sat est.

Aetas

audi & poëtarum omnium judiciosissimum, & suorum temporum prudentissimum, Maronem fine L. 1. Geor. ut detesteiur illam civilium furiarum immanitatem:

Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi:
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam, & latos Haemi pinguescere campos.

tum paullo post:

Dii patrii Indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim, & Romana palatia servas,
Hunc saltem everso juvenem succurrere saeclo
Ne prohibete. satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteae luimus perjuria Trojae.

ecce, quam tu laetabilem materiam excogitasti demerendae Augusti Caesaris gratiae! quid igitur? non vides ipsum Propertium dicere, velle se scribere res contra Parthos gerendas, contra Indos, contraque Arabas? nam haec omnia moliebatur Augustus. Parthi quidem Armeniam vindicanti ultro cesserunt; & signa militaria, M. Crasso & M. Antonio ademta, poscenti reddiderunt. Indi vero, ac Scythae, incogitati belli gratiam sibi fieri per legatos supplices rogaverunt. Arabicam expeditionem suscepit Aelius Largus Aegypti praefectus, Augusto Caesare X. C. Norbano Coss. auctores Dio, Livius, Strabo, Suetonius, Florus, Orosius. visne & nostrum? Lege hujus libri elegiam 11. & L. 3. Eleg. 3. deinde & 10. ac L. 4. Eleg. 3. Virgilius L. 7. Aen.

cum prima movent in praelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.

Horat. L. 2. Od. 9:

nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris, & rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis, minores volvere vortices:
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

videtur autem haec Elegia scripta paullo post A. U. CIƆCCLII. quo tempore Ovidius Artem suam condebat, ostendente id libro primo,

Ecce parat Caesar domito quod defuit orbi
Addere: nunc Oriens ultime noster eris.
Parthe dabis poenas: Crassi gaudete sepulti,
Signaque barbaricas non bene passa manus.

noster vero non obscure loquitur de signis receptis. ne te pigeat eminentissimum Norisium evolvere Cenot. Pisan. Dissert. 2. cap. 9. quo viro non facile alium doctiorem hodie videt orbis hic Europaeus, ringentibus minorum gentium magistris.

7. JAM LIBET ET FORTES MEMORARE AD PRAELIA TURMAS] peculiari elegantia gaudet praepositio *ad* apud nostrum poëtam, observante pridem Gul. Cantero L. 3. Nov. Lect. C. 20. cujus industriae haec adjicere potes. L. 2. El. 2.

Mox venit adsueto mollis ad arva jugo.

L. 4. El. 2.

Pastorem ad baculum possum curare.

ibid. El. 1.

Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput.

L. 3. El. 15.

Dea magna Cybele
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.

L. 4. El. 5.

Janitor ad dantes vigilet.

ibid. El. 10.

Et numquam ad notas irrita tela feras.

L. 2. El. 13.

Numquam venales essent ad munus amicae.

L. 2. El. 19.

Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad Hydras.

L. 2. El. 17.

Numquam ad formosas, invide, caecus ero.

- - - El. 24.

Tristis ad Archemori funera victor equus.

L. 2. El. 24.

Jactu

Aetas prima canat veneres, extrema tumultus.
  Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
  Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili jam carmine. sumite vires
  Pierides. magni nunc erat oris opus.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
  Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.

India

Jactu certus ad ossa Deus.

& plura, quae inter legendum facile observantur, collatione neque injucunda, neque inutili. sed nec soli poetae ita locuti. Cicero L. 8. ad Attic. epist. 3. *deferes triumphum. non acciperéne periculosum sit, an accipere invidiosum ad bonos?* L. Septimius L. 3. Ephem. C. 15. *gens bellatrix, & ob id ad finitimos indomita.* Cicero I. c. epist. 4. *cui qui noster honos, quod obsequium, quae etiam ad ceteros contemti cujusdam hominis commendatio defuit?*

10. In magnis et voluisse sat est] Cicero orat. pro P. Sextio C. 53. *Quantum sermonibus vulgi, & suffragiis intelligere potui, prae se populus Romanus ferebat, sibi illum in tribunatu Cn. Domitii animum constantem & egregium; & Q. Ancharii fidem ac fortitudinem, etiamsi nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse.*

13. Nunc volo subducto gravior procedere vultu] *succedere* est in quibusdam libb. uti & *cultu*, perperam utrumque. τὸ *volo* energiam quamdam habet alacritatis & lubentiae. Catullus Carm. 6.

Quare quidquid habes boni, malique,
Dic nobis. volo te ac tuos amores
Ad coelum lepido vocare versu.

& Carm. 32.

Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit.

Plautus Mostell. Act. 1. Sc. 1.

ego ire in Piraeum volo,
In vesperum parare piscatum mihi.

ibidem Act. 1. Sc. 3.

Contempla, amabo, mea Scapha, satin' haec me vestis deceat.
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo Patrono.

Vibius Rufus apud M. Senecam L. 1. Controv. 5. *Volo tibi malam gratiam cum sponso tuo facere. habet amicam.* Cicero L. 15. Epist. 7. Marcello Cos. design. *Maxima sum laetitia affectus, cum audivi te consulem factum esse: eumque honorem tibi Deos fortunare volo, atque a te pro tua parentisque cui dignitate administrari.* Seneca Apocolocynth. *Quid actum sit in coelo ante diem tertium idus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Aviola Coss. anno novo, initio saeculi felicissimi, volo memoriae tradere.* Papinius L. 1. Silv. 5.

paullum arma nocentia, Thebae,
Ponite: dilecto volo lascivire sodali.

15. Anima] melius sit *anime.* nec umquam aliter poetae Latini.

16. Magni nunc erit oris opus] *erat* scriptum est in Groningano. optime. Horatius L. 1. Od. 37.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus sodales.

quod & istic bene restituit Lambinus, & agnoscunt veteres membranae jam plus semel laudatae. Cicero orat. in L. Pison. C. 18. *Atque hoc quidem etiam isti cui dicunt voluptarii Graeci: quos utinam ita audires, ut erant audiendi!* Seneca Hercule Oet. ỳ. 1135.

nunc, pater, caecum chaos
Reddi decebat: hinc & hinc compagibus
Ruptis uterque debuit frangi polus.

plane hic delirat Phil. Silvius T. E. C. P.

17. Equites post terga tueri Parthorum] *equitem* habent octo libri, figura tam poetis quam historicis valde familiari. Tacitus L. 1. Ann. C. 60. *equitem Pedo praefectus finibus Frisiorum ducit.* & L. 3. C. 21. *misse*

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho.
  Et domus intactae te tremit Arabiae.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
  Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Haec ego castra sequar vates: tua castra canendo
  Magnus ero: servent hunc mihi fata diem.
Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
  Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,
  Pauperibus sacris vilia tura damus.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
  Sed modo Permessi flumine lavit Amor.

Scri-

missu patris Apronius Caesianus cum equite & cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit, pellitque in deserta.

19. INDIA &c.] de gemina a Poro indorum rege ad Augustum legatione v. Casaubonus in Sueton. Aug. C. 21. p. 143. b.

22. SENTIET ILLA TUAS POSTMODO CAPTA MANUS] Palmerius reponit ex libro scripto, *post mihi victa manus*, ut τὸ *mihi* redundet. sed is liber scriptus (nam & ego inspexi) habet *post mihi rapta.* non libet quidquam mutare. in nostris duobus est *sentiat:* quod nec ipsum admittendum.

27. INOPES LAUDIS CONSCENDERE CARMEN] quid est *conscendere carmen laudis*? Philippus Silvius, qui nusquam solet oblaerere, interpretatur *arduum & sublimem gloriae versum attingere.* liceat mihi iterum quaerere; quid est *versus gloriae*? Memmianus codex, teste Passeratio, habebat *conscendere culmen.* quod neque ipsum satis intelligo. aut haec sunt egregie corrupta, aut versus est nothus. quod quo facilius credam, facit illud proxime insequens *vilia tura.* sane turis mentio aperte clamat, aliud aliquid, cui responderit, desiderari. in uno libro erat *conscendere currum*; quod nescio si nos ad veritatis cubile deducet, ut scribatur,

Sic nos nunc inopes laudis contendere cursu.

sane *laudis cursus* Ciceronis est, orat. pro M. Coelio C. 30. *iis autem fuit amicitiis majorum natu, quorum imitari industriam continentiamque maxime velit, iis aequalium studiis, ut eumdem, quem optimi ac nobilissimi, petere cursum laudis videretur.*

28. VILIA THURA DAMUS] *tura* habent quidam libri, sine adspiratione. Fl. Charisius L. 1. *Tus a tundendo sine adspiratione dicitur. quamvis Julius Modestus* ἀπὸ τοῦ θύειν *tractum dicat.* scribi quoque sine adspiratione in veteribus libris, ac praesertim Virgilio Carpensi, testantur Pierius & Aldus nepos. & sequitur in illa sua praeclara Virgilii editione Vir laudatissimus Nic. Heinsius. neque optimus ille Horatii codex umquam aliter. contra stant Jo. Jovianus Pontanus L. 2. de Aspirat. Erythraeus Ind. Virgil. in *Thuriferis*, & magnus Vossius in Etymolog. ceterum hunc nostri locum expressit Sidonius Apollinaris praefatione in Panegyricum Anthemio Augusto dictum:

Ergo sacrum dives & pauper lingua litabat,
  Summaque tunc voti victima cantus erat.
Sic nos, o Caesar nostri spes maxima saecli,
  Post magnos proceres parvula thura damus.

& apertius etiam disertissimus Baudius, ad Achil. Harlaeum:

Sicut ante signa divûm, cum nequit tangi caput,
Ponitur pedes ad imos plectilis corollula:
Non secus nos imparati digna sensibus tuis
Nuncupare, vili adimus thure pulvinar tuum.

Scribant de te alii, vel sis ignota licebit:
Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, Cinis hic, docta puella fuit.

32. LAUDET, QUI STERILI] Passeratius, ne occasionem vellicandi Scaligeri ullam praetermittat, defendere conatur vulgatum *Ludet*. tamen si τὸ *Ludet* probum est, non debebat id exponere per suum *nugas de te scribet*; quum significet potius, inanem sumet operam. *Laudet* jam olim ediderat Beroaldus, & agnoscunt alter Regius, alterque Colbertinus. in uno nostro est *Audet*; ab eodem fonte, omissa, ut saepe fit, litera initiali. etiam in Borrichiano *Audet* legitur.

33. TECUM UNO MUNERA LECTO] *secum*, Groninganus, & Vaticanus Livinejo inspectus. quam argutam lectionem non insuper habendam puto. dies ille tuus funebris, o Cynthia, omnem tui memoriam secum auferet, numquam rediturus.

36. NEC DICET, CINIS HIC DOCTA PUELLA FUIT.] fuisse a poëtae manu arbitror,

Nec, Cinis hic, dicet, docta puella fuit.

quales apud Nasonem complures locos restituit illustris Heinsius. comtius id erat, quam ut placeret inficetis librariis.

IX.

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet.

Ante

1. PUERUM QUI PINXIT AMOREM] Joannes Pricaeus in notis ad L. 5. Metam. Apuleji, ita citat hunc versum, errore memoriae Propertio Tibullum commiscens:

Quicunque ille fuit primus qui protulit enses.

5. HIC PRIMUM VIDIT] *is primum*, alter Colbertinus.

10. ET PHARETRA EX HUMERO GNOSIA UTROQUE JACET] *Cnosia*, habet Groninganus. vicinae sunt literae, & mutant vicissim. *sonat* est in Aldina, & quibusdam aliis, pro *jacet*. quod defendi posse non nego. Virgilius L. 9. Aen.

Agnovere Deum proceres divinaque tela
Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem.

Ovidius Remed. Amor.

Phoebus adest: sonuere lyrae, sonuere pharetrae.

sed quum hic Cupido insidiator pingatur, pro-

Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago.
Sed certe pennas perdidit ille suas.
Evolat heu nostro quoniam de pectore nusquam
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei.

Quam

prodendus utique sonante pharetra; satius est τὸ *jacet*, quod agnoscunt omnes libri nobis inspecti. opinor Cupidinem fere ad eum modum fuisse effictum, nisi quod nudus est, quo Dianam illam Segestanam describit Cicero, testis oculatus, Accus. 4. in Verr. C. 34. *Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola: verumtamen inerat in illa magnitudine aetas atque habitus virginalis. sagittae pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem praeferebat.*

15. EVOLAT E NOSTRO QUONIAM DE PECTORE NUSQUAM] quid est *e de pectore?* δὶς τὸ αὐτὸ, respondet Passeratius. nugae. neque enim me movet vel hic, vel ille, longo amorum tractu seclusus a nitore saeculi Augustaei. scriptum fuit *eu*, aut *ei*, id est, *heu*, vel *hei*. alterum Mureto placuit, alterum Lipsio. noli audire Palmerii, nec Gebhardi, rancidas Veneres. hae quidem faetutinae sunt olidorum verborum.

17. MEDULLIS] Seneca Hippol. ỳ. 281. *Non habet latam data plaga frontem, Sed vorat tectas penitus medullas.*

18. SI PUDOR EST, ALIO TRAJICE TELA TUA] piget referre ineptias & librorum, & correctorum. solus ille codex Groninganus sapit: in quo est, ne apice quidem mutato,

Si pudor est, alio trahice tela tua.

pro *tua*, substituit Pierius *puer*, ad L. 10. Aen. ỳ. 870. lectione nec bona, nec necessaria. codici Groningano accedit Borrichianus, in quo

Si pudor est, alio trahice tela tua.

20. NON EGO, SED TENUIS VAPULAT UMBRA MEA.] legendum *umbra mei*, ex oppositione τοῦ *ego*. Propertius non caeditur, sed tantum tenuis umbra Propertii. Livius L. 5. C. 18. *me jam non eumdem, sed umbram nomenque P. Licinii relictum videtis.* apud Nasonem Vesta L. 3. Fastor.

Ipsa virum rapui, simulacraque nuda reliqui.
Quae cecidit ferro, Caesaris umbra fuit.

Seneca Herc. Oet. ỳ. 1345.

Herculem spectas quidem;
Mater; sed umbrae simile nescio quid mei
Agnosce, mater.

& Phoeniss. ỳ. 235.

cur caput tenebris grave
Non mitto ad umbras Ditis aeternas? quid heic
Manes meos detineo? quid terram gravo?
Mistusque superis erro?

Minucius Felix, ipso fine dialogi aurei, *ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris.* & sic etiam ipse Tullius, orat. de Harusp. respons. C. 22. *nisi consules causam conjunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret, tam crudelis mei, tam sceleratus reipublicae vexator esse potuisset?* pro Rabir. Post. C. 15. *Umbram equitis Romani & imaginem videtis, judices, unius amici conservatam auxilio & fide.*

elegantissimum est hoc carmen, & veteris doctrinae plenum, cui multum lucis adfundi potest ex Alexandro, quem Aphrodisiensem vocant, L. 1. Probl. 87. itemque ex eruditissimo grammaticorum Servio ad L. 1. Aen. ỳ. 667. v. auctor Octaviae ỳ. 557. multa tum veterum tum recentiorum loca paris argumenti inter se contendere poteramus: quae res quamquam est ingenuae vo-

lupta-

Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?
Haec mea Musa levis gloria magna tua est,
Quae caput, & digitos, & lumina nigra puellae,
Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

luptatis plena, tamen ne odio simus, non nisi unicum Marulli epigramma ponemus, doctum, venustum, & a bona mente.

Quis puer hic? Veneris. plenae quae caussa pharetrae?
Non bene provisus certa quod arma movet.
Cur sine veste Deus? simplex puer odit opertum.
Unde puer? pueros quod facit ipse senes.
Quis pennas humeris dedit? inconstantia. quare
Nulla deo frons est? signa inimica fugit.
Quae sors eripuit lucem? immoderata libido,
Cur macies? vigilis cura, dolorque facit.
Quis caecum praeit? Ebrietas, Sopor, Otia, Luxus.
Qui comites? Rixae, Bella, Odia, Opprobrium.
Qui coelo dignati? homines. quae caussa coëgit?
Mitior auctore est credita culpa deo.
Heu curvum genus, & veri corda inscia: quo jus
Fasque, scelus miseri si scelere abluimus?

X.

NOn tot Achaemeniis armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Jussit & Ascraeum sic habitare nemus,

1. NON TOT ACHAEMENIIS ARMANTUR SUSA SAGITTIS] hanc palmariam correctionem debemus Antonio Volsco, laude sua nequaquam defraudando, quum scripti codices habeant *Etrusca sagittis.* eam deinde ex libro vetere summi viri Joannis Pici, Mirandulani principis, stabilivit Philippus Beroaldus. & merito Jos. Scaliger comprobavit. Lucanus L. 2.

conjuret in arma
Mundus: Achaemeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massagetas Scythicus non alliget Ister.

Claudianus lib. de bello Gildonico, prope initium:

non ut proculcet Araxen
Consul ovans, nostraeve premant pharetrata secures
Susa, nec ut rubris aquilas figamus arenis.

quae loca firmando huic nostro jam alii adduxerunt. constat sane Medos & Parthos arte sagittandi omnium gentium nobilissimos fuisse. eos noster venustissime componit cum Cupidine, sagittario his etiam ipsis strenuiore. Salmasius Exerc. Plin. p. 371, ex Glossis veteribus, & Festo interpolato, reddit Propertio suam (ut ait) vocem,

Non tot Achaemeniis armantur scrauta sagittis.

ut *scrauta* sint thecae calamorum. portentum vero vocabuli, *scrauta!* deinde, cujus gentis *scrauta* armantur Achaemeniis sagittis? nam, ni fallor, hoc adjectum oportuit. ego ista *scrauta* libens redonavero magistris *scrautariis*; iis videlicet quos Lucilius *scrutarios* appellabat; neque in carmine scribendo umquam usurpavero, donec quidem *pharetrae* vox vel *coryti* in mundo erit.

Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur,
  Aut possim Ismaria ducere valle feras:
Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu.
  Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formae tantum mirator honestae;
  Nec siqua illustres femina jactat avos.
Me juvat in gremio doctae legisse puellae,
  Auribus & puris scripta probasse mea.
Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
  Fabula. nam domina judice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
  Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

Quan-

7. UT NOSTRO STUPEFIAT CYNTHIA VERSU] Nic. Heinsius volebat, *ut nostro tepefiat Cynthia versu.* ante eum Passeratius p. 293. b. B. id quod primo adspectu adridet; nec tamen verum est. Horatius II. Od. 13.

Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras belua centiceps
  Aures, & intorti capillis
    Eumenidum recreantur angues?

Virgilius IV. Georg. 471.

At cantu commotae Erebi de sedibus imis
Umbrae ibant tenues, simulacraque luce carentum.

& deinde ℣. 481.

Quin ipsae stupuere domus, atque intima Lethi
Tartara, caeruleosque implexae crinibus anguis
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.

& VIII. Ecl. 3.

Inmemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantis, quorum stupefactae carmine lynces.

8. NOTIOR ARTE LINO] Palmerius ait se in vetere libro offendisse scriptum *ante Lino*; idque probat; ut *ante Linus* sit antiquus Linus. apage tam fatuas delicias. *arte* est in omnibus membranis. ars Lini erat musica ac poëtica. Virgilius Eclog. 4.

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus.

12. AURIBUS ET PURIS SCRIPTA PROBASSE MEA] in uno nostro est *dicta probasse*, quod & in Comelini membranis Gebhardus invenerat. Ennius:

Quom neque Musarum quisquam scopulos superarat,
Nec dicti studiosus erat.

& *dicere* peculiariter poëtarum est. Horatius L. 1. Od. 12.

Dicam & Alciden, puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem.

Ovidius L. 1. Metam.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Horatius L. 3. Od. 25.

Dicam insigne, recens, adhuc
  Indictum ore alio.

hinc & scripta sua appellat *verba*, L. 2. Sat. 1.

nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem.

L. 2. Epist. 2.

hic ego rerum
Fluctibus in mediis, & tempestatibus urbis,
Verba lyrae motura sonum connectere digner?

14. JUDICE] *vindice* notaverat ad oram sui libri Douza P. vide quae notavi ad 4, 11, 20.

15. QUAE SI FORTE BONAS AD PACEM VERTERIT AURES] Groninganus, *Quod s. f. b. a. p. verteris a.* ut ad Cynthiam dirigatur sermo. neque aliter Regii, & unus Colbertinus. sed praeplacet vulgata.

16. Pos-

Quandocumque igitur nostros nox claudet ocellos,
Accipe quae serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno;
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus: adsint
Plebei parvae funeris exsequiae.
Sat mea sat magna est si tres sint pompa libelli:
Quos ego Persephonae maxima dona feram.

Tu

16. POSSUM INIMICITIAS] Groning. *Possim.* ceterum quae hinc sequuntur satis incommode cohaerent cum superioribus. & videri possunt huc esse tracta ex libro tertio. nam qua ratione de tribus libris loquitur, secundo dimidio nondum confecto? haec elegia e duabus non unius argumenti infeliciter coaluit. nihil certius.

17. NOSTROS MORS CLAUDET OCELLOS] Nic. Heinsius reponendum suadet *nox claudet*, Not. ad L. 3. Metam. ℣. 502. quem locum videre debes. Virgilius L. 12.

Olli dura quies oculos & ferreus urguet
Somnus: in aeternam clauduntur lumina noctem.

noster infra Eleg. 12.

Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Catullus Carm. 5.

Nobis quum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Horatius L. 1. Od. 4.

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulaeque manes.

L. 1. Od. 28.

omnes una manet nox,
Et calcanda semel via leti.

etiam *tenebras* vocabant. Catullus Carm. 3.

At vobis male sit malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis.

quod est ductum ab oculorum sensu in morientibus. Camilla apud Maronem L. 11. Aen.

Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.

sequitur statim apud nostrum,

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

unde liquet probam & veram esse Heinsii correctionem.

18. ACCIPE QUAE SERVES FUNERIS ACTA MEI] dum enumerat ea quae in suis exsequiis fieri non vult, brevi imagine comprehendit pompam funeris Romani. ita & Cicero, orat. pro Milon. de P. Clodio, C. 32. *Nec vero non eadem ira Deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu atque ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur abjectus.*

22. MORS MEA] meum cadaver. Cicero, loco proxime laudato: *Non fuisse credo fas clarissimorum virorum formas illi taeterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem ejus lacerari, quam in quo vita esset damnata.*

24. FUNERIS EXSEQUIAE] *obsequiae* est in Groningano; quod calide arripit Palmerius. ego alium sponsorem requiro. certe ad funebria nihil facere hanc vocem docuit nos Festus: *Prosequium a prosequendo, obsequium ab obsequendo dicuntur.*

25. SAT SIT MAGNA MEI] haec lectio a Beroaldo est. in omnibus libris legitur, *Sat mea sit magna.* unde alii fecerunt, *Sat mea sat magna est.* recte. sic L. 1. Eleg. 17.

Sat tibi sat poenae nox, & iniqua vada.

Beroaldus hic de perfectione mystica numeri ternarii philosophatur. gerrae. mihi certum est, avulsa haec esse & truncata ex li-

Tu vero nudum pectus lacerata sequare,
Nec fueris nomen lassa vocare meum.
Osculaque in gelidis ponas suprema labellis,
Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quae tegat exstincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus, *Qui nunc jacet horrida pulvis,*
Unius hic quondam servus Amoris erat.
Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, memento
Hoc itere ad lapides cana venire meos.

In-

bro tertio. quod vero libellos suos donum parat Proserpinae, id non fiebat nauli loco, sed quia nefas habebatur vacuis manibus ad Junonem infernam venire. Virgilius L. 6. Aen.

Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus
Instituit.

27. PECTUS LACERATA SEQUARE] *sequeris*, sex libri. *sequaris*, unus.

29. OSCULAQUE IN GELIDIS PONES SUPREMA LABELLIS] ex filo sermonis apparet legi debere *ponas*. est autem blandissime dictum, ac dulcissime, *ponere oscula*. quod bono judicio arripuit Papinius L. 2. Thebaid.

oscula moestis
Tempestiva genis posuit, lacrimasque repressit.

30. DABITUR] in ignem injicietur. v. Servius ad VI. Aen. 225. noster 4, 7, 34.

30. PLENUS ONYX] omnes scriptores efferunt τὸ *onyx* genere masculino. solus Martialis feminino extulit L. 7. Epigr. 94.

Unguentum fuerat, quod onyx modò parva gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce, garum est.

& notavit illic literatissimus Scriverius. malebat autem J. F. Gronovius, *quod onyx modo parve gerebas.* de qua correctione non est cur dubitemus.

35. QUI NUNC JACET HORRIDA PULVIS] *horrida* est in omnibus nostris libris, inque iis quos Lipsius, Passeratius, Livinejus, ac Gebhardus inspexerunt. neque aliter editiones principes. & sic quoque Charisius, quem Georgius Fabricius edidit, L. 1. PULVIS *masculini generis est, quamvis Propertius dixerit, Qui nunc jacet horrida pulvis.* veteres passim feminine extulerunt. v. Columna ad Ennium p. 81. a. Nonius in *Pulvis* p. 217. in Putschii editione legitur eo loci *arida pulvis*: quod & in poëta nostro habent excerpta codicis Borrichiani. sed vincat numerus aliter scribentium: nam *arida* videtur factum ex *orrida*, abjecta adspiratione.

36. UNIUS HIC QUONDAM SERVUS AMORIS ERAT] quod hic sibi noster epitaphium ponit, tantopere placuit disertissimo viro Joanni Casae, ut & suo inscribi velit sepulcro, Carm. 10, eorum quae a multiplicato sono in versuum numero certo ac praefinito Italis *Sonetti* appellantur:

Come doglia fin qui fu meco e pianto,
Se non quando diletto Amor mi porse;
E sol fu dolce amando il viver mio;
Così sia sempre; e loda baronne e vanto,
Che scriverassi al mio sepolcro forse,
QUESTI SERVO D'AMOR VISSE E MORIO.

40. MEMENTO HOC ITERE AD LAPIDES CANA VENIRE MEOS] haec est Scali-

geri

Interea cave sis nos aspernata sepultos.
  Non nihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
  Jussisset quaevis de tribus una soror.
Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
  Nestoris est visus post tria saecla cinis.
Quis tam longaevae meminisset fata senectae
  Gallicus Iliacis miles in aggeribus?

Non

geri lectio. membranae habent, *Hoc iter ad lapides cana veni memores.* quod non satis dilucide exponunt, qui sequuntur, Passeratius, & Adr. Behotius L. 3. Apoph. C. 4. antiqui dicebant *itiner itineris*, *iter iteris*, Naevius Lycurgo: *ignotae iteris sumus, tute scis.* L. Attius Oenomao: *Praesto etiam adsum, exprome quid fers: nam te longo itere cerno vadere.* vide Nonium.

46. Nestoris est visus post tria saecla cinis] de aetate Nestoris eleganter disputat Franc. Floridus L. 2. Subsec. Lect. C. 3.

47. Quis tam longaevae meminisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus?

haec est lectio meliorum librorum, quam jure contra Beroaldum, qui primus corrupit, vindicat Scaligeri perspicacia. *Quis* valet *quibus.* quibus debuisset Nestor commemorare aerumnas senectae suae nimium vivacis, dum decrepitus etiamnum militat apud Trojam, si ipsi contigisset feliciter ante Antilochum mori? certe querelam de sera morte potuisset compendii facere. unice huc facit insignis locus poëtae Aquinatis Sat. 10.

Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitae fuit a cornice secundae.
Felix nimirum, qui tot per saecula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos,
Quique novum toties mustum bibit: oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem: nam quaerit ab omni,
Quisquis adest, socio, Cur haec in tempora duret?
Quod facinus dignum tam longo admiserit aevo?

quae postrema pulcre illustrant mentem Propertii. sic apud Senecam Amphitryo, Herc. fur. ℣. 1026.

cernere hoc audes, nimis
Vivax senectus?

scribebant autem veteres *quis*, non, quod nunc fit nullo more, *queis.* (quamvis hoc defendere videatur vir doctissimus Joannes Pierius Valerianus in L. 1. Aen. ℣. 95.) Sosipater Charisius L. 1. instit. gram. *Sed & plurali numero nominativo variaverunt,* qui *proferentes, vel* ques. *unde & dativus duplex in usu novi sermonis est,* quis *enim &* quibus *dicimus, in alio* qui *in alio* ques *declinantes. Nam nominativus pluralis* I *litera terminatus accipit semper* S, *& facit dativum*, coloni colonis. *ita &* qui quis. *Si vero* S *terminetur nominativus,* bus *syllaba terminari debet dativus, ut* duces ducibus, mores moribus, *&* ques quibus. Ques *autem dixisse veteres testimonio est Cato, qui ait Originum secundo,* Quescumque Romae regnavissent: *& Pacuvius,* Ques sunt ii ignoti, nescio ques ignobiles. *quam vocem tametsi novitas abdicavit, declinatio ejusdem tamen manet. Nam* quibus *crebro dicimus.* ex hisce Charisii verbis recte emendabis locum elegantem Naevii poëtae, quem de fabula *Ariolo* servavit nobis Aurelius Macrobius L. 2. Saturn. C. 14. est autem dialogismus duarum personarum.

Ques heri apud te? Praenestini & Lanuvini hospites.
Suopte utrosque decuit acceptos cibo,

Al-

Non ille Antilochi vidisset corpus humati:
Diceret aut, O mors, cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso nonnumquam flebis amico.
Fas est praeteritos semper amare viros.
Testis, qui niveum quondam percussit Adonem
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum jacuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.

Sed

Alteris manem bulbam madidam dari,
Alteris nuces in praebiis profundere.

in primo versu *Quis hers* perperam scribebatur. vide sis Leonardum Malaespinam in L. 10. Cicer, ad Attic. Epist. 9. & Ger. Jo. Vossium L. 4. de Analog. C. 6. nunc pergamus. *Gallicus miles* dicitur Nestor, quia tendebat juxta Phrygiae fluvium Gallum. ita passim apud historicos exercitus ac legiones denominantur a provinciis, in quibus militabant. vide sis Suetonium Vespas. C. 6. Ciceronem XII. ad famil. 32. p. 245. Tacitum Hist. 2, 86, 5. Tacitus L. 1. Hist. C. 76. *Judaicum exercitum Vespasianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere.* & mox C. 77. *Consul* [Otho] *cum Titiano fratre in Kalen. Martias ipse, proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum.* sic bellum Cimbricum, a C. Mario profligatum, Ciceroni *Gallicum* dicitur, eo quod primo in Gallia gerebatur, orat. de Provinc. Consular. C. 8. *Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Crassus, M. Scaurus, aliine inimici? omnes Metelli, At hi non modo illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant, sed & propter rationem Gallici belli, provinciam extra ordinem decernebant.* mirifice hunc nostri locum exposuerunt multi. Behotius quum in iis nullum sensum videret; substitutum ivit, *Bellicus Iliacis*, L. 3. Apophor. C. 4. frustra, & pravo more. aliquid viderat Douza F. nec tamen primus, nec satis explicate.

49. ANTILOCHI VIDISSET CORPUS HUMATI] aliquot libri habent *humari*. Passeratius *amati* conjiciebat. sed nihil est mutandum. *humati* valet hoc loco *humandi*: nam talia participia praeteriti temporis ponuntur pro futuris. Virgilius L. 2. Aen.

subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus, & parvi casus Iuli.

Direpta (inquit Servius) *pro diripienda. participium pro participio.* clarissime Lucanus L. 5.

suprema ruentis
Imperii, caesosque duces, & funera regum;
Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
Cur aperire times? an nondum numina tantum
Decrevere nefas? & adhuc dubitantibus astris
Pompeji damnare caput, tot fata tenentur?

vides hic *caedendos duces* & *gentes collapsuras* impio illo bello civili. Horatius L. 3. Od. 8.

Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.

L. 4. Od. 11.

Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.

52. FAS EST PRAETERITOS SEMPER AMARE VIROS] videlicet in amore confesso. pulcre Medea, atque ut virginem pudicam decebat, apud Valerium Flaccum L. 7. ℣. 203.

Et nunc ille sua non quemquam sorte moveri,
Non ullum ingemuisse putat: cumque omnibus odit
Me quoque. si quando fuerit tamen ulla potestas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus haeserit arvis,
Conponam, sedemque dabo. fas tunc mihi manes
Dilexisse viri, tumuloque has credere curas.

54. VENANTEM IDALIO VERTICE] fuit igitur & mons eo nomine, ut & oppidum, & nemus. vide sis Barthium in L. 5. Thebaid. Statii ℣. 63. tetigit & Beroaldus, sed jejune, & tantummodo tetigit.

55. ILLIS FORMOSUM LAVISSE PALUDIBUS]

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes.
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui.

BUS] *jacuisse* est in omnibus nostris scriptis. in tribus Lipsio visis: in tribus itidem Gebhardo: in duabus editionibus primis. *lavisse*, defendunt Lipsius L. 1. Ant. Lect. C. 20. & Scaliger h. l. & sic in suo invenisse testatur Passeratius. audio: sed ita, ut ex *flavisse*, quod *flevisse* fuerat, corruptum arbitrer. sic L. 3. Eleg. 2, *praetoria classica flere* habebimus; pro quo reponendum *flare*, istic docebitur. provocant ad morem antiquum lavandi. sed an satis decore Adonis lavatur aqua coenosa, & ulva palustri? id in suo Ibide pro dirissimo omine habet Naso:

Protinus Eumenides lavere palustribus ulvis.

quid, quod apud Bionem Adonis in lecto jacens auro ac purpura strato lavatur ab Amoribus, qui aquam ferunt aureis lebetibus? pro fletu Veneris stant omnes poëtae. venustissime Ovidius, ut in facto recenti, L. 10. Metam.

utque aethere vidit ab alto
Exanimem, inque suo jactantem sanguine corpus;
Desiluit, pariterque sinus pariterque capillos
Rupit, & indignis percussit pectora palmis.
Questaque cum Fatis, At non tamen omnia vestri
Juris erunt, inquit. luctus monumenta manebunt
Semper, Adoni, mei: repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.

tamen non est mihi animus deserere lectionem, in qua conspirant tot codices antiqui, facilem praeterea ac planam, atque ex ipsa re enatam.

58. QUID POTERUNT OSSA MINUTA LOQUI?] Palatinus Gebhardi, *qui poterunt?* non male. Cicero L. 1. Tuscul. Quaest. C. 16. *inde in vicinia nostra Averni lacus,*

Unde animae excitantur obscura umbra, aperto ostio
Alti Acherontis, falso sanguine, imagines mortuorum.

has tamen imagines loqui volunt: quod fieri nec sine lingua, nec sine faucium laterumve & pulmonum vi, & figura potest. Vulgi sententiam sequitur Lucius Septimius L. 6. C. 14. ubi Ulyxes narrat conjectatoribus, *Visum sibi saepius simulacrum quoddam, inter humanum divinumque vultum formae perlaudabilis, ex eodem loco repente edi: quod complecti summo desiderio cupienti sibi, porrigentique manus, responsum ab eo humana voce, Sceleratam hujusmodi conjunctionem, quippe ejusdem sanguinis atque originis: namque ex eo alterum alterius opera interiturum.* non erat haec quidem umbra hominis defuncti: sed tamen parum prudenter ad machinam tam puerilem confugere videtur Septimius.



XI.

XI.

NOn ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Quum caderent magnae Laomedontis opes:
Nec sic errore exacto laetatus Ulyxes,
Quum tetigit carae litora Dulichiae:
Nec sic Electre, salvum quum aspexit Oresten,
Cujus falsa tenens fleverat ossa soror:
Nec sic incolumen Minois Thesea vidit,
Daedaleum lino quum duce rexit iter:
Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.

1. GAVISUS ATRIDA TRIUMPHO EST] *τὸ est* non comparet in Regiis, neque in Colbertinis. in nostris hoc modo exprimitur, *triũpho ē:* Nicol. Heinsius legebat, *gavisus, Atrida triumpho es*, ut sit vocativus, exemplo Horatii L. 2. Sat. 3.

Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?

Not. in L. 8. Metam. Ovidii ℣. 550. ego vero nullam video rationem mutandi: nam veteres illa nomina quae Graeci in AS vel in ES efferunt, per A solebant efferre. in quibus hoc ipsum *Atrida* memorat Servius in L. 3. Aen. ℣. 475. *sane apud Latinos horum nominum caussa manifesta est: nam nominativus ipse in A mutatur, & recipit Latinam declinationem: ut, Atrides Atrida, Scythes Scytha.* Quintiliani & Prisciani loca, egregie huc facientia, potes videre apud summum in his literis virum Ger. Jo. Vossium L. 2. de Analog. C. 2. qui & hic *Atrida* pro recto casu agnoscit.

2. LAOMEDONTIS] nostri *Laumedontis*, more prisco. vide notam Jo. Fred. Gronovii in L. 21. Plinii C. 5. item Jo. Georg. Graevii in Ciceron. L. 12. ad famil. Epist. 13. ita etiam habet Veneta antiqua.

4. QUUM TETIGIT CARAE LITORA DULICHIAE] imo Ithacae. vide Homerum L. 13. Odyss. sed noster res Ithacae cum rebus Dulichiae fere confundit. sic supra habuimus, Eleg. 2.

Aut quum Dulichias Pallas spatiatur ad aras.

L. 3. Eleg. 3.

Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.

confudit & Virgilius Eclog. 6.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates.

tamen Homerus Dulichiae atque Echinadum insularum navibus quadriginta praefuisse Megen Phylei filium, Ulyxen vero duxisse alias duodecim ex Ithaca, Nerito, Zacyntho, Samo, tradit L. 2. Iliad.

5. NEC SIC ELECTRA, SALVUM QUUM ASPEXIT ORESTEM] ita noster secundus, & uterque Colbertinus. Groninganus, & Vaticanus Livineji, cum Borrichiano, *Non Electra suum salvum cum vidit Orestem.* illud *suum* infarserunt, qui versui metuebant. sed scribendum est *Electre.*

Nec mihi jam fastus opponere quaerit iniquos,
  Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
  Conditio. cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis.
  Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis. contendite amantes.
  Sic hodie veniet, siqua negavit heri.
Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant.
  Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi devictis potior victoria Parthis.
  Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
  Taleque sub nostro munere carmen erit:

Has

14. NEC MIHI PLORANTI LENTA SEDERE POTEST] *lenta* est, quae ad lacrimas amantis tarde movetur; aut non moveri simulat. apposite Tibullus L. 1. Eleg. 1t.

At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
Inter & iratum lentus utrumque sedet.

Seneca Troad. ℣. 253.

spiritus quondam truces
Minasque tumidi lentus Aeacidae tuli.

Suetonius Neron. C. 40. *Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipso quo matrem occiderat, adeoque lente ac secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem praeberet.* Cicero L. 2. ad Attic. Epist. t3. *Credas mihi velim; neminem adhuc offendi, qui haec tam lente, quam ego fero, ferret.* elegans est hujus voculae usus. quem compluribus exemplis ostendit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Epist. Sapphus ℣. 169. & ad Herus, ℣. 81.

16. EMERITIS NUNC MEDICINA DATUR] *cineri*, quod olim legebatur, ejecit Scaliger tamquam commentum Beroaldi, reposito *emeritis*; antiqua, ut ait, lectione. atqui *cineri* exhibent octo codices scripti: tantum abest ut id Beroaldus fuerit commentus. *cineri* etiam legitur in editionibus primis. vetus poëta, non Virgilius, sed tamen vetus & bene elegans beneque Latinus, in Copa:

Quid cineri ingrato servas beneolentia serta?

cineri medicinam dare, proverbium est de opera, bene expositum Passeratio. ad eamdem formam dicebant *mortuo verba facere, mortuo mederi.* hoc autem loco *cinerem* se vocat, quo modo *umbram* dixerat supra Eleg. 9.

Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei.

Scaligeri lectio ingeniosa est: sed non ideo antiqua & vera sedibus suis ejicienda erat. neque etiam *emeritis* omnino inutilis medicina, quum possint denuo evocari.

19. CONTENDITE AMANTES] enitimini, & durate: sic hodie dabitur, quod heri negabatur. Ovidius L. 1. Art. Amat.

Prima tuae menti veniat fiducia, cunctas
Posse capi; capies. tu modo tende plagas.

alii legunt *contemnite:* quod minus placet. sic versa vice *contendas*, pro *contemnas*, in libro vetere habuimus supra L. 1. Eleg. 7. ℣. 25.

20. SIC &c.] v. Huetius iride, ℣. 77. p. 8.

25. MAGNA EGO DONA TUA FIGAM, CYTHEREA, COLUMNA] noster prior cum Borrichiano habet *tuae columnae.* Virgilius L. 3. Aen.

Aere cavo clipeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo.

26. TALEQUE SUB NOSTRO MUNERE CARMEN ERIT] libri plures habent *nomine*: sed perperam. exprimit enim nomen suum in ipso carmine *muneri* subscribendo. monuit & Scaliger curis secundis.

Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius aedem
Exuvias, tota nocte receptus amans.
Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore navis
Servata, an mediis sidat onusta vadis,
(Quod, si forte aliqua nobis mutabere culpa)
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum.

27. HAS PONO ANTE TUAM TIBI, DIVA, PROPERTIUS AEDEM] *Haec* legebat Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Epist. Sapphus. recte. nam τὸ *exuvias*, quod sequitur, per appositionem jungitur. & *haec* pertinet ad *dona*, quod praecedit. *tuas aedes* habent omnes libri, etiam Gebhardo inspecti. *tuam aedem* nunc vulgo editur, nec male. Ovid. L. 1. Amor. Eleg. 11.

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in aede morer.

non tamen ut putes perpetuum: nam & *aedem* & *aedes* de locis sacris usurparunt antiqui. Apulejus Metam. L. 6. Cererem ita inducit loquentem ad supplicem Psychen: *decede itaque istis aedibus protinus: &, quod a me retenta custoditaque non fueris, optimi consule.* est autem *ponere* proprium dedicationis verbum ac consecrationis. Ovidius Epist. Sapphus:

Inde chelyn Phoebo communia munera ponam:
Et sub ea versus unus & alter erunt.
GRATA LYRAM POSUI TIBI, PHOEBE, POËTRIA SAPPHO:
CONVENIT ILLA MIHI, CONVENIT ILLA TIBI.

Corn. Nepos Pausan. C. 1. *primum in eo est reprehensus, quod ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat haec sententia:* SUO DUCTU BARBAROS APUD PLATAEEAS ESSE DELETOS, EJUSQUE VICTORIAE ERGO APOLLINI DONUM DEDISSE. Cicero Accus. 4. in Verr. C. 28. *Candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, reges hi, quos dico, Romam cum attulissent, ut in Capitolio ponerent: quod nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt, neque vulgo ostendere ac proferre voluerunt: ut & magnificentius videretur, cum suo tempore in cella Jovis Opt. Max. poneretur, & clarius, cum pulcritudo ejus recens ad oculos hominum atque integra perveniret.* ibidem C. 36. *adsunt Segestani, clientes tui, socii populi Romani atque amici: certiorem te faciunt, P. Africanum, Karthagine deleta, simulacrum Dianae majoribus suis restituisse: idque apud Segestanos ejus imperatoris nomine positum ac dedicatum fuisse.* atque ita frequenter in vetustis inscriptionibus.

28. EXUVIAS] dubitat Passeratius, quas *exuvias* poëta intelligat, an vestes suas? &c, Livinejo pejus successit; qui, *vestes appellat,* inquit, *quibus intectus esset, & cum Cynthia nequam fecisset, ut naufragi vestimenta sua, quibus naufragium evaserunt, Neptuno suspenderunt.* nollem dictum. tu ita habe: praeponit Propertius victoriam suam triumpho Augusti de Parthis ducendo; inde *spolia* memorat, & *reges*, & *currum*. triumphantes autem quum solerent dedicare *exuvias* hostiles; ipse, persistens in similitudine triumphi, donarium ponit Veneri, *exuviarum* hostilium loco. ut sit mens hujus loci, Hoc tibi ego donum, o Venus, pono, exuviarum & spoliorum vicem lectorum tota ista nocte, quam in Cynthiae meae amplexibus produxi. non est absimilis Catulli locus Carm. 63.

Dulcia nocturnae portans vestigia rixae,
Quam de virgineis gesserat exuviis.

apparet & hanc elegiam scriptam esse sub tempus expeditionis quam Augustus in Parthos moliebatur.

XII.

XII.

O Me felicem, o nox mihi candida, & o tu
  Lectule deliciis facte beate meis.
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis.
  Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
  Ore suo, & dixit, Siccine lente jaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia? quantum
  Oscula sunt labris nostra morata tuis?
Quam multa apposita narramus verba lucerna?
  Quantaque sublato lumine rixa fuit?
Non juvat in caeco venerem corrumpere motu.
  Si nescis, oculi sunt in amore duces

Ipse

1. O ME FELICEM, NOX O MIHI CANDIDA] lege cum omnibus membranis, *o nox mihi candida.* non consulunt nasum suum, qui veteres poëtas tam religiosos faciunt circa hiatus; neque cogitant literam M saepissime non elidi.

5. ILLA MEOS SOMNO LASSOS PATEFECIT OCELLOS] in uno Regio est *lapsos*, in altero *lapso.* Passeratius quoque & Gebhardus in suis *lapsos* invenerunt, ac probarunt. uti & Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 3. Amor. Eleg. 5. ℣. 1. & ad L. 3. Trist. Eleg. 3. ℣. 44. omnino recte. noster L. 1. Eleg. 10.

Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos.

Domitii Enarrationes in Propertium laudat Beroaldus ad L. 2. Eleg. 1. ipso fine.

6. SICCINE, LENTE, JACES?] in nostro secundo est *vaces*: quod fortasse fuerit *vacas*, non insubido sensu. sed tamen nihil mutandum. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 7.

Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus,
Sed jacui pigro crimen onusque toro.

& paullo post:

Truncus iners jacui, species, & inutile signum.

L. 3. Art. Amat.

Turpe jacens mulier multo madefacta Lyaeo.

9. QUAM MULTA APPOSITA, &c.] hoc distichon loco non suo legebatur: ego autem huc revocavi, praeeunte Douza P. nec mutabit factum, qui cum *sublato lumine* composuerit *caecum* illum *motum.*

11. IN CAECO VENEREM COMMITTERE MOTU] *corrumpere* praeferunt octo libri scripti, cum primitus cusis. quod cur posthaberi debeat τῷ *committere*, nullo modo adsequor. *venerem corrumpere*, est deteriorem facere atque insuaviorem. noster infra Eleg. 23.

Corrupitque bonas nectare primus aquas.

& Eleg. 13.

----- corrumpit dura catena manus.

supra Eleg. 3.

Et saepe immeritos corrumpas dentibus ungues.

quare autem venus in tenebris sit minus jucunda, ipse reddit rationem: nempe quoniam *oculi sunt in amore duces.* ab ea mente Martialis L. 11. Epigr. 105.

Tu tenebris gaudes; me ludere teste lucerna;
Et juvat admissa rumpere luce latus.

& Galienus imperator:

Ludite: sed vigiles nolite exstinguere lychnos.
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernae.

quod

Ipſe Paris nuda fertur periiſſe Lacaena,
  Quum Menelaeo ſurgeret e thalamo.
Nudus & Endymion Phoebi cepiſſe ſororem
  Dicitur, & nudae concubuiſſe deae.
Quod ſi pertendens animo veſtita cubaris,
  Sciſſa veſte meas experiere manus.
Quin etiam ſi me ulterius provexerit ira,
  Oſtendes matri brachia laeſa tuae.
Necdum inclinatae prohibent te ludere mammae.
  Viderit hoc, ſi quam jam peperiſſe pudet.
Dum nos fata ſinunt, oculos ſatiemus amore.
  Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam haerentes ſic nos vincire catena
  Velles, ut numquam ſolveret ulla dies.

Exem-

quod non eſt pejus, quam illud Bilbilici poëtae L. 14. Epigr. 39.

Dulcis conſcia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias, licet, tacebo.

caecam noſter venerem vocat, ut Virgilius *caecum Martem* L. 9. Aen.

nec curant caeco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli: ſed pellere vallo
Miſſilibus certant.

18. MEAS EXPERIERE MANUS] in Groningano eſt, *manus experiere meas.* hexametrum Joannes Rivius in Caſtigationibus Terentianis ita laudat:

Quod ſi pertendes animo, veſtita cubare.

neſcio an memoriae vitio: certe aliter eſt in libris qua ſcriptis qua cuſis.

21. NECDUM INCLINATAE PROHIBENT TE LUDERE MAMMAE] Nonius: *Sumen proprie a ſugendo dictum: nam & mulieris mammam ſumen veteres dici volunt. Lucilius Sat. lib. quarto:*

Quod ſi nulla poteſt mulier tam corpore duro
Eſſe, tamen tenerum moveat ſuccuſſa lacertum,
Et manus uberior lactanti in ſumine ſidat.

tales Martialis *pannoſas* vocat L. 3. Epigr. 72.

Aut tibi pannoſae pendent a pectore mammae.

contrarium eſt *ſtare.* Lucilius idem apud Nonium in *Stare*:

Hic corpus ſolidum invenies, hic ſtare papillas
Pectore marmoreo.

eum poëtae Aurunci locum in animo habuit neſcio quis Maximianus, quem inficeti quidam mortales pro Corn. Gallo venditant, Eleg. 5.

Urebant oculos durae ſtanteſque papillae,
Et quas aſtringens clauderet una manus.

pentametri lepórem ſublegit Martiali L. 14. Epigr. 134.

Faſcia, creſcentes dominae compeſce papillas;
Ut ſit quod capiat noſtra, tegatque manus.

velles hunc nebulonem tam recto ſemper judicio ſcripſiſſe.

22. VIDERIT HOC, SI QUIS JAM PEPERISSE PUTET] omnes libri, *ſi quam jam peperiſſe pudet*, ſenſu perſpicuo. de mammis tegendis ſollicita ſit, quae jam mater facta flaccidas habet ac turpiter propendentes, neque aptas luſibus delicatis. tuae ſtant & turgent: ideo nudam volo. veriſſimum eſt *pudet.* Seneca Conſol. ad Helv. C. 16. *Numquam te foecunditatis tuae, quaſi exprobraret aetatem, puduit: numquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumeſcentem uterum abſcondiſti, quaſi indecens onus, nec intra viſcera tua conceptas ſpes liberorum eliſiſti.*

25. CATENA] nihil mutandum. Naſo Epiſt. Phaedrae:

Illa coit firma generis junctura catena,

Im-

Exemplo junctae tibi sint in amore columbae,
  Masculus & totum femina conjugium.
Errat, qui finem vesani quaerit amoris.
  Verus amor nullum novit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
  Et citius nigros Sol agitabit equos:
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
  Aridus & sicco gurgite piscis erit:
Quam possim nostros alio transferre calores.
  Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
  Illa velit, vitae longus & annus erit.

Si

Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.
Tibullus IV. 5.
Sed potius valida teneamur uterque catena:
Nulla queat posthac nos soluisse dies.

27. Exemplo junctae sic sint in amore columbae] *sic sint* videtur a Scaligeri mente, aut manu. *tibi sunt* legitur in libris quinque vetustis; *tibi sint*, in Groningano, & utroque Colbertino. quae vera lectio. pulcra est haec imago a columbis desumta. tales duae consertis rostris conspiciuntur in tympano elegantis monumenti nescio cujus Claudiae Lepidillae, apud Boissardum P. 6. Antiq. p. 52. itemque in monumento A. Postumii Euaristi, p. 77.

28. Masculus et totum femina conjugium] unus columbus non nisi unam columbam in conjugio habet; vicissim una columba contenta est uno columbo. hoc est *totum* eorum conjugium; secus atque inter gallos & gallinas, aut coturnices, quarum amor multivolus est. *totum* exhibent omnes libri, nullo dissentiente. tamen Livinejus eam vocem ut ineptam traducit, reponitque *tutum*: quod Passeratius exponit, *ubi adulterii nulla suspicio*, non perviderunt isti mentem poëtae. Plinius L. 10. C. 34. *pudicitia illis* (columbis) *prima, & neutri nota adulteria. conjugii fidem non violant, communemque servant domum.* itaque unus mas unaque femina *totum* componunt matrimonium: quod contra est in reliquarum avium venere vulgivaga. ideo Horatius inter ἀδύνατα posuit corruptam columbae fidem Epod. 16.

Adulteretur & columba miluo.
Porphyrio: *jucunde* adulteretur: *quia dicitur columba nulli alii succumbere quam cui se semel junxit* vide Aelianum L. 3. Hist. Anim. C. 44.

32. Nigros sol agitabit equos] Rob. Titius mirifico acumine nobis reposuit *pigros*, pro *nigros*, L. 8, Loc. contr. C. 11. probe eo nomine depexus a Scaligero. Passeratius, dum Titium ridet, ipse non perspexit poëtae sensum, trahens hunc versum ad defectum solis. omnia, inquit Propertius, prius fient, quae nullo modo fieri possunt, quam ego desinam amare Cynthiam meam. ipse ille sol, cujus proprium est lucere, prius lucere desinet, & aeternis tenebris involvet hunc orbem. paria fere Ovidius L. 1. Trist. Eleg. 7. nisi quod ibi de sole paullo aliter.

32. Et citius nigros Sol agitabit equos] l'Ariosto XLIII. del Furioso, 85.

E giura, che più tosto oscuro il Sole
Vedrassi, che gli sia mai si crudele,
Che rompa fede, e che vorria morire
Più tosto, c'haver mai questo desire.

ibid. st. 102.

In altri tempi, ad un sol nostro detto
Il Sol si ferma, e la sua luce ammorza.

35. Alio transferre calores] libri, *dolores*. male. sed solent hae voces fere confundi. *colores* erat in nonnullo,

37. Quod mihi si tecum] lege *secum*, ex codice Groningano. Gebhardus, qui τὸ *tecum* probat, cur non exposuit?

Si dabit haec multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel Deus esse potest.
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra jacere mero:
Non ferrum crudele, neque esset bellica navis,
Nec nostra Actiacum verreret ossa mare.

Nec

39. FIAM IMMORTALIS IN ILLIS] supra Eleg. 11. ℣. 10. Cicero in L. Pison. C. 22. *Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, cum in patriam redii, cum senatum egressum vidi, populumque Romanum universum*, &c. v. ibi Abramus p. 688. a locutio proverbialis est. pulcre ad nostri mentem Pamphilus Terentianus Andr. 5, 5, 4.

41. QUALEM SI CUNCTI] adumbratum de Cicerone, orat. pro Cn. Plancio C. 11. *Tribunus plebis fuit non fortasse tam vehemens, quam isti, quos tu jure laudas: sed certe talis, quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus esset vehemens tribunus.*

43. NON FERRUM CRUDELE, NEQUE ESSET BELLICA NAVIS] ita nos in quinque libris exaratum reperimus. alii habent, *Non ferrum crudele esset, neque b. n.* numero laxiore, nec satis ad gravitatem Propertianam. rident haec, qui non intelligunt. rideant sane: at tu Horatio crede, homini haud quaquam inepto,

Non quivis videt inmodulata poëmata judex.

44. ACTIACUM VERRERET OSSA MARE] *verreret* est in utroque Colbertino: reliqui omnes habent *verteret*. illud Scaligero placuit; cujus ductum hic sequi libet. & sane ita loquitur optima antiquitas. Lucretius L. 1.

Sunt igitur venti nimirum corpora caeca,
Quae mare, quae terras, quae denique nubila coeli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.

& L. 5.

Partim quod validi verrentes aequora venti
Diminuunt.

quem versum paullo post iterum ponit. idem L. 6.

Tum porro venti magnam quoque tollere partem
Humoris possunt verrentes aequora ponti.

Virgilius L. 1. Aen.

maria, ac terras, coelumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

& L. 8.

Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis, aestumque secabant.

Catullus Epithal. Pelei & Thetidis.

Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis.

Valerius Cato:

Haec agat infesto Neptunus caeca tridenti,
Atrum converrens aestum maris undique ventis.

Papinius L. 4. Theb.

Aret Lerna nocens, aret Lyrcius, & ingens
Inachus, adverrensque natantia saxa Charadrus.

qui locus unice nostrum illustrat: nam ut ibi fluvius saxa, ita hic mare verrere ossa dicitur. vide sis Nonium in *verrere*. alioqui facilis est transitus inter *verrere* ac *vertere*. sic apud Virgilium L. 6. Aen. legitur, *remis freta livida verrunt*, locutione poëtis usitatissima: tamen multos libros veteres ibi habere *vertunt* observavit diligentissimus Pierius. Valerius Flaccus L. 4. ℣. 454.

Diripiunt verruntque dapes, foedataque turbant
Pocula.

ita recte membranae Carrionis. in vulgatis fere est *vertuntque*. cujus generis plura dabit Gifanius Ind. Lucret. in *verrentes*. paene oblitus eram monere, *Adriacum* legi in codice Groningano, ac Borrichiano, pro vulgato ac probo *Actiacum*. nec tamen monerem, utpote leviculum, nisi crederem mihi certis argumentis liquet transcriptum fuisse de bono exemplari.

Nec toties propriis circum oppugnata triumphis,
  Lassa foret crines solvere Roma suos.
Haec certe merito poterunt laudare minores.
  Laeserunt nullos pocula nostra Deos.
Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitae.
  Omnia si dederis oscula, pauca dabis.

Ac

45. PROPRIIS CIRCUM OPPUGNATA TRIUMPHIS] propriis cladibus undique confecta. quae clades si fuissent inlatae externis hostibus, justam caussam triumphi ducibus nostris petendi dedissent. nam ex bellis civilibus nullus triumphus decernebatur, etiamsi pars victa a senatu fuissent hostes judicati. imo ne supplicatio quidem umquam victoris cujusquam literis postulata est. vide Ciceronem Philipp. 14. C. 8. bene Lucanus L. 1.

Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

46. CRINES SOLVERE] v. Seneca Troad. ℣. 84. 98.

48. LAESERUNT NULLOS POCULA NOSTRA DEOS] nulla in convivio numina violavimus perjuriis & impiis verbis. ita Passeratius. Mihi aliquid gravius subesse ac facinorosius videtur: & sic intelligo, Nos, o Cynthia, dum simul fuimus, mensae sacra nullo temeravimus veneficio, sed intra hilaritatem innoxiam constiterunt nostra convivia. Sane *pocula* hoc saepe sensu ponuntur apud optimos quosque scriptores. noster supra Eleg. 1.

Seu mihi sint tangenda novercae pocula Phaedrae,
Pocula privigno nil nocitura suo.

Virgilius L. 2. Georg. ℣. 126.

Media fert tristis succos, tardumque saporem
Felicis mali; quo non praesentius ullum,
Pocula si quando saevae infecere novercae,
Miscueruntque herbas & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Cicero pro Cluentio C. 10. *qui uxori suae Cluentiae, quae amita hujus Aviti fuit, cum ipse poculum dedisset, subito illa in media potione exclamavit, se maximo cum dolore mori: nec diutius vixit, quam locuta est.* C. 11. *Postea fratrem aggressus est: qui fero, jam exhausto illo poculo mortis, cum & de suo, & de uxoris interitu clamaret, testamentumque mutare cuperet, in ipsa significatione hujus voluntatis est mortuus.* Tibullus L. 3. Eleg. 5.

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam taetra venena dedit.

quumque venenum facile detur in potione super mensam, ideo conviviali verbo *infundendi* utitur Romanae eloquentiae parens, atroci sarcasmo in atrocissimo scelere, Philipp. 11. C. 6. *Quid dicam de Apulo Domitio? cujus bona modo proscripta vidi: tanta procuratorum est negligentia. At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit.* de Cynthiae negotio disquiremus infra ad Eleg. 23. ℣. 67.

transtuli ad Tibull 3, 5, 9.

49. TU MODO, DUM LICET, HINC FRUCTUM NE DESERE VITAE] haec est lectio primarum editionum, quum nondum illa perniciosa libido novandi animos eruditorum afflasset. neque caussa erat cur quis dubitaret de sinceritate, nisi movisset litem nimis subtile quorundam hominum acumen. in uno nostro est, *Tu modo dum liceat fr.* & sic unus Gebhardi, & Groninganus. in nostro altero, *Tu modo dum licet fr.* quomodo unus Colbertinus, & duo Regii, cum Borrichiano. in altero Colbertino legitur, *Tu modo dum lucet fr.* istud *lucet* quum in nescio quibus membranis invenisset Palmerius, non dubitavit calide amplexari: erat enim insitatum. & invenit, qui sequeretur, Passeratium. *dum lucet*, dum vita suppetit: dum vita haec cernitur. nam lucet nobis integris sensibus: post mortem tenebrae. haec illi. nec neget quisquam *lucem* saepe pro vita poni. sed probandum erat, *lucere* ad eumdem modum poni pro *vivere*. nugae hae sunt & affa-

Ac veluti folia arentes liquere corollas,
  Quae passim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
  Forsitan includet crastina fata dies.

assaniae, a quibus cavere discat erectior juventus. receptam lectionem bene exposuit Gebhardus. aliquanto pudentius poterant resinxisse,

Tu modo, quum liceat, fructum hunc ne desere vitae.

sed, ut dixi, nihil hic debet resingi.

53. QUI NUNC MAGNUM SPIRAMUS AMANTES] *speramus*, quod fere libri praeferunt, magno conatu defendit Passeratius, & cum eo Gebhardus. *spiramus* aliis adrisit magis, & in iis Scaligero ac Lipsio. Horatius Art. Poet.

Nam spirat tragicum satis, & feliciter audet.

Statius L. 5. Silv. 3.

Certe ego, magnanimûm qui facta attollere regum
Ibam altum spirans, Martemque aequare canendo.

Cicero L. 9. ad Attic. Epist. 5. *venit ad me etiam Q. Fufius, quo vultu! quo spiritu!* Apulejus L. 5. Metam. *Jam jam sursum respicis, & Deam spirat mulier, quae voces ancillas habet, & ventis ipsis imperat.* Seneca Thyest. ℣. 504.

Cum spirat ira sanguinem, nescit tegi.

plura Nic. Heinsius dabit ad Ovid. L. 5. Metam. ℣. 348. quem operae erit vidisse.

XIII.

PRaetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
  Maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
  Ah, Neptune, tibi qualia dona darem.

5. Nunc

4. AH NEPTUNE, TIBI] de Cerauniis, sive Acrocerauniis, bona sunt quae observat Barthius L. 57. Adv. C. 14. sed cur ibidem in hoc nostri loco, *Vah Neptune*, legi jubeat, non satis capio. *Ah* particula est indignantis, increpantis, valde dolentis. Terentius Andr. Act. 1. Sc. 5.

Nam quid ego nunc dicam de patre? ah
Tantamne rem tam negligenter agere!

vide sis eum locum ab initio scenae. Tibullus L. 3. Eleg. 4.

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen;
Ah pereat, didicit fallere si qua virum!

alia notio est particulae *vah.* quod indignantis, est & stomachantis. Plautus Amphitr. 2, 1, 32.

A. *Vah! apage te a me.* S. *quid est negotii?*
A. *Pestis te tenet.*

iterum Curcul. Act. 2. Sc. 1.

Potin conjecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?
PA. *Vah! solus hic homo'st, qui sciat divinitus.*

Poenul. Act. 1. Sc. 3.

AG. *Egóne? egóne, si istuc lepide effexis!*
MI. *i modo.*
AG. *Ut non ego te hodie!* MI. *abi modo.*
AG. *emittam manu!*
MI. *I modo.* AG. *non hercle meream. ah!*
MI. *vah, abi modo.*

Terentius Eunuch. Act. 4. Sc. 5.

P. *Chremes!* C. *quis est? ehem Pythias,*
vah quanto nunc formosior
Videre mihi, quam dudum! P. *certe tu quidem pol multo hilarior.*

quamquam non nego multimodis poni. sed vocula est scenae magis quam elegiae accommoda. vide M. Valerium Probum L. 1. Gram. instit. quo loco de interjectione agit.

Nunc ſine me plena fiunt convivia menſa.
  Nunc ſine me tota janua nocte patet.
Quare ſi ſapis, oblatas ne deſere meſſes:
  Et ſtolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde ubi conſumto reſtabit munere pauper,
  Dic alias iterum naviget Illyrias.
Cynthia non ſequitur faſces, non quaerit honores:
  Semper amatorum ponderat illa ſinus.
At tu nunc noſtro, Venus o, ſuccurre dolori,
  Rumpat ut aſſiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus, quivis mercatur amorem?
  Jupiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
  Et jubet ex ipſa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romae nemo eſſet dives, & ipſe
  Straminea poſſet dux habitare caſa.

Num-

8. PECUS] Cicero de Haruſp. reſp. C. 3. *quid enim hunc perſequar, pecudem ac belluam, pabulo inimicorum meorum & glande corruptum?* in L. Piſon. C. 9. *Ego iſtius pecudis, ac putidae carnis conſilio, ſcilicet, aut praeſidio niti volebam?* Tacitus L. 13. Annal. C. 1. *Prima novo principatu mors Junii Silanii proconſulis Aſiae, ignaro Nerone; per dolum Agrippinae paratur. non quia ingenii violentia exitum irritaverit, ſegnis, & dominationibus aliis faſtiditus, adeo ut C. Caeſar* pecudem auream *eum appellare ſolitus ſit:* &c. Cicero Philipp. 2. C. 12. *Sed ſtuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite.* Philipp. 8. C. 3. *homines agreſtes, ſi homines illi, ac non pecudes potius.*

10. DIC ALIAS ITERUM NAVIGET ILLYRIAS] ut nova praeda explere poſſit novam cupiditatem. ſane id jam tum vetus erat, & quotannis pecunia publica pauci quidam locupletabantur. audi Ciceronem in oratione pro Lege Manilia graviſſime conquerentem, C. 22. *Difficile eſt dictu, Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio miſimus, injurias ac libidines. Quod enim ſanum putatis in illis terris noſtris magiſtratibus religioſum, quam civitatem ſanctam, quam domum ſatis clauſam ac munitam fuiſſe? urbes jam locupletes ac copioſae requiruntur, quibus cauſa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter haec coram cum Q. Catulo & Q. Hortenſio diſputarem, ſummis & clariſſimis viris. Noverunt enim ſociorum vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro ſociis vos contra hoſtes exercitum mittere putatis, an hoſtium ſimulatione contra ſocios atque amicos? Quae civitas eſt in Aſia, quae non modo imperatoris, aut legati, ſed unius tribuni militum animos ac ſpiritus capere poſſit?* &c. par erat ratio in ceteris provinciis. itaque noſter iſti ſuo praetori non poterat viam diteſcendi magis compendioſam commonſtrare.

11. NEC CURAT HONORES] in Groningano, & uno noſtro eſt, *non quaerit honores.* quod mihi priore iſto rectius videtur.

17. MITTIT ME QUAERERE] elegans locutio, ac bene illuſtrata Nic. Heinſio Not. ad Ovid. L. 5. Metam. ỷ. 660. nihil huc adtulerant interpretes.

20. GRAMINEA POSSET DUX HABITARE CASA] *Straminea* invenimus in ſeptem libris. Ovidius L. 3. Faſtor. ex perſona Martis:

Quae fuerit noſtri ſi quaeris regia nati:
Aſpice de ſtipula, ſtraminibuſque domum.

ibidem L. 6. ỷ. 261.

Numquam venales essent ad munus amicae,
  Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
  Candida tam foedo brachia fusa viro:
Non quia peccaris testor te: sed quia vulgo
  Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
  Et subito felix nunc mea regna tenet.

Aspice

Quae nunc aere vides, stipula tunc tecta videres:
Et paries lento vimine textus erat.
vide Dionysium Halicarnassaeum L. 1. C. 50. & L. 2. Amor. Eleg. 9
Roma, nisi immensum vires promosset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque tecta casis.
Virgilius L. 8. Aen.
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Vitruvius L. 2. C. 1. *item in Capitolio commonefacere potest & significare mores vetustatis Romuli casa in arce sacrorum, stramentis tecta.* alia Gebhardus attulit, quibus convelleret Scaligeri mutationem.

21. NUMQUAM VENALES] Passeratius e libb. *Non tam venales.* nostri nihil mutant.

22. ATQUE UNA FIERET CANA PUELLA DOMO] alter Colbertinus, & Borrichianus, *Atque uno fieret cana puella viro.* ubi fortasse malles, *uno toro.* nam *viro* & *toro* saepe confunduntur. pro vulgata stent ista Claudiani:
Felix, qui patriis aevum transegit in agris,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem:
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numerat saecula longa casae.
noster infra Eleg. 19.
In primis una discat amare domo.
& Juvenalis Sat. 6.
mox haec regna relinquit,
Permutatque domos, & flammea conterit.
vix tamen eripi mihi patiar, quin τὸ *domo* fit interpretamentum τοῦ *toro*, & fuerit a manu poetae
Atque uno fieret cana puella toro.
sic supra habuimus, Eleg. 5.
Felix Admeti conjux, & lectus Ulyxis.
infra Eleg. 25.
Te socium vitae, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis.
Lecto te solum, lecto te deprecor uno.
sic & aliis locis quamplurimis. signanter vero L. 4. Eleg. 8
Quum fieret nostro toties injuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
L. 3. Eleg. 10.
Si fas est, omnes pariter pereatis avari,
Et quisquis fido praetulit arma toro.
Ovidius Epist. Hermionae:
Sic quoque eram repetenda tamen: nec turpe marito,
Aspera pro caro bella tulisse toro.
has autem voculas, *viro* & *toro*, in veteribus membranis saepissime confundi, prolatis in hanc rem plurimis exemplis, sagaciter ostendit ille veterum poetarum felix restitutor Nic. Heinsius in Nasonianis.

27. BARBARUS EXCUSSIS AGITAT VESTIGIA LUMBIS] *agitare vestigia* Passeratio est, movere pedes in veneris certamine: Turnebo, magnifice incedere, L. 17. Adv. C. 11. nec non Adr. Behotio L. 2. Apoph. C. 19. qui & Turnebum defendit contra non neminem aliter sentientem. iste non nemo Caspar Schoppius est, L. 3. Verif. C. 16, videndus, uti & sacerrimo commentario in Priap. Carm. 18. ego expono: Barbarus iste, me excluso, agitat & calcat mea vestigia, quae in tuo lecto restant, inque iis volutat sese interea, dum lumbos excutit, & clunem movet. τὸ *vestigia* explicatum est supra ad Eleg. 7. ℣. 95. *agitare* hic valet, premere, calcare: nec tamen sine metaphora paullo liberiore. τὸ *mea* tam ad *vestigia* referri debet, quam ad *regna*, quod proxime sequitur. nam ita solent poetae. Virgilius L. 11. Aen.
Unam ex virginibus sociis, sacraque caterva

Com-

Aspice quid donis Eriphyla invenit amaris,
    Arserit & quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros injuria fletus?
    An dolor hic vitiis nescit abesse suis?
Tot jam abiere dies, quum me nec cura theatri,
    Nec tetigit campi, nec mea Musa juvat.
Ah pudeat certe, pudeat: nisi forte, quod ajunt,
    Turpis amor surdis auribus esse solet.

Cerne

Compellabat, & has tristis Latonia voces
Ore dabat.

signanter ibi Donatus: *Tristis positum est, & remansisse putatur incertum, an tristis Latonia virgo voces daret, an tristes voces. Dictum hoc melius adverti non potuit, nisi morem poëtae retinentes, quem ubique servavit, bis intelligamus tristis: ut, qualis anima fuit, talia habuisse videatur & verba. proinde, tristis Latonia voces tristes emittebat.*

29. ASPICE QUID DONIS] recte *Aspice*, tamquam in re praesenti. minus bene in altero Colbertino legitur *Accipe*. nam ejus verbi alia est notio. videndus Virgilius L. 2. Aen. ℣. 65.

29. DONIS AMARIS] recte *amaris*. quae exitium attulerunt & Amphiarao, & ipsi denique Eriphylae. noster 3, 10, 10.

Illa quidem interea fama tabesces inani,
Haec tua ne virtus fiat amara sibi.

ad rem Horatius III. Od. 16.

. . . concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio.

Guyetus *avaris* legebat, h. e. avare expetitis. Heinsius, *amatis*. & *flevit*, pro *invenit*. nihil mutandum.

34. NEC MEA MUSA JUVAT] *mensa juvat*, habent Colbertini, & Borrichianus cum nostris. quod suspiceris e claustro esse, ubi *mensae* quam *Musae* cura prior. Gebhardus lectorem ablegat ad Crepundior. suorum L. 3. C. 20. ubi stabilit *mensam*. habeat sibi.

35. AH PUDEAT CERTE] nostri libri, *At pudeat*. nihil muto. vide quae ad initium hujus Elegiae.

35. NISI FORTE, QUOD AJUNT, &c.] similiter infra Eleg. 21.

Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.

vidi quibus haec locutio plebejum saperet. tamen aliter visum antiquis. Cicero pro L. Flacco C. 12. *Quod quidem ego non modo non postulo, sed contra, Judices, vos oro, & obtestor, ut totam caussam quam maxime intentis oculis, ut ajunt, acerrime contemplemini.* apud eumdem Caesar L. 2. de Oratore C. 57. *Soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum spectante Roscio. Quis enim sese commovere potest, cujus ille vitia non videat? Sic ego nunc, Crasso audiente, primum loquar de facetiis, & docebo sus, ut ajunt, oratorem eum, quem cum Catulus nuper audisset, faenum alios ajebat esse oportere.* & ipse in L. Calp. Pisonem C. 28. *Graecus primo distinguere, atque dividere illa, quemadmodum dicerentur: iste claudus (quomodo ajunt) pilam, retinere quod acceperat*, &c. Lucretius L. 3.

Illud enim falsa fertur ratione, quod ajunt,
Immortalem animam mutato corpore flecti.

Terentius Andr. Act. 1. Sc. 2.

S. *omnes, qui amant, graviter sibi dari*
uxorem ferunt.
D. *Ita ajunt.*

Donatus: ITA AJUNT. *Haec credunt & loquuntur universi. & est trepida confessio, & quasi inviti responsio.* iterum Phorm. Act. 2. Sc. 3.

Actum, ajunt, ne agas.

Donatus: AJUNT *dicimus, cum proverbium significamus.* quod proprie facit ad priorem nostri locum. vide Domitii Marsi fragmentum apud Junium Philargyrium in III. Eclog. 90. atque ita Tullius, Euripidis sibi aptans effatum, Philipp. 12. C. 2. *Cujusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. posteriores enim cogitationes, ut ajunt, sapientiores solent esse.*

Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
  Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
  Jussit, & extremo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec virtus, & gloria Caesaris haec est:
  Illa qua vicit, condidit arma manu.

Sed

38. Damnatis militibus] quos Senatus cum duce Antonio hostes judicaverat: noster modeste vocat *milites:* Cicero vero & Plancus & Cassius *latrones* appellant *ferventes, perditos, foedissimos, importunissimos, parricidas,* &c. ipsumque illud bellum pro *latrocinio* habent. vide L. 10. ad famil. Ep. 5. 6. 14. 15. 23. 24. 27. L. 12. Ep. 12. 25. Floro quoque *fax & turbo saeculi* Antonius dicitur, & *scopulus, & nodus, & mora publicae securitatis*, L. 4. capp. 3. 9.

39. Hunc infamis amor] noster unus, itemque Borrichianus, *Hunc insanus amor:* alter, *Nunc insanus amor.* erat profecto ste Antonii amor non tantum insanus, sed plane etiam furiosus. tamen non est discedendum a lectione vulgo recepta. sic nostro Cleopatra dicitur *incesti meretrix regina Canopi, Et famulos inter femina trita suos*, L. 3. Eleg. 9. qui poterat infamius? Virgilius L. 8. Aen.

Aegyptum, viresque Orientis, & ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Aegyptia conjunx.

Florus L. 4. C. 11. *patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita amictu quoque & cultu, desciverat.* Horatius quoque Cleopatram *fatale monstrum* dixerat L. 1. Od. 37. proinde merito infamiae notat noster turpem ac foedum Antonii amorem.

40. Externo quaerere in orbe fugam] eleganter Groninganus, cum utroque Colbertino, & nostris duobus, *extremo.* quomodo Livinejus in Vaticano, in Memmii membranis Passeratius, & in Palatinis Gebhardus invenerant. *extremum orbem* vocat Aegyptum, ex veterum sententia. Ovidius L. 2. Metam.

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet.

& Epist. Hyperm.

Bella pater patruusque gerunt: regnoque domoque
Pellimur. ejectos ultimus orbis habet.

Corn. Nepos Attic. C. 20. *Neque vero ab M. Antonio minus literis absens colebatur: adeo, ut accurate ille ex ultimis terris, quid ageret, quid curae sibi haberet, certiorem faceret Atticum.* Plinius L. 3. initio: *Terrarum orbis universus in tres dividitur partes, Europam, Asiam, Africam. Origo ab occasu Solis & Gaditano freto, qua irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur. Hinc intranti dextra Africa est, laeva Europa: inter has Asia. Termini amnes, Tanais, & Nilus.* legitur apud Ciceronem orat. pro Balbo C. 4. *quem provinciae nostrae, quem liberi populi, quem reges, quem exterae gentes, castiorem, moderatiorem, sanctiorem, non modo viderunt, sed aut sperando umquam aut optando cogitaverunt?* Gruterus pro isto *exterae gentes* invenerat in uno Palatino *ultra regentes:* unde doctissimus Graevius existimat Tullium scripsisse, *ultimae gentes.* acute, ita vivam. tamen *exterae gentes*, id quod ceteri libri habent, potuit fuisse a prima manu *extremae gentes.* sed ego nihil adfirmo. Ceterum observare te volo pulcerrimam locutionem, *quaerere fugam.* est hoc ultimae desperationis, ubi fugitur sine consilio, tantum ut fugiatur. Noster suo debet Ciceroni, Philipp. 5. C. 16. *Nondum ullos duces habebamus, non copias: nullum erat consilium publicum, nulla libertas: dandae cervices erant crudelitati nefariae: fugam quaerebamus omnes, quae ipsa exitum non habebat.* Virgilius II. Geor. 123.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis.

Hispaniam Calpurnius *extremum orbem* vocat Eclog. 4. ℣. 43. 49.

Sed quascumque tibi vestes, quoscumque zmaragdos,
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos:
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
Qua tibi terra, velim, qua tibi fiat aqua.
Non semper placidus perjuros ridet amantes
Jupiter, & surda negligit aure preces.
Vidistin' moto sonitus procurrere caelo?
Fulminaque aetherea dissiluisse domo?

Non

43. Quoscumque smaragdos] veteres semper *Zmaragdos* scribebant: neque umquam aliter in vocabulis Graecae originis, quae a duabus consonis *sm* incipiebant. lapis Romanus apud Gruterum DLXXVI. 5.

D M
ZMARAGDI
L. DOMITIA. POLLIN
CVBICVLAR
EX. COLLEG
CVRANTE. NICOSTRATO
AMICO
B M

non sunt negligenda quae super hac ratione scribendi notarunt viri doctissimi Jo. Pierius Valerianus in L. 7. Aen. Virg. ℣. 648. Achilles Statius in Tibull. L. 2. Eleg. 4. Cl. Dansquius Orthogr. Volum. 2. tract. 21. Is. Vossius Obs. ad Catull. p. 321. Marq. Gudius in Phaedr. L. 3. fab. 18. Lambinus in Lucret. II. 1122. p. 548. v. Turnebus XVI. Adv. 14. Tibullus 1, 10, 12. Valerius Cato Dir. ℣. 36. 46.

46. Qua tibi terra, velim, qua tibi fiat aqua] omnes libri habent *Quae*, bis repetitum. tamen illud videtur convenientius. *velim* quoque est in omnibus, nullo dissentiente. quare vix admiserim Scaligeri *precor*. Tibullus L. 1. Eleg. 10.

Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.

quae irrita vovebant antiqui, in cinerem, pulverem, aquam, verti optabant. vide Ach. Statium, & Jan. Gebhardum, ad laudatam Tibulli Elegiam: & Passeratium hoc loco. Homeri verba, Passeratio adducta, interpretatur Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 6. p. 23.

49. Vidistin' toto sonitus percurrere coelo] *Vidistis* est in libris; lapsu prono. loquitur autem poëta ad solam Cynthiam. inde supra *aspice*, *cerne*. pro *toto* reponit Nic. Heinsius *moto*; & *procurrere* ubi nunc est *percurrere*. Not. ad Ovid. L. 3. Fast. ℣. 347. nihil verius puto. sane *procurrere* verbum est militare, & plus aliquid notat quam *percurrere*. tonitrua autem ipsa sunt tela armati Jovis. Caesar L. 1. Bell. Gall. C. 52. *ita nostri acriter in hostes, signo dato, impetum fecerunt. Itaque hostes repente celeriterque procurrerunt; ut spatium pila in hostes conjiciendi non daretur.* ibidem L. 5. C. 34. *quoties quaeque cohors procurrerat, ab ea parte magnus hostium numerus cadebat.* & L. 3. Bel. Civil. C. 91. *Haec cum* [Crastinus] *dixisset, primus ex dextro cornu procurrit.* initium est ibi decretoriae illius pugnae Pharsalicae. Virgilius L. 12. Aen.

Pars gladios stringunt, manibus pars missile ferrum
Corripiunt, caecique ruunt. quos agmina contra
Procurrunt Laurentum.

Justinus L. 9. C. 8. *Pater* [Philippus] *de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere efferre: Alexander non in hostem, sed in suos saevire.* haec adstruunt Heinsii lectionem. tamen vulgatam tueri videtur Lucretius L. 5.

Fulminis horribili quom plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura coelum.

itemque Virgilius L. 8. Aen.

Non secus atque olim, tonitru cum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

istud autem nostri *sonitus* haud quaquam est

Non haec Pleïades faciunt, neque aquosus Orion:
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Perjuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam flevit & ipse Deus.

Qua-

mutandum in *tonitrus*, quod volebat aliquando amicus quidam meus, vir doctus ac disertus. nihil mutant membranae; & amabant eam vocem Romani scriptores. Ennius, apud Servium in L. 1. Aen. ℣. 35.

qui fulmine claro
Omnia per sonitus arcet.

Terentius Eunuch. Act. 3. Sc. 5.

At quem deum? qui templa coeli summa sonitu concutit.

Virgilius L. 6 Aen.

Vidi & crudelis dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Jovis & sonitus imitatur Olympi.

& L. 8.

Namque improviso vibratus ab aethere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.

Seneca Med. ℣. 344.

cum duo montes,
Claustra profundi, hinc atque illinc
Subito impulsi, velut aetherio
Gemerent sonitu.

atque ita passim nativi lepôris artifex Lucretius.

50. FULMINAQUE AETHERIA DESILUISSE DOMO] lege *dissiluisse*, auctoribus nostris membranis, & codice Groningano. Passeratius quoque ita conjecerat. Lucretius L. 6.

Hoc etiam pacto tonitru concussa videntur
Omnia saepe gravi tremere, & divolsa repente
Maxima dissiluisse capacis moenia mundi.

Virgilius L. 8. Aen. longe pulcerrime:

Non secus atque olim, tonitru cum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

apud Ovidium Boreas L. 6. Metam.

Idem ego, cum fratres coelo sum nactus aperto,
(Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor;
Ut medius nostris concursibus intonet aether;
Exsiliantque cavis elisi nubibus ignes.

& L. 11. Halcyone:

Cum semel emissi tenuerunt aequora venti;
Nil illis vetitum est; incommendataque tellus
Omnis, & omne fretum. coeli quoque nubila vexant;
Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.

tum L. 15. Pythagoras docet,

Quid Deus: unde nives: quae fulminis esset origo;
Jupiter, an venti, discussa nube tonarent. &c.

quem locum ante oculos habuisse videtur Dracontius Toletanus, poeta Christianus:

Grandinis atque nivis, qui novit, quae sit origo,
Qui dat fulmineos collisis nubibus ignes.

Valerius Flaccus L. 4. ℣. 661.

Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror
Effugit, & tenebras nimbosque intermicat ignis,
Terrificique ruunt tonitrus, elisaque noctem
Lux dirimit; pavor ora virûm, pavor occupat aures.

Lucanus L. 1. ℣. 151.

Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Aetheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua praestinguens lumina flamma.

Seneca Agamemn. ℣. 495.

Premunt tenebrae lumina, & dirae Stygis
Inferna nox est. excidunt ignes tamen,
Et nube dirum fulmen elisa micat.

sed de generatione fulgurum ac fulminum plura Diogenes Laertius in Epicuro; Lucretius libro modo laudato; Seneca Natural. Quaest. L. 2. Plutarchus L. 3. de Placitis Philos. C. 3. Stobaeus in Eclogis physicis; J. Jovianus Pontanus, non antiquis minor poeta, libro Meteororum. unde constabit de veritate hujus lectionis.

54. DECEPTUS QUONIAM FLEVIT ET IPSE DEUS]

Quare ne tibi ſit tanti Sidonia veſtis,
Ut timeas, quoties nubilus auſter erit.

Men-

Deus] an *flevit* hic valet, indoluit, conqueſtus eſt? an vero flevit magnanimus Jupiter effuſis lacrimis? ſunt qui negent Deos flere. Ovidius L. 2. Metam.

Tum vero gemitus (neque enim coeleſtia tingui
Ora licet lacrimis) imo de corde petitos
Edidit.

ſcio Nic. Heinſium ibi legiſſe, *Ora decet lacrimis*, ex antiquo Papinii Scholiaſte, ad L. 6. Theb. ℣. 384. ſed is ipſe Scholiaſtes auctor eſt, aliter ſentire poetas, ad haec verba Statii, *os fletu paene inviolabile tinctus: Nolnit*, inquiens, *dare pasbos mortale numini. philoſophice potius, quam poetice.* iterum Ovidius L. 4. Faſtor.

Dixit; & ut lacrimae (neque enim lacrimare Deorum eſt)
Decidit in tepidos lucida gutta ſinus.

& ſubdubitanter L. 3. Amor. Eleg. 9.

Avertit vultus Erycis quae poſſidet arces:
Sunt quoque, qui lacrimas continuiſſe negent.

ipſo etiam initio ejus Elegiae:

Memnona ſi mater, mater ploravit Achillem.

quod inſtitutum ſuum ſervat quoque L. 2. Art. Amat. ℣. 582. ubi Martem cum Venere deprehendit Vulcanus:

Convocat ille Deos. praebent ſpectacula capti.
Vix lacrimas Venerem continuiſſe putant.

alii, nec proletarii neque infrequentes, ſtant contra. Virgilius L. 1. Aen.

Atque illum talis jactantem pectore curas
Triſtior, & lacrimis oculos ſuffuſa nitentis,
Adloquitur Venus.

& L. 10.

Audit Alcides juvenem, magnumque ſub imo
Corde premit gemitum, lacrimaſque effudit inanes.

ibi Donatus: *audivit Alcides rogantem, &, in quo fatis obſtantibus prodeſſe periture non poſſet, ingemuit & flevit. effudit inanes lacrimas ait, quae periturum juvare non poſſent.* haec erant addenda, ne *lacrimas inanes* referres ad illam *lucidam* Naſonis *guttam*: qui tamen ipſe ſcenae ſervit L. 13. Metam. ubi Memnonis caedes deſcribitur:

At non impoſitos ſupremis ignibus artus
Suſtinuit ſpectare parens: ſed crine ſoluto,
Sicut erat, magni genibus procumbere non eſt
Dedignata Jovis, lacrimiſque has addere voces.

apud Valerium Flaccum Jupiter, Junoni ſuae iratus, L. 4.

Tum precibus, tum me lacrimis, & ſupplice dextra
Attentare veto.

& L. 5. ejuſdem praeclari operis, Mars ad Jovem:

anne ego clara Mycenes
Culmina, virgineas praeder ſi Cecropis arces,
Jam conjunx, jam te gemitu lacrimiſque tenebit
Nata querens?

Junonis lacrimas hauſit ex Marone L. 10. Aen.

Et Juno adlacrumans: Quid ſi, quod voce gravaris,
Mente dares? atque haec Turno rata vita maneret.

Pallada lacrimantem mox videbimus. apud Papinium Bacchus, L. 5. Thebaid. filium Thoanta

Nubilus, indignumque oculis liquentibus imbrem
Alloquitur.

idem Deus L. 7.

—— ut erat, lacrimis lapſoque inhonorus amictu
Ante Jovem (tunc forte polum ſecretus habebat)
Conſtitit, haud umquam facie conſpectus in illa.

& in fine ejuſdem libri, ubi Amphiarai deſcenſus ad inferos tam magnifice tamque miſerabiliter praepingitur,

Deſiluit moerens, lacrimaſque avertit, Apollo.

mox L. 8. Tydeus, immenſo hoſtium numero undique oppreſſus,

Reſpicit hortantes ſocios, & Pallada fidam,
Longius oppoſita celantem lumina parma:

Ibat

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.

Ho-

Ibat enim magnum lacrimis inflectere patrem.

& L. 9. in caede Parthenopaei:

Talia cernenti mitis subit alta Dianae
Corda dolor, fletuque genas violata, Quod, inquit,
Nunc tibi, quod leti quaeram Dea fida propinqui
Effugium?

& paullo post:

Audiit, & mixto risit Latonia fletu.

libro quoque 2. Silv. 7. Calliope

Sic fata est, leviterque decidentes
Abrasis lacrimas nitente plectro.

Claudianus lib. de bello Gildonico:

sic fata, refusis
Obticuit lacrimis. mater Cytherea parensque
Flet Mavors, sanctaeque memor Tritonia Vestae.

Valerius Cato:

Non Aurora novos etiam ploravit amores.
Atque rubens oculos roseo celavit amictu.

ubi fortasse *velavit* rectius scribi possit. ipse rex Deorum cruentas lacrimas defudit in terram propter filium Sarpedonem, quem Patroclus jam jam erat interempturus, referente Homero L. 16. Iliad. ℣. 464. apud quem & Nereides plorant, & ipsa plorat Thetis, ejusdem operis L. 18. Latonae & Dianae lacrimis pro misero Prometheo inflectitur Jupiter apud Valerium Flaccum, L. 4.

ille, dearum
Fletibus & magno Phoebi commotus honore,
Velocem roseis demittit nubibus Irim.

ploravit itaque Jupiter Propertianus, & veras lacrimas effudit. nam ne hanc quidem partem imbecillitatis humanae alienam ab se putabant Dii poetici. imo, quod insanum mirum, ipsas Furias plorasse apud Papinium lego L. 8. Thebaid. sic enim loquitur ibi terribilis Pluto, cui nefas sit non credere:

Odrysiis etiam pudet, heu, patuisse querelis
Tartara. vidi egomet blanda inter carmina turpes
Eumenidum lacrimas, iterataque pensa sororum.

non tantum sibi indulserat magnus magister L. 4. Georg. in eadem fabula:

Quin ipsae stupuere domus, atque intima Lethi
Tartara, caeruleosque implexae crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora.

nec tantum sibi Romanae fidicen lyrae L. 2. Od. 13.

illis carminibus stupens
Demisit atras bellua centiceps
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues.

quamquam non ignoro aliquanto liberalius hic egisse Nasonem L. 10. Metam.

Tum primum lacrimis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas.

imo ipsum Plutonem, tam severe Furias ore Statii increpantem, tum temporis ubertim flevisse credamus oportet Manilio L. 5. non dicturo, opinor, ni pro compertissimo haberet:

Qua quondam sonitum referens Oeagrius Orpheus
Et sensus scopulis, & silvis addidit aures,
Et Diti lacrimas.

neque abit ab hac sententia Tragicus Romanus Herc. fur. ℣. 579.

Deflent Eurydicen Threiciae nurus,
Deflent & lacrimis difficiles dei;
Et qui fronte nimis crimina tetrica
Quaerunt, ac veteres excutiunt reos,
Flentes Eurydicen juridici sedent.

nescio cur istorum ambitionem praetulerint castigato meliorum judicio duo poëtae Itali, nec sane illi de vulgo, sed qui in orchestra spectant. ita enim flos ille sui aevi M. Ant. Flaminius L. 4. Carm.

Sed citharae si nil prodessent fila canorae:
Movissem fletu numina dura pio.
Vidissens umbrae tenues, regemque superbum
Tisiphonemque malis illacrimare meis.

& Jo. Bapt. Amaltheus:

Exsangues stupuere animae, nec Cerberus ora
Exsulit, & Stygii contremuere lacus.
Flerunt Eumenides, laceroſque Ixionis artus
Sustinuit stabilis vate canente rota.

Et

Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Explevi noctes, fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte,
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim:
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est quod vivat amante,
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc jacere e duro corpus juvat, impia, saxo,
Sumere & in nostras tetra venena manus.

Nunc

Et ante istos miraculum illud hominis Angelus Politianus in Nutriciis, ỳ. 294.

Tum primum lacrimas invita per ora cadentes
Eumenidum, Stygii conjunx mirata tyranni
Indulsit vati Eurydicen.

fidelius Maroni adhaesit vir perfectissimus Hieronymus Amaltheus, Joannis Baptistae frater major:

Qui postquam Averni constitit ad fores,
Et cor ahenum leniit Aeaci,
Flexitque suspensis bibentes
Auribus Eumenides querelam.

& satius erat intra cancellos veteris modestiae continere tam horribile arcanum. Sane Servius, ubi haec enarrat ex quinta Eclog.

Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coruli testes, & flumina Nymphis.

bono judicio scribit: *Bene testimoniis utitur in rebus incredibilibus. nam fletum facile deorum persona non recipit. & bonis usus est gradibus: fleverunt nymphae, quibus insita est naturaliter pietas: homines, ad quos mortis pervenit dolor: pecudes, quae licet ratione careant, tamen non carent sensu: ferae, crudelitate gaudentes. Quam rem rursus, quia incredibilis est, testimonio comprobat, dicens, Hoc & montes loquuntur, & silvae.* sed jam satis dulcium nugarum, quas utinam de musteis sapientibus exaudiat nemo. redeamus in viam.

61. TANTALEA MOVEARE AD FLUMINA SORTE] Scaliger in suo invenerat, *movearis flumina*; & Graecanicam, ut ait, locutionem multis ibi explicat. quae in iterata editione bene omisit. pace Viri summi, *Tantalea sors ad flumina* est Propertiana locutio, & valet idem quod *infelix Tantalus stans in aquis.* sic *virtus Catonis, sapientia Laelii, robur Herculis*, & id genus sexcenta.

70. SUMERE ET IN NOSTRAS TRITA VENENA MANUS] venena teri non est ignotum. sed & colores teruntur, & medicamenta; quae etiam utraque dicuntur *venena.* quare magis mihi placet lectio unius codicis Regii, *tetra venena*, quod & alii jam e suis protulerunt: & habebant primitus cusi. τὸ *trita* valde est languidum: *tetrum* vero dicitur quodcumque est foedum, pollutum, ac nocens, & crudele. Cicero L. 1. Tuscul. Quaest. C. 45. ubi de variis nationum erroribus circa condenda cadavera: *permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus. sed ita tetra sunt quaedam, ut ea fugiat, & reformidet oratio.* proprie vero de venenis dicitur, propter cruciabiles dolores in miseris illis quibus venena data sunt. L. Attius Philoctete, apud Nonium in *imbuere*, & apud Tullium L. 2. Quaest. Tuscul. C. 7.

Cui viperino morsu venae viscerum
Veneno imbutae tetros cruciatus cient.

Lucretius L. 4.

Sic aliis alius nidor datus, ad sua quemque
Pabula ducit, & a tetro resilire veneno
Cogit.

& L. 6.

Est etiam in magnis Heliconis montibus arbos

Nunc licet in triviis sicca requiescere Luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, quum in me senserit esse fidem.

Floris odore hominem tetro consueta necare. Valerius Cato in Diris:

Hinc aurae dulces; hinc suavis spiritus agri
Mittant pestiferos aestus, & tetra venena.

noster infra Eleg. 19.

Tetra venena libent, & naufragus ebibat undas.

Tibullus L. 3. Eleg. 5.

Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit.

Joannes Jovianus Pontanus, primus ille renatae in Italia poësios mystagogus, lib. Meteor. de mephite Ansancti in Hirpinis:

Spiramenta soli quondam tremor ille reclusit,
Exhalat vis unde nocens per viscera terrae
Conflictata diu, tetroque infecta veneno.

73. DOMINAM MUTARE CAVEBO] ita omnes libri, & rectè. Scaliger suspicabatur, *dominae mutire*: sed in editione altera sprevit. mirificum vero acumen Jo. Isacii Pontani, *dominam futare* hic nobis concinnantis L. 2. Analect. C. 2. vulgatam ex ipso Propertio rectè stabiliverunt Passeratius, & Gebhardus nec repeto. Bene ad rem Lucretius L. 5.

Nam gaudere novis rebus debere videtur,
Quoi veteres obsunt.

id noster quo minus faciat, dicit in caussa esse constantiam sui amoris: atque adeo inde frugem sibi uberem pollicetur.

74 QUUM IN ME SENSERIT ESSE FIDEM] vulgatae, *quum mi*; quod quare Gebhardus melius putet, non video. omnes libri consentiunt, *quum in me*, etiam ii quibus ille usus. Virgilius Ecl. 3.

Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla.

Ovidius Epist. Oen.

Et minus est in te, quam summa pondus arista.

idem Epist. Sapphus:

Est in te facies, sunt apti lusibus anni.

Corn. Nepos Eumen. C. 2. *Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, quod in homine fidem & industriam magnam videbat.* idem purissimus scriptor Alcib. C. 1. *ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem.* Cicero orat. pro Plancio C. 23. *magnae sunt in te opes, late patet gratia, multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae.* C. 25. *nihil in eo, nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam esse curamus.* C. 26. *non modo confiteor summa in Laterense ornamenta esse,* &c. C. 29. *an fuisse in iis aliquem aut famae metum, aut poenae?* pro Milon. C. 26. *Vide quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicis.* ibid. C. 29. *Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit.* pro C. Rabir. Post. C. 1. *Si exstitisset in rege fides, nihil sapientius Postumo. quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur.* ibid. C. 2. *Cujus in negotiis gerendis magnitudinem animi non tam homines probassent, nisi in eodem benignitas incredibilis fuisset.* Philipp. II. C. 1. *perspeximus enim, quanta in iis, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesse immanitas.* ibidem C. 7. *dixit, & in fratre suo summam esse virtutem, summumque consilium.* Philipp. II. C. 27. *cum L. Scipioni, Publii f. obvenisset Asia, parumque in eo putaretur esse animi, parum roboris.* Philipp. 13. C. 7. *Quamquam enim est tanta in te auctoritas, quanta debet in homine nobilissimo, tamen senatus ipse se non contemnit.* I. de Offic. 8. *in quibus autem major est animus, in iis pecuniae cupiditas spectat ad opes, & ad gratificandi facultatem.* vide ibidem C. 17. p. 62. & II. de Offic. 24. p. 275. de Amicit. C. 22. p. 521.

XIV.

Assiduae multis odium peperere querelae.
Frangitur in tacito femina saepe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato:
Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.
Quid si jam canis aetas mea caneret annis?
Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum saepe suis decedens fovit in ulnis,
Quam prius abjunctos sedula lavit equos.
Illum ad vicinos quum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illa Deos, currum conscendens, dixit iniquos:
Invitum & terris praestitit officium:
Cui majora senis Tithoni gaudia vivi,
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.

Cum

7. Aetas mea caneret annis Et faceret scissas] *caneret* habent nostri libri, & Colbertini, cum Borrichiano. recte. *faceret* est in iisdem, nec non in Regiis. *candeat*, & *faciat*, praefert Groninganus: illud etiam Regii. *canere* autem, ut Scaliger monuit, utraque conjugatione usurpabant antiqui. sic & *cavere*, & *fervere*, & innumera alia.

11. Illum saepe suis decedens fovit in ulnis] *decedere* proprie dicitur de praesidibus provinciarum, post expletum tempus munere suo abeuntibus. id perquam venuste transtulit noster ad Auroram, quae de coelo decedit succedente Sole. Virgilius L. 1. Geor.

Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae.

Servius: *cum Coronae pars oritur, occidit Taurus, in quo Vergiliae sunt.* DECEDAT *autem non pro occasu dixit, sed Soli cedat, quo in Scorpione posita cum ortu ipsius oritur.* Aurora, puella formosissima, tanto desiderio tenetur veteris sui Tithoni, ut confecto itinere matutino prius ad eum festinet complectendum, quam pulverem ac sudorem abluat equis suis abjunctis. accipe nunc interpretationem novi Commentatoris Galli: *Haec ipsum frequenter, abire parata, inter brachia sua calefecit, antequam festinans equos suos dejunctos ablueret.* Marollius verterat: *elle le rechauffe entre ses bras, avant que ses soins l'obligent de laver ses chevaux, qui ne sont pas encore attelez.* & quisquam negabit istis hominibus acetum esse acre in pectore?

17. Cum majora senis] Passeratius *cum* accipit pro *quandoquidem.* atqui Scaliger jam tunc ediderat *cui*; quod verum est, & ego etiam in quinque libris inveni. noster primus habet *qui*, & Borrichianus item: quod tantumdem valet juxta labentium temporum scripturam; interdum quoque pro *quoi* ponitur. *Cui*, codices Gebhardi.

Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canae toties oscula ferre comae.
At tu etiam juvenem odisti me perfida, quum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die:
Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus:
Frater ego, & tibi sim filius unus ego.
Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.

An

20. ET CANAE TOTIES OSCULA FERRE COMAE] *ferre genae*, est in Groningano. id Palmerius calide probavit, credo quia abibat a recepta lectione. sed *comae* est in omnibus reliquis membranis: itaque minime mutandum, utpote quod affectum exprimat multo ardentiorem quam istud *genae*, & jam a Passeratio firmatum sit ex Apulejo L. 2. Metam. cujus ecce verba: *Nec diutius quivi tantum cruciatum voluptatis eximiae sustinere: sed protinus in eam qua fine summum cacumen capillus ascendit, mellitissimum illud savium impressi.* plura sunt in eodem libro: *Vesperi quoque cum somno concederes, & in cubiculum te deduxit comiter, & blande lectulo collocavit, & satis amanter cooperuit: &, osculato tuo capite, quam invita discederet, vultu prodidit. — — Sed quid ego de ceteris ajo? cum semper mihi unica cura fuerit caput capillumque sedulo publice & prius intueri, & domi postea perfrui. — — ut mihi morem plenius gesseris, ineffusum laxa crinem, & capillo fluenter undante, ede complexus amabiles.* ac L. 3. *Adjuro per dulcem istum capilli tui nodulum, quo meum vinxisti spiritum.* expressit Titinnium, veterem comicum: *Laudor, quod osculavi privignae caput.* Haec sunt saniora quam istaec Theophili, exprimere opinor volentis, Apuleji *capillum fluenter undantem*:

Je baigneray mes mains folatres
Dans les ondes de tes cheveux:
Et ta beauté prendra les voeux
De mes oeillades idolatres.

quem tamen longe post se reliquit Minozzi, poetae Itali, horribilis elegantia, ex undis comarum diluviem facientis:

Versa dal biondo crin diluvi d'oro,
In cui veggio nuotar su l'aria alteri
I faretrati arcieri,
E bearsi in quel pendolo tesoro.

aliquanto modestius Franciscus Malherba L. 3.

Si vos yeux sont toute sa braise,
Et vous la fin de tous ses voeux;
Peut-il pas languir à son aise
En la prison de vos cheveux?

22. CUM SIS IPSA ANUS HAUD LONGA CURVA FUTURA DIE] pariter infra Eleg. 23.

Appia cur toties te via ducit anum?

lib. autem 3. Eleg. 23, ominatur ei atque imprecatur imminens brevi senium & dispendium formae. itaque tum nondum erat anus. neque colligi potest ex lib. 4. Eleg. 7, Cynthiam fuisse tam provectae aetatis, quum moreretur. est autem valde inurbana ferocia, senium exprobrare puellae amatae. prudentius amorum magister Art. L. 2.

Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
Consule: quae rigidus munera Censor habet.
Praecipue, si flore caret, meliusque peractum
Tempus, & albentes jam legit illa comas.

quam sit hoc amarum mulierculis detriti floris, saepe videas apud Horatium. inprimis vero L. 1. Od. 25. & L. 4. Od. 13. quae est tota aurea.

25. INFECTOS DEMENS IMITARE BRITANNOS] invidiose in Britannos transfert fucum Romanis matronis domesticum, multo antequam de Britannis inaudissent earum viri. Charisius L. 1. *muliebre ministerium cinerarius dicitur. nam Cato in Originibus, Mulieres, inquit, nostrae capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset crinis.* Valerius Maximus L. 2. C. 1. *Ceterum ut non tristis earum & horrida*

pudi-

An si caeruleo quaedam sua tempora fuco
  Tinxerit, idcirco caerula forma bona est?
Ut natura dedit, sic omnis recta figura.
  Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellae,
  Quae mentita suas vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri,
  Mi formosa sat es, si modo saepe venis.

Ipse

pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti & multa purpura usae sunt: & quo formam suam concinniorem efficerent, summa cum diligentia capillos cinere rutilarunt. sed noster opinor ad glastum respexit, cujus usum illae veteres ignorabant. vide Caesarem L. 5. Bel. Gall. C. 14. Plinium L. 22. C. 1.

30. TURPIS ROMANO BELGICUS ORE COLOR] modo habuimus *infectos Britannos.* Itaque *Belgicus* color idem est qui *Britannicus:* non propter viciniam, ut Passeratius putabat, sed propter originem. Caesar L. 5. Bel. Gall. C. 12. *Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt. maritima pars ab iis, qui praedae ac belli inferendi caussa ex Belgio transierant, qui omnes fere iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere coeperunt.* sic noster supra Eleg. 1. esseda *Britanna* vocat, quae Virgilius *Belgica* vocaverat L. 3. Georg. Junius Philargyrius *Gallica* exponit. quae tamen omnia eodem redeunt.

31. ILLI SUB TERRIS FIANT MALA MULTA PUELLAE] apud inferos. eos autem statuebant intra globum telluris, sive in medio terrarum, ut Servius loquitur ad L. 6. Aen. ubi exponit Virgilii TELLURIS OPERTA, adducto illo Juvenalis loco ex Sat. 2.

Esse aliquos manes; & subterranea regna.

sic & Lucanus opinabatur L. 6.

Haud procul a Ditis caecis depressa cavernis
In praeceps subsedit humus.
- - - - - - - - - - - - -
moestum mundi confine latentis,
Ac nostri: quo non metuunt emittere manes
Tartarei reges.

ostendit deinde re ipsa non magnum esse intervallum:

Perque cavas terrae, quas egit carmine, rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.

infra inferos erant Tartara, ipsis etiam Stygiis Diis horrenda. aliquanto sapientius Cicero L. 1. Tuscul. Quaest. C. 16. *Sed ut deos esse natura opinamur, qualesque sint, ratione cognoscimus; sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium: qua in sede maneant, qualesque sint, ratione discendum est. cujus ignoratio finxit inferos, easque formidines, quas tu contemnere non sine causa videbare. in terram enim cadentibus corporibus, hisque humo tectis, e quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt: quos auxerunt poëtae.*

34. MI FORMOSA SATIS] Nic. Heinsius legebat, *Mi formosa sat es*, Notis ad Ovid. L. 2. Art. Amat. ℣. 11. laudo, & sequor. deinde, *si modo saepe venis*, perperam a Scaligero expositum, rectius interpretatur: est enim *venire* honestum verbum in re stupri, Propertio admodum familiare. viderat & Passeratius. τὸ *venire* ad faventes ac praesentes Deos transtulit Papinius L. 5. Silv. 1.

Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux,
Longa, nec obscurum finem latura, perenne
Tentamus dare justa lyra: modo dexter Apollo,
Quique venit juncto mihi semper Apolline Caesar,
Annuat.

& Martialis L. 8. Epigr. 1.

Laurigeros domini liber intrature penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.

Nuda

Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famae.
Et terram rumor transilit, & maria.

Nuda recede Venus: non est tuus iste libellus.
Tu mihi, tu, Pallas Caesariana, veni.

36. NEC NIMIS ORNATA FRONTE SEDERE VELIS] valde absurda comminiscitur Passeratius in sensu τοῦ *sedere*. ego puto simpliciter accipiendum, sedere in thalamo, ut mulieres solent. Terentius Eunuch. Act. 3. Sc. 5.

dum apparatur, virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quamdam pictam.

Corn. Nepos praefat. *neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum: neque sedet nisi in interiore parte aedium.* Ovidius L. 6. Fastor.

Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit.

noster L. 4. Eleg. ult.

Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit & nostro cauta noverca toro.

& L. 3. Eleg. 10.

Nec frustra: quia casta domi persederat uxor.

Laberius in Compitalibus:

Nunc lentus es tu, nunc tu susque deque fers;
Materfamilias tua in lecto adverso sedet.

Valerius Flaccus L. 6. ỳ. 486.

at cetera muros
Turba tenet, fruiturque virûm coelestibus armis.
Tu thalamis ignara sedes, tu sola paterna
Fixa domo?

Ovidius Epist. Helenae:

Si non est ficto vultus mihi tristis in ore;
Nec sedeo duris torva superciliis.

Epist. Deianirae:

Diceris & Coas sedisse in veste puellas.

Catullus Carm. 48.

Ille mi par esse deo videtur;
Ille, si fas est, superare divos;
Qui sedens adversus identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem.

vides hic Lesbiam in thalamo sedentem, & cum suo sibi amatore suaviter garrientem.

XV.

ETsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
Laetor, quod sine me devia rura colis.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatae somnus amarus erit.

Sola

2. COLIS] f. Coles.

4. NON SINIT ESSE PROBAM] *sinit* ἀρχαϊκῶς pro *sinat*; Scaliger, Passeratius, & Gebhardus, e suis membranis. sic *edit* est, pro *edat*, apud Horatium Epod. 3. ỳ. 3. ubi videndi Lambinus ac Torrentius. in nostris omnibus est *sinat*. quod ego sequendum duxi prae archaismo non necessario, & quem Ovidius in hoc ipso verbo semper evitavit. quid, quod vero simile est, fuisse aberrationem librarii: nam in aliis libris *sinet* legebatur. etiam primitus cusi *sinat* habent.

5. NULLA NEQUE ANTE TUAS ORIETUR RIXA FENESTRAS] gemina negatio pro una. sic & Minucius Felix: *Haec & hujusmodi propudia nobis non licet nec audire: etiam pluribus turpe defendere est.* Lucretius L. 5.

Ne forte ex homine & veterino semine equorum
Confieri credas centauros posse, neque esse.

Virgilius Eclog. 5.

Non ulli pastos illis egere diebus

Frigida,

Sola eris, & solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus, & fines pauperis agricolae.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi:
Fanaque peccatis plurima caussa tuis.
Illic assidue tauros spectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas.
Atque ibi rara feres inculto tura sacello,
Haedus ubi agrestes conruet ante focos.

Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
ita & Vir summus Hieronymus Fracastorius Syphil. L. 3.
Et juvet haud umquam nostrorum aetate parentum
Visa prius, nullive umquam memorata referre.
non est hoc valde rarum: sed monendum erat, ne quis crederet meliorem esse lectionem codicis Comeliniani apud Gebhardum, *Ulla neque ante tuas.*

7. Solos spectabis, Cynthia, montes] *soli* montes, sunt solitarii, ubi nulla hominum frequentia. noster paullo post:
Sic me nec solae poterunt avertere silvae.
Tibullus L. 1. El. 1.
Ipse boves, mea sim tecum modo Delia, possim
Jungere, & in solo pascere monte pecus.
Terentius Phorm. Act. 5. Sc. 7.
Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier
In solas terras?
contra *solitarius* Apulejo notat solum, sive unum, nullo alio homine comitatum. L. 3. Metam. *Nec enim verisimile est hominem solitarium tres tam validos evitasse juvenes. prohinc tormentis veritas eruenda.*

12. Et vitem doctam ponere falce comas] Scaliger nos jubet *doctam* legere: quod defendi potest, junctum cum verbo *ponere.* Juvenalis Sat. 1.
doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.
sed nostri libri omnes habent *docta*, & editiones primae. *docta falx* est falx docti & periti putatoris. Ovidius L. 1. Art. Amat. *doctam manum* dixit ad eumdem modum:
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Tibullus L. 2. Eleg. 1.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!

13. Rara feres inculto tura sacello] tura dabis sacello rustico, in quo non dantur frequenter, nisi quum urbanis libuit rusticari. agricolae enim verbenis defungebantur. Sacella autem in fundis suis habebant fere homines lautiores. Cicero pro Milon. C. 31. *Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae Deae, quod est in fundo T. Sextii Galli, in primis honesti & ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam Deam, cum praelium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo taeterrimam mortem obiret.* Plinius Caecilius L. 9. Epist. 39. *Aruspicum monitu reficienda est mihi aedes Cereris in praediis in melius, & in majus. Vetus sane, & angusta, quum sit alioqui stato die frequentissima.* Apulejus Apolog. *iste vero nec Diis rurationis, qui eum pascunt ac vestiunt, segetis ullas, aut vitis aut gregis primitias impartit: nullum in villa ejus delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus.*

14. Hoedus ubi agrestes conruet ante focos] *Hoedus* per *oe* ut scribatur, usum ajunt obtinuisse: & vero ita scribi debere contendit Claudius Dausquius, volumine secundo Orthographicorum, tractatu octavo. contra stant libri veteres; & Varronis locus, Aldo Manutio ac Vossio in Etymologico adductus, lib. 4. de L. L. *Hircus, quod Sabini fircus, & quod illic fedus, in Latio rure hedus, quod in urbe, ut in multis, a addito haedus.* illam ruris Latii scripturam servant membra-

Protinus & nuda choreas imitabere sura,
  Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor. jam nunc me sacra Dianae
  Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
  Cornua, & audaces ipse monere canes.
Non tamen ut vastos ausim temerare leones,
  Aut celer agrestes cominus ire sues.

Haec

nae Horatii, plus semel laudatae: in quibus semper *hedus* sine diphthongo. sed praestat sequi Varronis doctrinam. Haedum hic Fauno immolari ait Passeratius, idque ex Horatio probat, L. 1. Od. 4.

Nunc & in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit haedo.

& L. 3. Od. 18. quae est ad Faunum:

Si tener pleno cadit haedus anno.

bina erant Faunalia: priora sub initium veris, idibus Februariis, de quibus Horatii locus prior intelligendus. Ovidius L. 2. Fast.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.

id est, in insula Tiberina. altera brumae initio, nonis Decembribus. Horatius L. 3. Od. 18.

Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi nonae redeunt Decembres:
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus.

harum tempestatum neutrâ, credibile est, Cynthiam voluisse rusticari. itaque satius videtur ut Fontinalia intelligamus; quae erant tertia decima die Octobris; uti videre est in insigni illa tabula fastorum Kalendarium apud Gruterum Inscript. p. CXXXIII. quam ego contuli cum emendatissimo autographo eruditissimi Viri Stephani Vinandi Pighii nostratis. Fontibus autem fiebat hoedo. Horatius L. 3. Od. 13.

O Fons Blandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & praelia destinat.

huc facit ara marmorea, Romae olim ad portam Capenam, cujus epigramma Gruterus habet, XCIII. II. in ejus arae dorso haedi caput insculptum erat, eo quod esset Nymphis Fontanis sacra. observavit idem ille insignis Pighius praefatione in L. 7. Annal. Roman.

15. NUDA CHOREAS IMITABERE SURA] *choreae* sunt Nymphae choreas ducentes. Guyetus audacter reponit *choreas meditabere*, immemor Virgiliani istius Ecl. 5.

Saltantis Satyros imitabitur Alphesiboeus.

Ecl 2.

Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.

17. SACRA DIANAE SUSCIPERE] ita & Cicero loquitur, interrog. in Vatin. C. 6. *cum inaudita ac nefaria sacra susceperis*, &c. quum sis initiatus sacris nefariis.

20. AUDACES IPSE MONERE CANES] *movere* quidam libri. male. *monere* est in Groningano, quod valet *hortari*, ut bene observat & exponit Gebhardus. agnoscunt etiam primae editiones. eruditissimus Andr. Schottus L. 1. Obs. Human. C. 12, ubi priorem hujus distichi partem docte interpretatur, ita laudat pentametrum,

Audaces ipse movebo feras.

decepit optimum virum sua memoria: quod saepe accidit, non inspecto libro.

21. VASTOS AUSIM TENTARE LEONES] multo elegantior lectio est libri Groningani, *temerare leones*. *temerare*, periculosa & temeraria audacia aggredi, violare, & quasi superbe contemnere. Ovidius Epist. Helenae,

Ausus es, hospitii temeratis advena sacris,
Legitimam nuptae sollicitare fidem.

& L. 2. Metam.

An, quae per totam res est notissima Lesbon,

Nec

Haec igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, & structo figere avem calamo:
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves.

Tu

Non audita tibi est? patrium temerasse cubile
Nyctimenem?
& L. 7.
Constat & in fontes vitium venisse, lacusque;
Miliaque incultos serpentum multa per agros
Errasse; atque suis fluvios temerasse venenis.
& L. 2. Amor. Eleg. 14.
Si Venus Aenean gravida temerasset in alvo;
Caesaribus tellus orba futura fuit.
& Fastor L. 6.
Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos
Hoc Duce: nec viva defodietur humo.
Papinius L. 3. Thebaid. loco nimis quam elegante:
Mons erat, audaci seductus in aethera dorso,
(Nomine Lernaei memorant Aphesanta coloni)
Gentibus Argolicis olim sacer: inde ferebant
Nubila suspenso celerem temerasse volatu
Persea, cum raptos pueri perterrita mater
Prospexit de rupe gradus, ac paene secuta est.
τὸ *temerare* etiam Palmerius probaverat in Spicilegiis. Sed quid fiet τῷ *leones*? illi certe in Italia nulli erant. credo mendum latere in hac voce, atque aliam aliquam feram fuisse nominatam, cujus venatio sit periculosa, itidem ut aprorum.

24. STRICTO FIGERE AVEM CALAMO] Beroaldus monet, calamum aucupatorium viscatum intelligi, quem vocabant *crescentem arundinem*. quo etiam videtur spectare τὸ *structo*, quod in suis membranis invenit Passeratius. *Figere avem structo calamo*, (ita enim legit) Salmasius exponit de calamo aucupatorio, vel crescente arundine, quae aves tangebat ac veluti fixas vinctasque capiendas dabat, Exercit. Plinian. p. 83. 765. editionis recentatae. ut *figere* hic sit *desigere*, & illigatam visco reddere immobilem. Valerius Flaccus L. 6. admodum belle describit hoc aucupii genus:
Qualem populeae fidentem nexibus umbrae,
Si quis avem summi deducat ab aëre rami,
Ante manu tacita cui plurima crevit harundo;
Illa dolis viscoque super correpta sequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.
quae postrema verba habent aliquid Senecae, L. 3. de ira C. 16. *Sic laqueos fera dum jactat, adstringit: sic aves viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.* videndus & Gonsalius de Salas ad Petron. p. 264. qui tamen hunc locum capit de venatione quae aves arundine transfixas dejicit. miror. fere enim quaecumque adfert, spectant ad arundines viscatas. neque aliter intelligendum arbitror nostrum Aurelium L. 3. Eleg. 11. ℣. 46.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo praemia, sive cane.
& vidit ante me Douza Schediasm. succid. p. 68. nec tamen plene vidit.

25. CLITUMNUS FLUMINA LUCO INTEGIT] Junius Philargyrius in Virgil. L. 2. Geor. *Clitumnus & deus & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt.* dicebatur & *Jupiter Clitumnus*, ut ex Vibio Sequestro docet Turnebus L. 20. Adv. C. 26. mihi autem Vibius dicere videtur, (quod cum pace Turnebi fiat) apud Clitumnum esse templum Jovis, qui a loco nominetur *Jupiter Clitumnus.* sic enim loquitur: *Clitumnus Umbriae, ubi Jupiter eodem nomine est.* qua ratione τὸ *Clitumnus* fuerit adjectivum, ut *Clitumna novalia* apud Papinium L. 1, Silv. 4. Sane Dii sua saepe cognomina sortiebantur a locis, in quibus praecipue honore colerentur. sic *Jupiter Anxurus*, *Jupiter Capitolinus*, in Historiis atque Inscriptionibus; *Juno Lacinia*; *Apollo Sandalarius*; *Hercules Saxanus*, *Tiburtinus*, *Epitrapezius*; quaeque alia sunt hoc genus sexcenta. Clitumni aedem sacram, marmoream, & antiquissimam, more Corinthio pulcerrime constructam, memorat ac describit Steph. Vinandus Pighius in Her-

 cu-

Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solae poterunt avertere silvae,
Nec vaga muscosis flumina fusa jugis:
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit.

cule Prodicio, p. 272. quae an eadem sit quod exiguum illud templum e marmore candido, structurae Corinthiae, quod descripsit nuper Maxim. Misson, Itineris Italici parte 1. Epist. 20, lectori expendendum relinquo. certe non potest esse *templum* illud *priscum & religiosum* cujus meminit Plinius Caecilius L. 8. Epist. 8. quem locum noli committere quin consulas. unice enim huc facit.

26. NIVEOS ABLUIT UNDA BOVES] Philargyrius, loco laudato: *Clitumnus amnis est Umbriam a Tuscia dividens. significat autem boves Mevanienses, qui sunt albi.* de Clitumni aqua multi multa. Tu Passeratium hic vide, & Barthium ad Papin. L. 1. Silv. 4. ỳ. 129. alii fluvii alio colore armenta tinguebant. videndus Vitruvius L. 8. C. 3. Seneca L. 3. Nat. Quaest. C. 25.

27. TU QUOTIES ALIQUID CONABERE] τὸ *aliquid*, & *conabere*, verba esse stupri dicit Passeratius. nec poterat pejus. Silvius: *o mea lux, quotiescumque rem aliquam aggredieris.* nimirum Marollius verterat: *pour toy, ma chere vie, toutes les fois que tu auras le dessein de faire quelque chose.* dicendum erat; Quotiescumque parabis inclementer mihi dicere, quia videar tibi Romae inutiles moras nectere, memento, &c. *aliquid cenari* dixit; pro *male precari*, more & sermone Romano, abstinente verborum inominatorum.

32. ABSENTI NEMO NON NOCUISSE VELIT] *ne nocuisse* est in sex libris; uno Livineji; unoque Gebhardi. id esset, verbis Catulli, *ne quis malus invidere possit*; ne qua lingua fascinatrix possit nocere tibi absenti.

XVI.

QUid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude Deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?

5. Non

3. QUIDVE MEA DE FRAUDE DEOS, VESANA, FATIGAS] *insana* est in omnibus libris. parum interest. *fatigas*, molesta es, obtundis, enecas. Valerius Flaccus L. 4.

Exis ubi e scopulis, media inter pabula diri
Vulturis, ipse etiam gemitu moestaque fatigat
Voce Jovem.

Papinius Thebaid. L. 2.

Certant laetitia, superosque in vota fatigant
Inachidae.

Lutatius: FATIGANT. *diu invocant. unde Heratius,*

prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?

iterum Papinius L. 9.

Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, surdasque fores & limina lassat.

Lutatius: *rogando fatigat. ut Heratius: prece qua fatigent*, &c. creber est in hoc verbo Justinus. cujus singulos locos coacervare nihil est necesse.

Non tam nocturna volucris funesta querela
  Attica Cecropiis obstrepit in foliis:
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
  Sollicito lacrimas depluit e Sipylo.

7. NEC TANTUM NIOBE BIS SEX AD BUSTA SUPERBA
SOLLICITO LACRIMAS DEPLUIT A SIPYLO.

locus varie adfectus, & multorum manus expertus. videamus singula. *tantum* agnoscunt omnes libri; uti & *lacrimas*; nec minus *defluit* quomodo & primae editiones. Nimis audacter Palmerius: *e libro Pesthii repono: lacrimas depluit a Sipylo.* quod Nic. Heinsium in fraudem induxit, quasi in eo libro exstaret τὸ *depluit*. non. ille nihil discrepat a reliquis, & *defluit* palam praefert, quod mihi, qui plus semel omnes literarum ductus examinavi, tuto credere potes. quin tamen verum sit *depluit*, nihil ambigo. pro *a* legit Heinsius *e*. recte. pro *lacrimas*, *lacrimae* reponit, exemplo Maroniano, L. 4. Georg.

Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.

& bene corrigit errorem Passeratii, *depluere* significare credentis finem pluviae, ut *detonare*, *degrandinare*, Notis ad L. 1. Metam. ℣. 572. ita ut totum distichon scribatur hoc modo:

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimae depluit e Sipylo.

depluere etiam Scaliger edidit, quamquam omisit monere. *De* autem particula auget saepe atque intendit vim verborum, quibus praeponitur, Statius L. 3. Thebaid.

Tunc me sanguineo late defervere campo,
Res super Argolicas haud sic dejecta, videbis.

& L. 9.

Nota per Arcadias felici robore silvas
Quercus erat, Triviae quam desacraverat ipsa.

Horatius L. 1. Od. 9.

Permitte Divis cetera: qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Depraeliantes, nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.

& L. 1. Epist. 3.

An tragica desaevit & ampullatur in arte?

& Art. Poët.

Interdum tamen & vocem Comoedia tollit;
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

verum istud, *tantum lacrimae*, nescio quomodo non placet. quamquam *cum magna lacrima* legitur in lapide Hispaniensi apud Gruterum, DCC. 13.

T. PLAVTIO. P. F. DE. MVNICI
PIO. ATTACEN. OPTIME. ME
RITO. ET. XXXVIII. AET. ANN.
E. VITA. SVBLATO. TOTO. POP
CVM. MAGNA. LACRI. FVNVS
PROSEQ.
QUINTIA. PAVLINA. MATER

de qua locutione viderint doctiores. & potest ut hunc lapidem sua excuset aetas. rectius *plurima lacrima* apud Horatium legitur L. 1. Epist. 17. mihi sic videbatur:

Nec tantas Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimas depluit e Sipylo.

tantas, id est, *tot*; idque ex imitatione Graeci sermonis. in qua noster plurimus est. Seneca Oedip. ℣. 604.

Non tot caducas educat frondes Eryx,
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Cum examen alto nectitur densum globo:
Fluctusque non tot frangit Ionium mare;
Nec tanta gelidi fugiens Strymonis minas
Permutat hiemes ales, & coelum secans
Tepente Nilo pensat Arctoas nives:
Quot ille populos vatis eduxit sonus.

Lucanus L. 9.

numquam se tanto vulture coelum
Induit, aut plures presserunt aëra pennae.

Valerius Flaccus L. 5.

Quin age; quid tantae coëunt in foedera gentes?
Quid tuus Aesonides?

Plautus Amphitr. Act. 5. Sc. 1.

quid agam nescio.
Ita tanta mira in aedibus sunt facta.

& Casin. Act. 3. Sc. 5.

Tanta facta modo mira veris modis intus vidi

Me licet aeratis adstringant brachia nodis;
Sint mea vel Danaës condita membra domo:
In te ego & aeratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaës transiliamque domum.
De te quodcumque, ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis;
(Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum.
Septima jam plenae deducitur orbita Lunae:
Quum de me, & de te compita nulla tacent.
Interea nobis non numquam janua mollis,
Non numquam lecti copia facta tui.

Nec

Lucius Septimius L. 3. C. 25. *Nonne adhuc persenserunt, eamdem caussam exstitisse tantorum funerum?* videndus Ant. Augustinus L. 2. Emend. C. 1. & Stewechius Com. ad L. 3. Vegetii C. 5. ubi memineris perperam laudari Ant. August. C. 5: etiam in luculenta illa editione P. Scriverii. sequitur, *bis sex ad busta*; quomodo omnes nostri. in quibusdam libris lectum fuisse, *bis septem ad busta*, testatur Beroaldus. quem super numero liberorum Niobes consulere potes, (mire enim variant poëtae, & mythologici, ac grammatici veteres) uti & Passeratium. quibus adde, si tanti putabis has nugas, Lutatium, antiquum interpretem Statii, ad L. 3. Theb. ℣. 191. ad L. 6. ℣. 125. ad L. 7. ℣. 352. ac Jo. Bernartium Scholiis ad L. 3. Theb. ℣. 198. v. Aelianus XII. Var. Hist. 36. Hyginus Fab. 11. hic Munckerus p. 29. b. Delrius Adv. in Senec. Oedip. ℣. 613. p. 54. & Com. p. 124. istud *lacrimans* quod vulgatas insedit, primum comparuit in editione Beroaldi, nescio an ipsius culpa. in omnibus scriptis, ut monui, *lacrimas* legitur liquidis literis exaratum. dixi quid mihi visum fuerit super hoc loco tam varie vexato: nunc autem subit, posse servari lectionem receptam, si τὸ *tantum* sumatur adverbialiter pro *tam ubertim*. Certe quidem ad eam faciem *multum* dixit Virgilius, pro *ubertim*, L. 3. Aen.

Agnoscitque suos, laetusque ad moenia ducit,
Et multum lacrimas verba inter singula fundit.

Servius: *ordo est, Lacrimas multum fundit inter verba singula. nam si* LACRIMANS *dixeris, quid fundit?* Sed & *tantum* apud eumdem poëtam sic erit capiendum L. 4. Geor. in versu jam laudato,

Nec de concussa tantum cadit ilice glandis,

siquidem vera est Probi grammatici observatio in Catholicis: *quidam addunt* glans glandis: *sed & haec* glandis *nominativo posuit Virgilius*. cogitabunt doctiores, quorum haec ego judiciis vel cadere volo vel stare.

11. IN TE &c.] elegans usus est hujus praepositionis. Cicero pro Milon. C. 23. *Miseros interdum cives, optime de republica meritos, in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur!*

Nec mihi muneribus nox ulla eſt emta beatis.
  Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Quum te tam multi peterent, tu me una petiſti.
  Poſſum ego naturae non meminiſſe tuae?
Tunc me vel tragicae vexetis Erynnies, & me
  Inferno damnes, Aeace, judicio.
Atque inter Tityi volucres mea poena vagetur:
  Tumque ego Siſyphio ſaxa labore geram.
Nec tu ſupplicibus me ſis venerata tabellis.
  Ultima talis erit, quae mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo jus eſt, quod ſolus amator
  Nec cito deſiſto, nec temere incipio.

28. NATURAE NON MEMINISSE TUAE] tam facilis, tam benignae. *natura* hic eſt indoles, ingenium. Corn. Nepos Alcib. C. 1. *ut omnes admirarentur, in uno homine tantam ineſſe diſſimilitudinem, tamque diverſam naturam.* idem Attic. C. 5. *habebat avunculum Q. Caecilium, equitem Rom. familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura.* Cicero L. 3. Epiſt. 8. ad Appium: *etſi de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid poſterior annus, propter quamdam triſtitiam temporum.* idem *bonitatem naturae* vocavit, orat. poſt reditum in ſenatu C. 10. *quo tempore quantam vim naturae bonitas haberet, & vera nobilitas, intelligere potuiſtis.* etiam cum *conſuetudine* jungit, quae eſt quaedam quaſi altera natura. pro Milon. C. 14. *Reliquum eſt, ut jam illum natura ipſius conſuetudoque defendat: hunc autem haec eadem coarguant: nihil per vim umquam Clodius, omnia per vim Milo.* de Amicit. C. 23. *Quin etiam ſi quis ea aſperitate eſt & immanitate naturae, congreſſus ut hominum fugiat atque oderit,* &c.

31. INTER TITYI VOLUCRES] & hic multum diſcrepant fabulatores; aliis unum, aliis binos vultures ponentibus. immanis eſt hyperbole Papinii L. 11. Thebaid. ipſo initio:

Quantus Apollineae temerator matris Averno
Tenditur: ipſae horrent, ſi quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immenſaque membra jacentis
Spectant, dum miſerae creſcunt in pabula fibrae.

Lutatius: VOLUCRES. *ſecundum Homerum, qui dicit, viſcera Tityonis gemino vulture exedi; non uno, ut Virgilius dicit.* admodum bona ſunt quae huc facientia Lucretius habet L. 3. ℣. 999.

35. HOC MIHI PERPETUO JUS EST] Lipſius legebat *perpetuum*, L. 2. Var. Lect. C. 12. quod quamvis Paſſeratio non perſuaſit, mihi facile probatur. neque tamen ignoro ſcripſiſſe ad iſtum modum Corn. Nepotem in Miltiade: *Quibus rebus fiebat, ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miſerant; quam illorum, cum quibus erat profectus.* ſed is ipſe paullo poſt dicit: *Ejus pontis, dum ipſe abeſſet, cuſtodes reliquit principes, quos ſecum ex Ionia & Aeolide duxerat. quibus ſingulis ipſarum urbium perpetua dederat imperia.* tale eſt noſtri *jus perpetuum* in animi ſui motus. atque ita Cicero locutus eſt Accuſ. 3. in Verr. C. 91. *Quae eſt iſta conditio Siciliae? cur, quae optimo jure propter vetuſtatem, fidelitatem, propinquitatem eſſe debet, huic praecipua lex injuriae definitur?* quamquam apertius fore *huic praecipue* putabat Franc. Hottomannus. vide Servium in L. 11. Aen. ℣. 583. hi autem duo verſus (quod miror) abſunt a codice Groningano. minorem eleganter extulit Paullus Manutius, homo omnium Italorum diſertiſſimus, L. 7. Epiſt. 1. *Noli vereri, ne illi ex animo effluas. non enim is eſt, qui vel temere amet, vel temere amare deſinat. novi judicium in deligendis hominibus: novi con-*

ſtantiam in tuendis. eam in Auguſto virtutem Suetonius memorat cap. 66. *Amicitias neque facile admiſit, & conſtantiſſime retinuit.* venuſtiſſime ad ſuam in amando conſtantiam traduxit, petitis de noſtro poeta coloribus, Franciſcus Malherba Poëmat. L. 5.

Je ne reſſemble point à ces foibles eſprits,
Qui bien-toſt delivrez, comme ils ſont bien-toſt pris,
En leur fidelité n'ont rien que du langage;
Toute ſorte d'objets les touche égalememt;
Quant à moy, je diſpute avant que je m'engage,
Mais quand je l'ay promis j'aime eternellement.

quos verſiculos eo adſcripſi lubentius, quod ſciebam vix ullos alios aeque ſe probaſſe ſuo auctori: quamquam in eo non habuit ſibi adſentientem interpretem ſuum Aegidium Menagium.

XVII.

AT quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne ſit amica Venus.
Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcer amator habet.
Tot noctes periere. nihil pudet? adſpice, cantat
Liber: tu nimium credula ſola jaces.
Et nunc inter eos tu ſermo es: te ille ſuperbus
Dicit ſe invito ſaepe fuiſſe domi.
Diſperеam, ſi quidquam aliud, quam gloria de te
Quaeritur. has laudes ille maritus habet.
Colchida ſic hoſpes quondam decepit Iaſon:
Electa eſt tenui namque Creüſa domo.

Sic

1. AH QUANTUM DE ME] Scaliger mallet, *At quantum.* nihil verius: & idoneis exemplis quam plurimis firmavit Nic. Heinſius Not. ad Epiſt. 12. Naſonis, quae eſt Medeae, ỳ. 1. *At tibi Colchorum, memini, regina vacavi.* quem verſum, ut hoc obiter moneam, pariter laudat, explicata vocula *at*, Antonius Volſcus, ad Propertii L. 1. Eleg. 17. adeo nonnumquam olitor opportuna loquitur.

7. INTER EOS TU SERMO ES] urbaniſſime. Plautus Pſeud. Act. 1. Sc. 5.

Si de damnoſis, aut de amatoribus
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem ſolus ſermo eſt omnibus.

Cicero pro Rabir. Poſt. C. 14. *Cataplus ille Puteolanus, ſermo illius temporis, vectorumque curſus atque oſtentatio, tum ſubinviſum apud malevolos Poſtumi nomen propter opinionem pecuniae neſcio quam, aeſtatem unam, non plures, aures referſit iſtis ſermonibus.*

12. EJECTA EST: TENUIT NAMQUE CREÜSA DOMUM.] hanc nobis lectionem Beroaldus concinnavit, inque ea ultro gloriatur, membranae habent,

Ejecta eſt tenuis namque Creüſa domo.

neque aliter editiones primae. Paſſeratius e ſuo MS. *Excepta eſt tenui namque Creüſa domo.* id eſt, inquit, venit, & admiſſa eſt in exilem ac pauperem Iaſonis domum Creüſa. non tetigit ſcopum, ut ſtatim dicam. Gebhardo placuit, *Evecta eſt tenui n. C. domo.* quod multo pejus eſt. denique Nic. Heinſius reſtitutum ivit, *Lecta Creontea eſt namque Creüſa domo:* eamque caſtigationem, in

ſuis

Sic a Dulichio juvene est elusa Calypso.
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem praebere puellae,
Discite desertae non temere esse bonae.

Nunc

suis ad Propertium notis, pluribus adstructurum promittit. Iis autem notis donec nobis frui licebit, interea fas sit & mihi proponere quod verum puto. legendum arbitror, ex vestigiis veteris scripturae,

Electa est tenui namque Creüsa domo.

Creüsa tenui domo orta, & quidem Sisyphii sanguinis, placuit Iasoni prae Medea, quae erat Solis genus, & filia regis multo opulentissimi. *Ejecta* scriptum fuit, pro *electa*, prono & crebro errore. locus est illustris L. 9. Thebaid. Papinii, modo ex parte productus:

Nota per Arcadias felici robore silvas
Quercus erat, Triviae quam desacraverat ipsa,
Electam turba nemorum, numenque colendo
Fecerat.

ibi omnes editiones habebant *Ejectam turba nemorum:* donec tandem optimus Schottus veram lectionem ostendit L. 1. Obs. C. 12. apud Ciceronem L. 2. ad Attic. epist. 24. legitur: *eoque magis id ejectum est.* & recte quidem. quamquam esse membranas, in quibus sit *electum est*, ibi notare non neglexit incomparabilis Graevius. ita haec invicem commutabant. rursus L. 4. epist. 3. *Clodius cum haberet fugitivorum delectas copias.* ibi quoque *dejectas* alii legebant, contra Ciceronis mentem. orat. pro M. Coelio C. 24. *Ex hac igitur domo progressa ista mulier, de veneni celeritate dicere audebit? nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat? non parietes conscios?* optime Muretus restituit, *ne quam vocem ejiciat*, L. 2. Var. Lect. C. 17. quam verissimam viri sagacissimi conjecturam deinde confirmarunt scripti codices Dionysii Lambini, Fulviique Ursini. vide sis egregiam notam Andreae Patricii, viri magni, ad orationem Ciceronis in toga candida extremam, p. 987. sq. *tenui domo* valet, exili, obscura, ignobili. qua notione ea vox crebro occurrit apud Ciceronem, Livium, Nepotem, Caesarem, Horatium. Sisyphi autem domus valde despecta erat apud Graecos. Ovidius L. 13. Metam.

Aeacus huic pater est: qui jura silentibus illic
Reddit, ubi Aeoliden saxum grave Sisyphon urget.

& paullo post:

quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, & fraude simillimus illi,
Inserit Aeacidis alienae nomina gentis?

Seneca Med. ℣. 508.

Meis Creüsa liberis fratres dabit?
Non veniat umquam tam malus miseris dies,
Qui prole foeda misceat prolem inclitam;
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.

Cicero L. 3. de Nat. Deor. *Quid Medeae respondebis? quae duobus avis Sole & Oceano, Aeëta patre, matre Idyia procreata est.* de Sisypho, Creontis patre, omnia alia narrant antiqui. imo sunt qui ignotis parentibus ortum asserant. recte igitur *tenui domo*; in quo conspirantes habemus membranas. Haec autem *Creüsa vero nomine Glauce vocabatur.* v. Delrius Adv. in Senec. Med. ℣. 923. 34. ubi Erasmi nostri ridiculus error. Lutatius ad L. 5. Theb. Papinii ℣. 403. *At levis, & miserae nondum mihi notus Iason*] *levis. utrum hoc epitheton ad discretionem Herculis dicitur, quia ille gravis? an ad animi mobilitatem, quia nullam Iason firmo amore possedit uxorem? deserta enim Hypsipyle Medeam duxit: relicta Medea Glaucen sortitus est uxorem.* & mox ad ℣. 466. *tertio Glaucen vel uxorem habuit, vel dimisit.* non est sanus hic locus. nam quomodo Iason dimisit Glaucen, quae viva deflagravit ipso nuptiarum die? legendum puto: *vel uxorem habuit, vel amisit*; acumine non fatuo. poterat uxor Jasonis dici, quia nupserat; non poterat, quia periit ante primum thalamum.

13. ELUSA GALYPSO] Groninganus, *delusa.* utrumque probum est, & elegans.

17. HUIC QUOQUE, QUI RESTAT, JAM PRIDEM QUAERITUR ALTER] locus valde obscurus. Passeratius in quibusdam libris invenerat; *Nunc quoque*; in quibusdam aliis

Hic

Nunc quoque, qui restet, jam pridem quaeritur alter.
Experta in primo stulta cavere potes.
Nos quocumque loco, nos omni tempore tecum
Sive aegra pariter, sive valente sumus.

Hic quoque. deinde mirifice argutatur, nec quidquam extricat. Groninganus habet, *Hinc quoque.* in eo autem libro initiales H & N fere confunduntur. unde mihi non vana conjectura legendum videtur,

Nunc quoque, qui restet, jam pridem quaeritur alter.

Hoc sensu: Quamvis, o Cynthia, deberes ista sapere, nihilominus post hunc desultorem, etiam novum nescio quem quaeris, qui restet apud te, qui te constanter amet. id vero quam non sit tutum quum in primo experta fueris, malo tuo cavere potes. *Restare*, est manere in vestigio, nec quoquam progredi. Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 3.

Ut illum Dii Deaeque senium perdant, qui me hodie remoratus est:
Meque adeo qui restiterim: tum autem, qui illum flocci fecerim.

& Andr. Act. 2. Sc. 6.

Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam
Portare, & ea me hic restitisse gratia,

videtur autem haec Elegia tempore praecedere septimam hujus ipsius libri. occurrit istic,

Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.

quod satis bene huc facit. tu, Lector, tecum expende.

18. STULTA CAVERE POTES] *tua* est in nostro primo, itemque in Borrichiano. sic & unus Gebhardi. tale propemodum est illud L. 1. Eleg. 20.

Formosum Nymphis credere tutus Hylan.


19. NOS OMNI TEMPORE TECUM] notanda locutio rarior, *omni tempore.* Caesar L. 1. Bell. Gall. C. 11. *ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut, paene in conspectu exercitus nostri, agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint.* ibidem C. 43. *quae Senatus consulta, quoties, quamque honorifica in eos facta essent; ut omni tempore totius Galliae principatum Aedui tenuissent, prius etiam, quam nostram amicitiam appetissent.* Cicero Philipp. 14. C. 7. *semper illum hostem, semper hoc bellum: ut ego, qui omni tempore verae pacis auctor fuissem, huic essem nomini pestiferae pacis inimicus.* 1. de Offic. 37. *neque enim omnes iisdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur.* noster 3, 7. 27.

Et tibi ad effectum vires det Caesar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes.

sic etiam Lucretius loquitur 1. 27.

Memmiadae nostro, quem tu, Dea, tempore in omni
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.

Seneca Agamemn. ℣. 659. *Cohibete lacrimas, omne quas tempus petit, Troades.*



XVIII.

XVIII.

SCis here mi multas pariter placuiſſe puellas;
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis fruſtra luſtrantur compita plantis.
Omnia in exitium nata theatra meum.
Sive aliquis molli deducit candida geſtu
Brachia, ſeu varios incinit ore modos.
Interea noſtri quaerunt ſibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore ſi qua ſedet.
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.

Quae

2. Scis mihi, Demophoon, multa venire mala] nempe quia multas puellas viderat ſimul, quarum nulla diſplicebat. multarum autem amorem eſſe pejorem quam unius, ipſe infra teſtatur, Eleg. 19. ipſo fine:

At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum ſic cruciat lumina veſtra dolor!
&c.
Quum ſatis una tuis inſomnia portet ocellis,
Una ſit & cuivis femina multa mala.

Plautus Curcul. Act. 5. Sc. 1.

Antiquom poëtam audivi ſcripſiſſe in Tragoedia:
Mulieres duas pejores eſſe, quam unam. res ita eſt.

non bene ceperant hunc locum Marollius, & Marollii infelix exſcriptor Silvius.

4. O nimis exitio nata theatra meo] meliorem lectionem e ſuis promit Paſſeratius,

Omnia in exitium nata theatra meum.

τὸ *omnia theatra* reſpondet τῷ *nulla compita.*

5. Molli deducit candida gestu Brachia] Paſſeratius conjicit; *diducit.* contra ſtant omnes libri. *ducere brachia*, & *deducere*, in re ſaltatoria proprie dicebant, notante Nic. Heinſio ad Ovid. Remed. Amor. ℣. 334. tamen apud Papinium aliter voluerunt Gronovius & Barthius, L. 3. Silv. 5, loco hunc noſtrum exprimente:

Candida ſeu molli diducit brachia motu.

minus recte, ut arbitror: nam *deducere* eſt, de loco in alium locum ducere. inde *jactare, mittere, movere brachia*, idem quod *deducere.*

6. Varios incinit ore modos] unus noſter cum Borrichiano *injicit*; alter *inicit.* Gebhardus quoque *injicit* invenerat in membranis Comelini. itaque *injicere modos* idem eſſet, quod *jacere modos*; compoſitum pro ſimplici. ſic *jactare cantica* infra eſt L. 4.

In mores te verte viri. ſi cantica jactat,
I comes; & voces ebria junge tuas.

& L. 4. Eleg. ultima:

Ut reſponſurae ſingula verba jace.

& L. 2. Eleg. 7.

an uſque
In noſtrum jacies verba ſuperba caput?

Lucretius L. 4.

Sex etiam, aut ſeptem, loca vidi reddere voces,
Unam cum jaceres.

Cicero L. 1. de Divin. ex Arato:

Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas.

creber in hoc verbo Tacitus. ſed tamen praeplacet vulgata, quam adductis e Gellio exemplis bene firmavit Paſſeratius, olim etiam Beroaldus.

9. Sive vagi crines puris in frontibus errant] iſtos prominulos cincinnos *anſias* vocabant veteres, & *capronas.* Apulejus Florid. L. 1. *Jam primum, inquit, crines ejus praemulſis antiis, & promulſis capro-*

Quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
  Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quaeris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
  Quod quaeris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?
  Et Phrygis insanos caeditur ad numeros?

Uni-

neis anteventuli, & propenduli. & L. 5. Metam. *Videt capitis aurei genialem caesariem ambrosia temulentam, cervices lacteas genasque purpureas pererrantes crinium globos, decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos: quorum splendore nimio fulgurante, & ipsum lumen lucernae vacillabat.* Festus: *Capronae, equorum jubae in frontem devexae, dictae quasi a capite pronae.* sed & hominum comae ita dictae. Nonius: *Capronae dicuntur comae, quae ante frontem sunt, quasi a capite pronae.* Lucilius Sat. L. 15.

Aptari caput, atque comas fluitare capronas,
Altas, frontibus inmissas, ut mos fuit illis.

at vero hoc totum distichon abest a libro Groningano: neque tamen ego pro spurio rejecero. sed loco non suo hic legi clamat hiatus sententiae, melius habiturae si omittatur.

10. INDICA QUAS MEDIO VERTICE GEMMA TENET] pulcre illustrat hunc locum Lucillae Augustae statua apud Boissardum T. 3. Antiq. p. 150.

11. ALIQUID VULTU MIHI DURA NEGAVIT] libri, *negarat.* quod rectius videtur.

12. FRIGIDA DE TOTA FRONTE CADEBAT AQUA] talem de fronte sudorem australibus pruinis comparat Theocritus Pharmac. eleganter Papinius L. 1. Achill. atque ex ipsa rei ipsius natura:

Hanc ubi ducentem longe socia agmina vidit
Trux puer, & nullo temeratus pectora motu;
Diriguit, totisque novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor: sed fax vibrata medullis
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tinguit, & impulsum tenui sudore pererrat.

Apulejus L. 1. Metam. *haec ut ego accepi, sudore frigido miser perfluo.* & L. 2. *frigido sudore defluens evado.* Lucretius L. 3.

Consentire animam totam per membra videmus:
Sudores itaque, & pallorem exsistere toto
Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.

Seneca Troad. ℣. 487.

Sudor per artus frigidus totos cadit.
Omen tremisco misera feralis loci.

lege sis nobilissimam illam Catulli odam, *Ille mi par esse Deo videtur,* &c. & Valerii Aeditui delicatum epigrammation, *Dicere quum conor curam tibi, Pamphila, cordis.* quod nobis servavit Atticarum Noctium luculentissimus scriptor L. 19. C. 9. v. Taubmannus ad Plaut. p. 120. a. in codice Groningano est, *calebat aqua.* quod calide amplexus Palmerius, nescio quid de calore frigido argutatur. debuisset cogitare *l* e *d* in membranis saepe confundi; & poterat lucrifacere suum istud Samii Lucumonis acumen. in rationem sudoris frigidi inquirit doctissimus Lud. Caelius L. 6. Ant. Lect. C. 4. & 5. quem satius erit vidisse.

15. LANIAT SUA BRACHIA CULTRIS] unus noster unusque Colbertinus *laniat sibi brachia.* Seneca Agamemn. ℣. 686.

Non, si molles imitata viros
Tristis laceret brachia secum
Quae turritae turba parenti
Pectora rauco concita buxo
Furit; ut Phrygium lugeat Attin.

de his fanaticis multas res bonas habet Janus Parrhasius ad Claudian. L. 1. de R. P. eo loco,

Conticuere chori: Corybas non impulit ensem:
Non buxus, non aera sonant.

ceterum hunc versum cum pentametro sequente

Unicuique dedit vitium natura creato.
Mi natura aliquid semper amare dedit.
Me licet & Thamyrae cantoris fata sequantur,
Numquam ad formosas, invide, caecus ero.
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris. haud umquam est culta labore Venus.
Percontere licet. saepe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.

Ju-

quente artificiose expressit Martialis L. 11. Epigr. 84.

Alba minus saevis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos,

quos *saevos* cultros Martialis, eos noster *sacros* vocat, diverso uterque respectu. nullo modo excusari potest Philippi Silvii crassissima barbaries, interpretantis hic, *Quare nonnulli sibi brachia diris cultellis lacerant?* & tamen Passeratium exscripserat, sed non intellectum.

17. Unicuique dedit vitium natura creato.
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

ait, nullum hominem nasci sine aliquo naevo, seu vitio; idque a natura esse; ne putes fieri caeca aliqua sorte. suum vero vitium esse, quod semper aliquid amet, nec possit vivere sine amore. qua igitur ratione fortunae transscribit, quod modo dedit naturae? Gebhardus invenerat veram lectionem in membranis Comelini,

Mi natura aliquid semper amare dedit.

nihil certius. & sane mirum est quantopere sibi placuerint librarii in commutandis vocibus *naturae* ac *fortunae*. vide sis notam eruditissimi Victorii ad haec verba Ciceronis L. 4. ad famil. epist. 12. *tamen quoniam casus & natura in nobis dominantur.* Ovidius L. 9. Metam.

Quae voveam duo sunt: minimo ut relevere labore;
Utque marem parias. onerosior altera sors est:
Et vires Natura negat.

ita ex praestantioribus libris restituit Nic. Heinsius, quum vulgo *Fortuna* legeretur. Silvius hic, more illo suo perpetuo, scribit quae ipsemet numquam intellexit. quae de Fortunae & Amoris aede communi ex Pausania adfert Passeratius, alio spectant. hic erat dicendum de Natura & Fortuna, si recta est vulgata lectio. mentem nostri extulit Petronius: *nemo nostrum non peccat: homines sumus, non dii.* istud *unicuique creato* Graeca forma procusum est, ut recte observavit post Casaubonum praestantissimus Gentilis in illud Apuleji Apol. *nihil esse aspectabilius homini nato, quam formam suam.*

19. Thamyrae cantoris fata] Thamyrae historiam ex scriptoribus Graecis laudabili opera congessit Barthius Animad. ad Papin. L. 4. Thebaid. ℣. 181. sqq. & quidem aliquanto distinctius quam olim Natalis Comes L. 6. Mytholog. C. 14. Thessalum fuisse ex urbe Oechalia, non Thracem, ut alii volunt, ostendit vir summus Isaacus Vossius obs. ad L. 2. Pomponii Melae C. 3.

24. Officium tota nocte valere meum] eodem verbo in eadem re utitur Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 7.

At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo.

idem Amor. L. 1. Eleg. 10.

Omnia conductor solvit: mercede soluta,
Non manet officio debitor ille tuo.

Petronius in illa ridicula Eumolpi palaestra: *Ille lento parebat imperio, puellaeque artificium pari motu remunerabat. Quum ergo res ad effectum spectaret, clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut spissaret officium.* paullo aliud sonat apud Nasonem L. 2. Art. Amat.

Jupiter Alcmenae geminas requieverat arctos,
Et caelum noctu bis sine rege fuit.
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? quum e complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachae lecto quum surgeret Hector,
Bella Mycenaeae non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice uti caelo modo Sol, modo Luna ministret:
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum.
Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quae velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula navem,
Tutius & geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Quum recipi, quem non noverit illa, vetat?
Et rursum puerum quaerendo audita fatigat.
Quem quae scire timet, dicere plura jubet.

Cui

Quae datur officio, non est mihi grata voluptas.
Officium faciat nulla puella mihi.

ibi valet *civilité*. Gonsalius de Salas, vir & sanguine illustris & literis, jam pridem est quum promisit Commentationem de *variis Officiorum generibus*. an & dedit? vix putem.

50. QUEM, QUAE SCIRE TIMET, QUAERERE PLURA JUBET] in nostro uno est, itemque in Borrichiano, *Quem quae scire pudet*; minus recte. deinde, *dicere plura* est in editt. Beroaldi, Mureti, & Canteri optime. nam versu proxime praecedente habuimus *quaerendo*, quod quo sensu hic repetatur? pulcre hunc locum illustrant ista Darii apud Curtium L. 4. C. 10. *Num, quod maxime suspicor, & loqui timeo, ludibria meorum nunciaturus es?* & paullo post: *num, quod & scire expeto, & quaerere pudet; ausus est & dominus, & juvenis?*

Cui fuit indocto fugienda haec semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut promissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit toties, Quaenam nunc porticus illam
Integit? &, Campo quo movet illa pedes?
Deinde ubi pertuleris quos dicit fama labores
Herculis, ut scribat, Muneris ecquid habes?
Et modo pavonis caudae flabella superbi,
Et manibus dura frigus habere pila:

Et

52. IPSA PETITA LACU NUNC MIHI DULCIS AQUA EST] τὸ *est* non comparet in nostro primo, neque in Borrichiano. ceterum *lacum* recte exponit Torrentius, cum Scaligero, ac Beroaldo, de venere vulgivaga. erant enim lacus communes: quo sensu eos a fontibus segregat Horatius L. 1. Epist. 3.

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus & rivos ausus apertos.

54. UT COMMISSA SUAE VERBA FERAT DOMINAE] omnes membranae, & primae editiones, habent *Ut promissa:* quae scriptura debet esse vera, modo intelligas inter amatorem & mulierem dilectam convenisse de commercio epistolari; hujus autem servuli fidem sollicitari munusculis, ut tabellas ultro citroque portare velit. quod facillime praestabant ii, quibus officium erat salutis portandae. Plautus Aulul. Act. 3. Sc. 5.

Enim mihi quidem aequum est purpuram atque aurum dari;
Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,
Salutigerulos pueros.

Trinum. Act. 2. Sc. 1.

ducitur familia tota;
Vestispicae, unctor, auri custos, flabelliferae, sandaligerulae,
Cantrices, cistellatrices, nuntii, renuntii.

sic Apulejus anum quamdam *stupri sequestram* vocat; *& adulterorum internuntiam*, L. 9. Metam. ubi lepidam fabellam Myrmecis servuli itidem internuntii, pretio ab amatore corrupti, videre potes. sunt igitur *promissa verba*, literae mutuae, quas alter alteri promiserant. Plinius L. 1. Epist. 2. *Quia tardiorem adventum tuum prospicio, Librum, quem prioribus epistolis promiseram, exhibeo.* Horatius Epod.

Inceptos, olim promissum carmen, Iambos
Ad umbilicum ducere.

τὸ *commissa* flagitium est illiberale audacis Beroaldi, haec notantis: PROMISSA. *legendum est* COMMISSA. *nam commissa verba vocat, quae amator servo commisit ad dominam perferenda.* redeat itaque in sedem suam vetus lectio, nec jure ejecta, quam & Scaligeri & Gebhardi codices habebant.

58. UT SCRIBAT, MUNERIS ECQUID HABES?] omnes libri, *ut scribat.* tamen Guyetus refingit, *haec stridat. haec*, puella, domina. *stridat*, stridula voce dicat. Horat. *Stridere secreta diversos aure susurros.* egregie vero. Nic. Heinsii correctio valde est acuta, Not. in Epist. Hermion. ℣. 104. *huic quod des muneris ecquid habes?* verum quum dicat, adstructurum se eam in notis ad ipsum Propertium; sustinebimus paullisper adsensum, donec frui licebit thesauris, quos Vir maximus utinam ipse impartire potuisset publico rei literariae bono! mihi neutiquam displicet vulgata; tum propter factam modo mentionem mutuitationis literariae, tum quia istae Veneres pretium suis noctibus dicebant ipsae. Petronius: *quia nosti Venerem tuam, superbiam captas, vendisque amplexus, non commodas.* sed melior huic loco Commentarius dari non potest quam decima Elegia L. 1. Amor. Ovidii. quam te totam legere volo: nec poenitebit.

59. PAVONIS CAUDAE FLABELLA SUPERBAE] legendum est *superbi*, quia pavo mas

Aa 3 stel-

Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quaeque nitent Sacra vilia dona via.
Ah peream, si me ista movent dispendia: verum
Fallaci dominae jam pudet esse jocum.
Cernere uti possis vultum custodis avari,
Captus & immunda saepe latere casa,

Quam

stellata est ac gemmante cauda, non item femina. Ausonius Epist. 20.

Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos, regie pave, tuos.

Plinius L. 10. C. 20. *in his pavonum genus, cum forma, tum intellectu ejus & gloria. Gemmantes laudatus expandit colores, adverso maxime sole, quia sic fulgentius radiant.* Ovidius L. 13. Metam.

Laudato pavone superbior.

Martialis L. 5. Epigr. 38.

Cui comparatus indecens erat pavo.

& L. 13. Epigr. 70.

Miraris, quoties gemmantes explicat alas:
Et potes hunc saevo tradere, dure, coco?

Phaedrus L. 3. Fab. 18.

At forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor zmaragdi collo praefulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.

sermo est istic Junonis ad pavum marem. pulcre Lucretius L. 2.

Jam tibi barbaricae vestes, Meliboeaque fulgens
Purpura, Thessalico concharum tincta colore, &
Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Saecla, novo rerum superata colore jacerent.

his flabellis gerendis ac custodiendis peculiares habebant ancillas; quas *flabelliferas* a munere vocari, modo ex Plauto ostensum est, cui Terentium jungas licet in Eunucho. atque haec tam pretiosa tamque delicata flabella non multo post ad viles mensarum usus transierunt, crescente in immensum luxuria. Martialis L. 14. Epigr. 67.

Lambere quae turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiae cauda superba fuit.

quamquam id non fuit diuturnum; sed habitus deinceps suus pavonibus honos prior. Claudianus L. 1. in Eutrop.

Et cum se rapido fessam projecerat aestu,
Patricius roseis pavonum ventilat alis.

60. ET MANIBUS DURA FRIGUS HABERE PILA] male haec refert ad pilam lusoriam Passeratius. quid enim ille lusus facit ad refrigerandas manus? Beroaldus exposuerat de pila crystallina, quam feminae manibus terebant aestivo tempore. recte. Plinius L. 37. C. 2. *Invenio medicos, quae sunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam crystallina pila adversis posita Solis radiis.* vides hic pilas crystallinas: de rigore autem crystalli supra egerat. addit mox: *Proximum locum in deliciis, feminarum tamen adhuc tantum, succina obtinent.* erant & haec refrigerandis manibus, simul quoque odore commendabilia. Martialis L. 5. Epigr. 37.

Fragravit ore, quod rosarium Paesti;
Quod Atticarum prima mella cerarum;
Quod succinorum rapta de manu gleba.

& L. 11. Epigr. 8.

Succina virginea quod regelata manu.

ita priores delicias mutabant mulieres subeuntibus aliis, uti nunc quoque fieri amat.

65. VULTUM CUSTODIS AVARI] potior pars librorum praefert *amari.* sed *avari* e suis exhibuit Beroaldus. recte. Tibullus L. 2. Eleg. 4.

Sed pretium si grande feras, custodia victa est:
Nec prohibent claves, & canis ipse tacet.

bene ac festive canem junxit cum ostiario clavigero: nam ii in eadem cella aetatem agebant, quam noster *immundam casam* vocat hoc ipso loco. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 2. quae est ad servum custodem:

Sic tibi semper honos, sic curta peculia crescent:
Haec face, & exiguo tempore liber eris.

rursus ejusdem operis L. 3. Eleg. 8.

Me prohibet custos: in me timet illa maritum.

Si

Quam care semel in toto nox vertitur anno?
Ah pereant, si quos janua clausa juvat.
Contra rejecto quae libera vadit amictu,
Custodum & nullo septa tumore, placet.
Cui saepe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit,
Differet haec numquam, nec poscet garrula, quae te
Adstrictus ploret saepe dedisse pater.
Nec dicet, Timeo, propera jam surgere, quaeso:
Infelix, hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes
Me capiant: nolim furta pudica tori.

Li-

Si dederim, tota cedet uterque domo.
& L. 2. Art. Amat.

Fac plebem (mihi crede) tuam: sit semper in illa
Janitor, & thalami qui jacet ante fores.

& alibi:

Sed semel est custos longum redimendus in aevum:
Saepe dabit, dederit quas semel, ille manus.

lepidam talis avari custodis historiam narrat Apulejus L. 9. Metam. quam, quia longiuscula est, istic legere potes.

67. QUAM CARE SEMEL IN TOTO NOX VERTITUR ANNO] liber Groninganus, *nox verterit anno.* quod non videtur de nihilo, *vertere* pro *verti* frequens apud bonos auctores. sic *annum vertentem* dicimus, & *mensem vertentem*, sed melius opinor refinges, *nox perditur*, argutia non quaesita. loquitur enim de ingrata profusione, quae necessario fieri debet in sectatione matronarum; quas quum colas quotidie, & *saepe* manifesto te periculo exponas, vix tamen *semel* in anno unam noctem dabunt. quae sane magna mercede *perditur*. non fuit poëtae mens alia, nisi me omnia fallunt. vide sis Scaligeri notam.

69. REJECTO QUAE LIBERA VADIT AMICTU] audebone tentare *neglecto*? Suetonius Aug. C. 79. *quamquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam incuriosus,* &c. Hieronymus Epist. ad Paullam super obitu Blaesillae: *Humilitas vestium non (ut in plerisque solet) tumentes animos arguebat: sed cum interiori se mente dejecerat, inter ancillarum virginum cultum dominamque nihil medium, nisi quod in eo facilius dignoscebatur, quod neglectius incedebat.* sed nihil est necesse. utramque vocem conjunxit Terentius Heaut. Act. 2. Sc. 3.

Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter.

70. CUSTODUM ET NULLO SEPTA TUMORE] in omnibus libris inveni *timore.* ita legi jubet Pricaeus ad Apul. Metam. p. 516. sed melior videtur vulgata: quam & Aldina expressit cum Colinaeana, & roborarunt jam alii. sic *tumidum honorem* habemus Elegia proxime insequente. vide magni viri Ger. Jo. Vossii Etymologicum L. L. in voce *tumultus.*

71. CUI SAEPE IMMUNDO SACRA CONTERITUR VIA SOCCO] uti Sacra Via erat omnium celeberrima; ita non mirum, istic scortilla crebro quaesivisse conditiones. quod notavit ex hoc loco eruditissimus Torrentius ad Horat. Epod. 4. ỳ. 7.

73. QUAE TE] *quod te*, Groninganus cum aliis duobus. noster hic Lucilium sequi videtur, eadem tradentem apud Nonium Marcellum in voce *flagitium*:

Quae & poscent minus, & praebebunt rectius multo,
Et sine flagitio.

Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
  Nullus liber erit, si quis amare volet.
Tu loqueris, quum sis jam noto fabula libro:
  Et tua sit toto CYNTHIA lecta foro?
Cui non his verbis aspergat tempora surdo
  Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
  Non ego nequitiae dicerer esse caput.
Nec sic per totam infamis traducerer urbem:
  Urerer & quamvis nomine, verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles.
  Parcius infamant. num tibi caussa levis?

79. LIBERTAS] v. Cicero Paradox. 5. C. 2. 88. URERET] *Urerer*, nostri duo cum Groningano; & duo item Gebhardi. quod non deterius videtur. quamvis dicerer Cynthiam sectari, tamen id facile eluderem alium aliquem amorem praetexens.

XIX.

HOc erat in primis quod me gaudere jubebas?
  Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
  Et dicor lecto jam gravis esse tuo.
Me modo laudabas, & carmina nostra legebas.
  Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat & arte;
  In primis una discat amare domo.
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras,
  Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat.

Tetra

7. CONTENDAT MECUM INGENIO, CONTENDAT ET ARTE] expressit hic, ut alibi saepe, Ciceronem suum, Accus. 5. in Verr. C. 68. *neque de illo quidquam tibi praefinio, quo minus ingenio mecum atque omni dicendi facultate contendas.*

9. LERNAEAS PUGNET AD HYDRAS] dixit opinor *hydras*, respectu tot capitum quibus belluam illam Lernaeam terribilem finxit antiquitas. Virgilius L. 8. Aen. in hymno Herculis Saliari:

Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus,
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.

Pausanias in Corinthiacis unicum tantum ei caput fuisse credit. qui & hoc addit, Pisandrum Camirensem pro uno illi plura dedisse, quo & fera monstrosior, & carmina sua plus dignitatis habere viderentur. Hyginus Fab. 30. *Hydram Lernaeam Typhonis filiam cum capitibus novem ad fontem Lernaeum interfecit.* sed mire variant scriptores antiqui. videndus tibi N. Heinsius Not. ad Ovid. L. 9. Metam. ỳ. 71. & M. A. Delrius Comm. in Senecae Hercul. Fur. ỳ. 240.

Tetra venena libens, & naufragus ebibat undas,
Et numquam pro te deneget esse miser.
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores)
Jam tibi de timidis iste protervus erit,
Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem.
Dissidium vobis proximus annus erit.
Dura est, quae multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni si qua parare potest.

15. QUI NUNC SE IN TUMIDUM JACTANDO VENIT HONOREM] τὸ *se* abest a Groningano, & ab uno Colbertino. Gebhardus etiam pro inepto habebat. miror, & scio veteribus aliter visum. Cicero L. 2. ad Attic. Epist. 21. *non tenui lacrimas, cum illum ante IIX. Kal. Sext. vidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea solitus esset jactare se magnificentissime illo in loco, summo cum amore populi, cunctis faventibus.* pro Roscio Amerino C. 32. *Haec tu, Eruci, tot & tanta si nactus esses in reo, quam diu diceres? quo te modo jactares?* Accus. 4. in Verr. C. 20. *nollem dixisse. jactabit se, & in his equitabit equuleis.* ibid. C. 21. *Jactat se jam dudum de Calidio: narrat omnibus, se emisse.* Accus. 5. C. 1. *novi locum: video, ubi se jactaturus sit Hortensius.* Coelius L. 8. ad famil. Epist. 10. *Curionem video se dupliciter jactaturum, primum, ut aliquid Caesari adimat. inde, ut aliquid Pompejo tribuat, quidvis, quamlibet tenue munusculum.* Juvenalis Sat. 1.

puer Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatae cum se jactaret amicae.

Virgilius L. 1. Aen.

illa se jactet in aula
Aeolus, & clauso ventorum carcere regnet.

tantum abest, ut *jactare se*, inepte dicatur. quamquam non ignoro, etiam omisso praenomine Ciceronem extulisse, orat. pro Roscio Amerino C. 9. *nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam videre in Sex. Roscii, viri optimi, atque honestissimi bonis jactantem ac dominantem T. Roscium.* sed alterum istud multo est frequentissimum.

16. DISSIDIUM VOBIS] editio Veneta A. 1475. & Colinaeana habent *Discidium:* quod e duobus codicibus probat Gebhardus. sane *discidium* fere confunditur cum *dissidium* in libris veteribus: quum tamen illud notet violentam disjunctionem duorum inter se conjunctorum, hoc vero pro discordia ponatur, ex origine utriusque verbi *discindere* & *dissidere.* itaque *discidium* corporum est, *dissidium* animorum. neque nos Gebhardum hic audiemus. Cicero L. 1. ad Attic. Epist. 17. *& mihi & ceteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando testificata tua voluntas omittendae provinciae; ut, quod una non estis, non dissensione ac dissidio vestro, sed voluntate ac judicio tuo factum esse videatur.* Suetonius Tib. C. 7. *cum Julia primo concorditer, & amore mutuo vixit: mox dissedit, & aliquanto gravius, ut etiam perpetuo secubaret.* de tali dissidio capiendus Catullus:

Anxia nec mater, discordis moesta puellae.
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.

& Hymenaeo Juliae:

Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera
A tuis teneris volet
Secubare papillis.

16. DISSIDIUM VOBIS] qui nunc videmini tam flagranter alterum alter amare, non poteritis unum annum durare in hac mutua amoris concordia. mox odiis ac rixis dissidebitis: ut solet fieri, ubi non certo vincitur foedere lectus. Libido expleta satietate, subito castra sua alio transferet: Non vos divellet vis aliqua externa, sed foedae voluptatis fastidium. Et quibus inposuit, solvet mox vincla libido.

17. QUAE MULTIS SIMULATUM DUCIT AMOREM] in omnibus membranis est, *simulatum fingit amorem:* qui elegans pleonasmus cur displiceat, alioqui *ducere* est protrahere, moras nectere; & sic eludere. Caesar L. 1. de Bello Gall. C. 16. *Diem ex die ducere Aedui;*

At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices, Ossa, Properti,
Haec tua sunt: eheu tu mihi certus eras.
Certus eras eheu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, & quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar. numquam me injuria mutat.
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.

Credo

dui; conferri, comportari, adesse, dicere. Ubi se diutius duci intellexit, & diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret, &c. Corn. Nepos Themist. C. 7. *Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit, & dedit operam, ut quam longissime tempus duceret:* non possum exputare, unde ortum sit istud *ducit*, quum videam omnes omnium editiones nihil abire a scriptura membranarum.

18. ET SE PLUS UNI SIQUA PARARE POTEST] id est, plus quam uni. illustravit ellipsin elegantem, adducto in testimonium hoc ipso versiculo, Jos. Scaliger Not. ad L. 1. Varron's de R. R.

22. EHEU, TU MIHI CERTUS ERAS] omnes membranae, *heu heu*. sic apud Tibull. 1, 4, 81, *Eheu quam lento Marathus me torquet amore.* sed istic omnes omnium libri *Heu heu* habent: vide notata ad Pierii Castigat. in Virgil. II. Eclog. 58. p. 14. quo modo semper & ubique scribendum esse, contendit alicubi Schoppius. & sane sic solent libri non valde veteres; contra atque illi quos commendat longior aetas. praestantissimus ille Horatii codex, jam saepius laudatus, numquam habet *heu heu*; semper *eheu*. cui scripturae favet Valerius Probus L. 1. Instit. Grammat. capite de Interjectione.

24. QUAMVIS NON ITA DIVES ERAS] ita liber Borrichianus. in aliis est; *navita dives eras.* quem puerilem errorem bene sustulit Beroaldus. est tamen sic satis vetus: vix enim puto exstare hodie ullum codicem manu exaratum, qui non ostentet, PROPERTII AURELII NAUTAE. ita etiam legitur in Traguriensi MS. teste Wheler Voyag. T. 1. p. 33. Antonius Volscus rationem reddit in Vita poëtae, quae sane mirifice scripta est: *Nautae cognomen in familiam transit, quoniam ejus majores mercaturam fecisse traduntur.* credas hunc nebulonem ex inferis evocasse manes Propertii; quod in Homero fecisse dicitur Apollonius; adeo confidenter nobis obtrudit sua somnia. poterat aliquanto doctius nugari, si credebat esse aliquod pretium nugarum. fuit enim Romae non incelebris familia Nautarum, sive Nautiorum. Servius ad L. 2. Aen. ℣. 165. quo loco historiam capti Palladii denarrat: *Hoc quum postea Diomedes haberet (quod & Virgilius ex parte tangit, & Varro plenissime dicit) credens sibi non esse aptum, propter sua pericula, transeunti Aeneae offerre conatus est. Sed cum se ille velato capite sacrificans convertisset, Nautes quidam accepit simulacrum. Unde Minervae sacra non Julia gens habuit, sed Nautarum.* plura videre est apud eumdem doctissimum grammaticum ad L. 3. ℣. 407. ad L. 5. ℣. 704. & apud Festum in *Nautiorum familia*; apudque Dionysium Halicarnass. L. 4. Ant. Rom. C. 60. sed non est poeta consummatissimus in alienam gentem inferendus; neque fatuum Volsci caput feriam reprehensionem meretur. qui in hoc uno nobis profuit, quod multorum mendorum origines, ab ipso Volsco conditas, nonnullo labore nostro in istis ejus senticetis licuerit indagare. agnomina ista, quibus omne genus scriptores condecoravit sinistra grammatistarum liberalitas, varie sunt nata, variis quoque de caussis. videndus Barthius L. 6. Adverf. C. 1.

26. FERRE EGO FORMOSAM NULLUM ONUS ESSE PUTO] belle noster Secundus:

Non onerosa mihi, non est formosa pudori.
Formosas dominas Jupiter ipse tulit.

Credo ego, non paucos iſta periiſſe figura.
Credo ego, ſed multos non habuiſſe fidem.
Parvo dilexit ſpatio Minoida Theſeus,
Phyllida Demophoon: hoſpes uterque malus.
Jam tibi Iaſonia nota eſt Medea carina,
Et modo ſervato ſola relicta viro.
Noli nobilibus, noli conferre beatis
Vix venit, extremo qui legat oſſa die.
Ii tibi nos erimus: ſed tu potius, precor, ut me
Demiſſis plangas pectore nuda comis.

Unica

30. HOSPES UTERQUE MALUS] *hoſtis*, unus noſter, & Borrichianus, cum uno Gebhardi. male. tum temporis eae voces mutaverant. quod Ovidius ſignanter oſtendit, Epiſt. Helen.

Qui ſic intrabas, hoſpes, an hoſtis, eras?

31. IASONIA CARINA] Ovidius:

Aequor Iaſonio pulſatum remige primum.

32. ET MODO SERVATO SOLA RELICTA VIRO] τὸ *&* ſingularem emphaſin hic habet, ac plus aliquid dicit quam *etiam*. ipſa illa Medea, apud luculentum rerum ſuarum ſcriptorem, Valerium Flaccum, L. 8. ℣. 434.

nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortemque tuam, comitumque tuorum?
Vellem equidem noſtri tetigiſſent litora patris
Te ſine, duxque illis alius quicumque fuiſſet.
Nunc remeant; meque ecce (nefas) & reddere poſſunt.

Cicero pro rege Dejotaro C. 10. *Felix iſta domus, quae non impunitatem ſolum adepta ſit, ſed etiam accuſandi licentiam: calamitoſus Dejotarus, qui & ab eo, qui in iiſdem caſtris fuerit, non modo apud ſe, ſed etiam a ſuis accuſetur.* noſter L. 3. Eleg. 9.

Quid, modo quae noſtris opprobria vexerat armis
Et famulos inter femina trita ſuos?

loquitur de Cleopatra, omnium mulierum proſtitutiſſima. Papinius L. 10. Theb.

comites tribus ordine deni;
Horrendum Aoniis & contra ſtantibus agmen.

Vellejus L. 2. C. 128. *intereſt reip. quod uſu neceſſarium, & dignitate eminere.* Minucius Felix: *tu perire & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur?* Gallus Confeſſor Serm. C. 18. *interea gens impia unum de diſcipulis jam dudum avaritiae morbo corruptum promiſſa pecunia ad proditionem magiſtri & domini ſui protrahere curaverat; dum ille diabolo plenus & ultro inimicis eum tradere paratus eſſet.*

33. NOLI CONFERRE BEATIS] nihil mutant membranae. Sed Nic. Heinſius Not. ad Ovid. L. 1. Amor. Eleg. 15. ℣. 34. legit, *noli te offerre beatis.* argute, ita vivam, & quò ducere videntur ipſae literae. interim dum Notas ejus in poëtam noſtrum exſpectamus, contenti ſimus hoc Catone. noli fidem meam, hominis nec nimis generoſi nec valde opulenti, conferre cum iſtis nobilibus ac divitibus. favere videtur Tibullus L. 1. Eleg. 6. ſub finem: *Pauper erit praeſto tibi*, &c.

36. UT ME DEMISSIS PLANGAS PECTORA NUDA COMIS] Scaliger edidit *pectore nuda*, quod praeplacet, ad evitandam dilogiam. Papinius L. 11. Theb.

At genetrix primam funeſtae ſortis ut amens
Expavit famam, (nec tarde credidit) ibat
Sciſſa comas, vultuque & pectore nuda cruento.

& paullo poſt:

Prominet excelſis vulgus miſerabile tectis.
Cuncta madent lacrimis, & ab omni plangitur arce.
Hinc queſti vixiſſe ſenes, hinc pectore nudo
Stant matres, parvoſque vetant aſcendere natos.

Unica nata meo pulcerrima cura dolori,
Excludi quoniam fors mea, saepe venis.
Ista meis fiet notissima forma libellis:
Calve, tua venia; pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandaevique negant ducere aratra boves.
Putris & in vacua requiescit navis arena.
Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero.

Et

41. MILES DEPOSITIS ANNOSUS SECUBAT ARMIS] non satis capio Scaligeri mentem legentis, *sepositis annosus decubat annis*; nisi τὸ *annis* sit mendum typorum. fuit quum mallem *compositis armis*, quomodo supra L. 1. El. 9. sed nihil est opus. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 9.

Tutaque deposito poscitur ense rudis

secubat, solus tendit; non in contubernio, sub papilione. Horatius L. 1. Epist. 1.

Vejanius armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.

ibi *abditus latet* valet nostri τὸ *secubat*.

42. GRANDAEVIQUE NEGANT DUCERE ARATRA BOVES] Oratio grandis in re exili quo artificio usus Maro toto libro quarto Georgicôn.

innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo. grandaevis oppida curae,
Et munire favos, & daedala fingere tecta.
At fessae multa referunt se nocte minores.

contra Juvenalis, & ipse scenae suae serviens, rem longe atrocissimam extenuat comparatione valde humili, Sat. 10. ubi de Priami exitu:

Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue & miserabile collum
Praebet, ab ingrato jam fastiditus aratro.

illud *grandaevus*, nisi de homine, haud temere reperire est.

43. PUTRIS ET IN VACUA REQUIESCIT NAVIS ARENA] emeritas enim naves Diis marinis sacrabat antiquitas. Valerius Flaccus L. 2.

Vsa ratis, saevae defecta laboribus undae;
Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam,
Solibus, & canis urebat luna pruinis.

44. PARMA] palma MSS. vide quae ad Tibullum notavi 1, 10, 82.

45. AB AMORE TUO DEDUCET NULLA SENECTUS] Gebhardus invenerat in Comelini membranis *diducet*; quod probat. perperam quidem & prave. Passeratius *deducet* legit, & pro verbo stupri interpretatur. id vero multis etiam modis deterius est. *Deducere* est verbum militiae, quod de copiis ac praesidiis ab loco infesto demotis aut revocatis usurpatur. Plautus Amphitr. Act. 1. Sc. 1. ỳ. 60.

Respondent, bello se & suos tutari posse: proinde uti
Propere de suis finibus exercitus deducerent.

Cicero L. 7. ad Attic. Epist. 14. *probata conditio est, sed ita, ut ille de iis oppidis, quae extra suam provinciam occupavisset, praesidia deduceret* Epist. 15. *sed tamen ait, in Senatu se adesse velle, cum de conditionibus agatur, si Caesar adductus sit ut praesidia deducat.* Accus. 5. in Verr. C. 34. *Cleomenes autem, quod erat terrestre praesidium non re, sed nomine, sperabat, iis militibus, quos ex eo loco deduxisset, explere se numerum nautarum & remigum posse.* ibidem C. 51. *proditum te esse a Cleomene, qui se dixerit exisse in terram, ut Pachyno deduceret milites.* Livius L. 2. C. 49. de Vejentibus: *ita fusi retro ad Saxa Rubra (ibi ca-*

Et si saecla forent antiquis grata puellis,
  Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores.
  Unusquisque sua noverit ire via.
Nonne fuit satius duro servire tyranno?
  Et gemere in tauro, saeve Perille, tuo?
Gorgonis & satius fuit obdurescere vultu?
  Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen & scabra teritur robigine mucro
  Ferreus, & parvo saepe liquore silex.

At

castra habebant) pacem supplices petunt. cujus impetratae, ab insita animis levitate, ante deductum Cremera Romanum praesidium poenituit. v. Caesar Bell. Civ. 3, 73, 1. Caesar L. 1. Bel. Civ. C. 12. *quibus rebus cognitis, consisus municipiorum voluntatibus Caesar, cohortes legionis* XIII. *ex praesidiis deducit.* etiam de praesidibus provinciarum dicebatur. Cicero orat. de Provinc. Consular. C. 6. *Hos vos de provinciis, si non aliquando deducendi essent, deripiendos non putaretis?* vides hos homines bellissimam tralationem non intellexisse.

47. Et si saecla forent antiquis grata puellis] id est, si hodie forent talia tempora, qualia fuerunt quum viverent antiquae istae Heroinae, quibus gratum erat & jucundum tunc vivere. male haec ceperant magni interpretes, quod eorum pace dictum esto. alia ac plane diversa mens Nasoni L. 3. Art. Amat.

Prisca juvent alios: ego nunc me denique natum
Gratulor. haec aetas moribus apta meis.

statueram semel defungi, & abstinere porro a commictili merce Marollii: sed non possum quin addam versionem hujus loci: adeo est lepida atque luculenta. *Que si avec plusieurs siecles sur la teste j'estois agreable aux vieilles filles.*

48. Essem ego quod nunc tu] ego ipse tibi rogandus essem. nimirum quia istis temporibus in pretio fides. sic supra Eleg. 7.

Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis.

ab isto, *Essem ego quod nunc tu*, non longe abludit lena Dipsas apud Ovidium L. 1. Amor, Eleg. 8.

Si te non emtam vellet, emendus erat.

& hic vibia varam sequebatur.

50. Sua noverit ire via] forte, *suam viam*. Horatius I. Epist. 2. ℣. 64.

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstrat eques.

55. Sed tamen obscura teritur robigine mucro] valde hic turbant libri. tres habent, *Sed tamen obsistam*; quod & in suis Gebhardus invenerat. tres alii *obsitam*; & sic veteres editiones. duo *obsita*. tres *tegitur*, pro *teritur*. vulgatum *obscura* unde ortum sit, nondum potui reperire. sed ab Avantio esse suspicor, quum legatur in Aldina editione, neque habeant ullae anteriores. nihil melius, neque ut puto verius, Nic. Heinsii correctione. Not. ad Claudian. L. 2. de laudibus Stilich. ℣. 194. *Sed tamen & scabra teritur rubigine mucro.* quam non video cur ipse deserat. Virgilius L. 1. Georg.

finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra robigine pila.

Servius: SCABRA. *aspera. unde & scabies dicitur, a corporis asperitate.* qui τὸ *obscura* defendunt, adducere solent hunc ejusdem libri versum,

Cum caput obscura nitidum ferrugine texit.

ferrugo autem istic non notat rubiginem, sed vero atrum lurorem quo Solis orbis inficiebatur toto anno post caesum C. J. Caesarem. Ovidius L. 15. Metam.

Solis quoque tristis imago
Lurida sollicitis praebebat lumina terris.

ceterum scribendum esse *robigo*, non *rubigo*, favente quoque etymologia, ex antiquissimis

Bb 3

At nullo dominae teritur ſublimine amor, qui
Reſtat & immerita ſuſtinet aure minas.
Ultro contemtus rogat, & peccaſſe fatetur
Laeſus, & invitis ipſe redit pedibus.
Tu quoque qui pleno faſtus adſumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quiſquam in mediis perſolvit vota procellis,
Quum ſaepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto depoſcit praemia curſu,
Septima quam metam triverit ante rota?

Men-

mis libris oſtendunt illuſtriſſimus Neapolis ad L. 4. Faſtor. Pierius Valerianus Caſt. ad L. 1. Georg. ỳ. 151. Ach. Statius ad Catull. p. 257. & Nic. Heinſius Not. ad L. 4. Faſtor. ỳ. 907. quem omnino videre debes. *robigo* quoque ſemper habebant optimae illae Virgilii membranae Palatinae, e quibus correctiſſimam ſuam editionem procuravit Comelinus A. 1603. *Robigus* Deus legitur in lapide antiquo apud Reineſium p. 218. de eo omnia ſunt nota ex Varrone, Naſone, Plinio, Gellio, Feſto, Servio.

57. AT NULLO DE ME TERITUR SUBLIMINE AMOR, QUI RESTAT,] verum fatebor; non capio hunc verſum, nec ſatis intelligo quid ſit *amor qui de me reſtat.* in Groningano & Borrichiano legitur *de me:* omnes ceteri, cum editionibus primis, habent, *At nullo dominae teritur ſublimine amor*, ſenſu perſpicuo, & minime moleſto. ferrum robigine exeditur; guttae ſenſim lapides cavant. ego & ferro & lapide patientior ſum. neque ullum dominae meae limen tam eſt durum, ut deterere poſſit meum amorem, qui reſiſtit nec cedit minis aut contumeliis. hoc enim eſt *reſtat.* ſic alibi,

Dum pugnant Danai, dum reſtat barbarus Hector.

ipſe Scaliger *dominae* legebat, quum ſcriberet Notas in Varronis libros de R. R. quod vero ibi vult *ſublimen*, una voce, notare inferius limen; quum ſit valde veroſimile; non parum juvat meam expoſitionem. Beroaldus *ſublimen* (nam & ipſe conjungit) pro ſuperbia capit, & a *ſublimando* derivat. ſaniora ſunt, quae apud Turnebum leguntur L. 17. Adverſ. C. 11.

60. INVITIS IPSE REDIT PEDIBUS] Seneca Thyeſt. ỳ. 420.

animus haeret, ac retro cupit
Corpus referre: moveo nolentem gradum.

Theod. Marcilius ad Horat. Epod. 11, refingit nobis *invitus. Videlicet*, inquit, *ipſe redire non vult, ſive invitus redit, ſed pedes eum referunt.* non eo haec adſcribo, ut refellam, (ſunt enim nimis quam puerilia) ſed ut videat juventus in quae praecipitia abripiat viros cetera eruditos inconſultus mutandi pruritus. pro *ipſe* habet Groninganus *ſepe.* quod non attendendum.

61. TU QUOQUE, QUI PLENO FASTUS ASSUMIS AMORE] Nic. Heinſius legebat, *quod pleno f. a. a.* ut τὸ *quod* ſit pro quamvis. & ſic ante Heinſium Palmerius. non male: ſed nec vulgata male habet. Tibullus L. 1. Eleg. 6.

At tu, qui potior nunc es, mea furta caveto.

noſter L. 1. Eleg. 21.

Tu, qui conſortem properas evadere caſum.

quid, cum interrogatione, Douza Schediaſm. ſuccidan. p. 66.

64. QUUM SAEPE IN PORTU FRACTA CARINA NATET?] ſic libro 3. Eleg. 5, *fallit portus & ipſe fidem.* Schoppius L. 3. Veriſ. C. 10, magno ambitu reponit *quam*, id eſt, antequam: & in eo mirifice ſibi placet. quod ſi ei largiamur, jam dicet Propertius: an quiſquam vota perſolvit in mediis procellis, antequam in portu naufragium fecerit? ſatius fuerat tacere.

66. SEPTIMA QUAM METAM TRIVERIT ANTE ROTA] idem ille Heros ibidem loci reponit *arte*, pro *ante.* quod jam ante duo

ſae-

Mendaces ludunt flatus in amore secundo.
 Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
 In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
 Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento.
 Invidiam quod habet, non solet esse diu.

At

saecula tribulibus suis persuaserat Ant. Volsci fungium caput. tu cave credas. loquitur Propertius eodem quo Virgilius modo, Aen. L. 4.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam,
Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo.

hunc quoque locum adducit Schoppius. quid ni? nam & Turnebus observaverat. L. 26. Adv. C. 5. de ipsa re videre debes On. Panvinium L. 1. de Ludis Circensibus C. 14. ubi pessime legitur,

Septima quam meta triverit arte rotam.

67. Mendaces ludunt flatus in amore secundi] bene Nic. Heinsius restituit, *secundo*, Not. ad Ovid. L. 1. Art. Amat. ℣. 715. hoc est, quod paullo superius habuimus, *pleno amore*.

74. Invidiam quod habet, non solet esse diu.] egregie Papinius, in re minus ludicra, L. 5. Silv. 1.

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamque Deus? quis jussit iniquas
Aeternum bellare Deas? nullamne notabit
Illa domum, torvo quam non haec lumine figat
Protinus, & saeva perturbet gaudia dextra?

nec minus pulcre Seneca Her. Oet.

Tu quicumque es, qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset:
Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides.
Tenet auratum limen Erynnis,
Et cum magnae patuere fores,
Intrant fraudes, cautique doli,
Ferrumque latens. cumque in populos
Prodire parant, comes Invidia est.
Noctem quoties summovet Eos,
Regem toties credite nasci.

sed propius ad nostrum poetam Marcellus Palingenius in Cancro, sive Zodiaci libro quarto:

Invidia est etiam multum metuenda, secundis
Quae semper rebus dirum miscere venenum
Nititur: invidiam moneo timeatis amantes.

plura istic sequuntur, sed suffecerit indicasse. Palingenium quum nomino, non possum non mirari judicia hominum doctorum tam benigna de poëmate tam non bono. Versus sunt incomti; dictio nihil minus quam nitida; crebri contra artem metricam lapsus; inventio inepta ac puerilis, saepe etiam impia, ubi Christianae rei mysteria cum fabulis antiquorum turpiter commiscet. ut jam nihil de moribus dicam, quos similes habet pullipremonis Faventii. ejus rei fidem faciet cantilena pastoralis, quae legitur sub initium libri 4.

O flos Dardaniae, puer o dilecte Tonanti,
Pocula qui superis spumantia nectare misces;
Cede polo &c.

sed quis patienter ferat hominem tam putide nugantem de suis spiritibus circa orbem Lunae habitantibus, Sarracilo, & Sathiele, & Jana, & Remisse? qui miseri, quamvis Dii sint, coguntur hominibus servire, annulo, aut vitro inclusi. hinc tamen noster ille sesqui poëta elicit mirificum argumentum, quo tueatur animae humanae immortalitatem. audi Sarracilum philosophantem:

Est nobis socius illic qui dicitur AMMON;

Hunc

At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantum ſic cruciat lumina veſtra dolor?
Vidiſtis pleno teneram candore puellam:
Vidiſtis fuſco. dulcis uterque color.
Vidiſtis quamdam Argiva prodire figura:
Vidiſtis noſtras. utraque forma rapit.
Illaque plebeio, vel ſit ſandicis amictu:
Haec atque illa mali vulneris una via eſt.
Quum ſatis una tuis inſomnia portet ocellis,
Una ſit & cuivis femina multa mala.

Hunc ſibi ſervitio adſtrictum, magicaque coactum
Arte tenet juvenis quidam, cui Narnia tellus
Eſt patria, Urſinique colit qui Praeſulis aulam.
O quanta eſt hominum generi conceſſa poteſtas:
Coguntur divi. Vobis hinc ſcire licebit
Divinas animas veſtras, & morte carere.
Nam ſi nil veſtri ſupereſſet, ſi moreretur
Veſtra anima, ut corpus moritur: quid juris haberet
In ſuperos tam vile animal, tam frivola imago?
Si foret in vobis nil ſanctum, quomodo divi
Tanti hominem facere, aut homini ſuccumbere poſſent?
Ipſe etiam quandoque fui ſervire coactus
Germano cuidam, cryſtalli in corpore clauſus:
Sed me barbatus tandem fraterculus illis
Exemit vinclis, & fracto carcere fugi.

deinde Remiſſes aliquid diſſerit ſuper contentionibus papae Clementis ac Martini Lutheri, poſtquam dixiſſet Sathiel, hac ipſa nocte eſſe ſibi quoſdam Romanos proceres ad orcum trahendos. quibus rebus diligenter perpenſis, ſapientiſſime, ut omnia, pronuntiat Vir Clariſſimus Petrus Baelius: *Ses penſées ne ſont pas toutes d'une nature à pouvoir plaire aux Proteſtans: il pouſſe trop loin quelquefois les objections des libertins, & les etale d'une maniere qu'il temoigne qu'il ne les condamnoit pas. A cela prés ſon Zodiaque eſt rempli de bonnes choſes, & d'une ſatire bien philoſophique contre les mauvaiſes meurs, & contre les faux prejugez.* exſpecto ut aliquis tantumdem dicat ſuper Comite *de Gabalis*.

77. VIDISTIS PLENO TENERAM CANDORE PUELLAM] noſter primus, cum Borrichiano, *plenam tenero candore*. quod non ita placet. tales puellas ſignantiſſima voce *niveas* vocat Naſo.

78. DUCIT UTERQUE COLOR] Scaliger ſic edidit, & probavit Lipſius. ſed potior pars librorum habet, *dulcis uterque color*. quidam etiam, *gratus*: quod eſt gloſſema *τοῦ dulcis*. non debebat ea vox mutari: neque enim temere aliam reperies ſignantiorem in re blanditiarum.

81. ILLAQUE PLEBEJO, VEL SIT SANDICIS AMICTU] *id eſt*, inquit Paſſeratius, *togata, vel palliolata, non inſtitam geſtans*. minus recte. dicit poëta, Sive ſit vilis & plebeja, ſive nobilis & ſumtuoſa. plebejus amictus erat pullus, quod notiſſimum: eum opponit purpurae, cocco, ſandici. de inſtita nihil erat opus monere, quam licet non geſtarent profeſſae licentiae ſcorta, tamen non abſtinebant pretioſis iſtis coloribus. Seneca L. 7. Nat. Quaeſt. C. 31. *colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus*. eos colores, & ſua & poëtica venuſtate efflorefcentes, non ſine multa voluptate conſpicies apud Naſonem L. 3. Art. Amat. ℣. 170. ſqq.

XX.

XX.

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quaecumque in me fueras mentita, fateri:
Nec jam humore graves tollere posse comas.
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ovis.

Quam

1. VIDI TE IN SOMNIS] unus liber, *Vidi ego te in somnis*, numero minus molli, minusque venusto. pari modo Tibullus affectus est L. 3. Eleg. 6.

Ergo ego qui toties fallacis verba puellae
Conqueror.

& lib. eodem Eleg. 2.

Ergo ego quum tenuem fuero mutatus in umbram.

utrobique istud *ego* abest a membranis castigatioribus. quantum somniorum fidei tribuerint veteres illi, non attinet dicere. sed & viros graves, sapientes, longo magnarum rerum usu detritos, eadem insania teneri quis non indignetur? vide mihi Plinium juniorem L. 1. Epist. 18, & simul Suetonii Tranquilli superstitionem ridiculam. Lactantius de mortibus persecut. C. 30. ubi de Maximiani scelere in generum Constantinum cogitato: *Surgit ille nocte intempesta, videt omnia insidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem longius; quibus tamen dicit, vidisse somnium, quod filio suo narrare vellet.* sed fidem omnem excedit Claudii imperatoris superstitio crudelis, quam videre potes apud Suetonium in ejus Vita C. 37.

2. IONIO LASSAS DUCERE RORE MANUS] elegantia antiqua, *Ionio rore*. pro summa maris aqua recte hic capit Passeratius. Apulejus L. 1. Metam. *necdum satis extremis labiis summum aquae rorem attigerat, & jugulo ejus vulnus dehiscit in profundum patorem.* L. 4. *proximas orat resflui litoris petit, plantisque roseis vibrantium fluctuum summum rorem calcavit.* L. 11. *miratus deae potentis tam claram praesentiam, marino rore respersus, magnisque imperiis ejus intentus, monitionis ordinem recolebam.* L. 4. *Dea, quam caerulum profundum peperit, & ros spumantium fluctuum educavit.* est alioqui *ros* simpliciter aqua, etiam illa quae fundum radit. Petronius:

Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, & querulo versabat rore lapillos.

Lucretius L. 1.

Sin ita forte putas, ignis terraeque coire
Corpus, & aerias auras, roremque liquorum.

lassas Cynthiae *manus* in Helle sua pulcre expressit Valerius Flaccus, amoeni ingenii cultique oris poeta, nec sane temporum suorum, L. 1.

Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus aestu
Respiceres miserae clamantia virginis ora,
Extremasque manus, sparsosque per aequora crines?

5. PURPUREIS AGITATAM FLUCTIBUS HELLEN] *agitatam* habent Colbertini duo; duo nostri; Borrichianus; & Grouinganus. ut jam nihil sit opus insulso isto *agitavit.* fluctus autem pulcerrime dixit *purpureos.* nam hic est color maris agitati. Cicero L. 1. Quaest. Academ. *Quid mare, nonne caeruleum? at ejus unda, quum est pulsa remis, purpurascit.* notat alioquin ea vox pulcrum, nitidum, splendidum. Albinovanus:

Brachia purpurea candidiora nive

Papinius L. 7. Thebaid.

Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
Bacchus iter, gemuit Tyriam conversus ad urbem,
Purpureum tristi turbatus pectore vultum.

Lutatius: PURPUREUM. *pulcrum.* multa hic comminiscitur Passeratius, quae non sunt magnae rei. tu potius vide Torrentium ad

Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
  Atque tua labens navita fleret aqua?
Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri,
  Quaeque tibi excepi tum Dea Leucotheë?
At tu vix primas extollens gurgite palmas
  Saepe meum nomen jam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
  Esses Ionii facta puella maris.
Et tibi prae invidia Nereides increpitarent,
  Candida Nesee, caerula Cymothoe.

Sed

Horat. L. 4. Od. 1. ỳ. 10. & stupendae eruditionis opus Ger. Jo. Vossii Instit. Orat. L. 4. p. 245. tum quae nuper prodiere Urbani Chevraei opuscula miscellanea p. 250.

6. MOLLI TERGORE VEXIT OVIS] *molli vellere*, unus Colbertinus. ita & Naso L. 2. Amor. Eleg. 11.

Prima malas docuit, mirantibus aequoris undis,
Peliaco pinus vertice caesa vias:
Quae concurrentes inter temeraria cautes,
Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.

sonum si spectes, suavius hoc est quam illud, propter geminatam liquidam, tum & propter allitterationem ex modico intervallo. sed *tergore* hic positum pro *tergo* videtur. quas voces fere confundi docent veteres magistri, Servius, Fl. Charisius, & Fl. Caper.

6. QUAM] *quum* Heinsius. recte.

8. TUA LABENS NAVITA FLERET AQUA] Groninganus, *moerens navita*. praeplacet mihi vulgata. *labi* nostro est navigare. ridicule Passeratius, excidentem aut excussum navi, hic somniabat: quamquam & alteram notionem agnoscit. noster L. 1. El. 17.

Si quando vestras labens amor attigit undas.

sic & Cicero in Arateis, quod observavit Turnebus L. 8. Advers. C. 17. hinc est *adlabi*, adpellere: quo verbo Virgilius creber est, quodque Servius recte refert ad celeritatem.

10. TUM DEA LEUCOTHOË] libri fere, *jam* Dea. quod Lipsius probabat L. 5. Ant. Lect. C. 20. & Gebhardus, atque alii. perperam. omnis elegantia consistit in trina illa repetitione voculae *tum*, quam corruperant fatui librarii. accedit quod neque ipsi Castores semper fuerunt Dei, non magis quam *Leucothëe*: ita enim scribendum esse jam alii docuerunt, non *Leucothoë*.

10. JAM-DEA] idque unica voce. sic isin ajunt adpellari *nunc-deam*, & *jam-numen*. v. Passeratius in Tibul. p. 78. Gebhardus p. 27. lirae lirae.

15. ET TIBI PRAE INVIDIA NEREIDES INCREPITARENT] quia nonnullae membranae habent *ob invidiam*, non dubitavit Gebhardus vulgatam lectionem pro supposititia habere. si Cajo idem juris quod Sejo, ego de integritate istius Gebbardinae valde dubito: video enim vulgatam a melioribus libris firmari, & sic loqui solere Romanos illos veteres. Terentius Eun. Act. 1. Sc, 2. *Credo, ut fit, misera prae amore exclusti hunc foras.* Cicero pro Milone: *Sed finis sit. neque enim prae lacrimis jam loqui possum: & hic se lacrimis defendi vetat.* Livius L. 31. C. 24. *Sed Cynosarges & Lyceum, & quidquid sancti amoenive circa urbem erat, incensum est, dirutaque non tecta solum, sed etiam sepulcra: nec divini humanive juris quidquam prae impotenti ira est servatum.* Sosip. Charisius L. 2. Instit. Grammat. *Prae, praepositio diversas habet significationes. —— significat & propter: prae illo, hoc est, propter ipsius virtutem.* quamquam ibi videtur excidisse locus alicujus veteris scriptoris.

16. CANDIDA NISEE] scribe *Nesee*, praeeunte ex Graecis Passeratio. atque ita recte scribitur apud Virgilium L. 4. Geor. ỳ. 338.

Sed tibi subsidium delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quum mihi discussit talia visa metus.
Nunc admirentur, quod tam mihi pulcra puella
Serviat, & tota dicar in urbe potens.
Non, si Cambysae redeant, & flumina Croesi,
Dicat: De nostro surge poëta toro.
Nam mea quum recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest.
[Qui dare multa potest, multa & amare potest.]

Seu

17. SED TIBI SUBSIDIO DELPHINUM CURRERE VIDI] unus noster, Borrichianus, & membranae Comelini, *Sed tibi subsidium d. c. v.* Plautus Curcul. 2, 2, 17.

Namque incubare satius te fuerat, Jovi,
Qui tibi auxilium in jurejurando fuit.

eleganter & vere. sic L. 3. Eleg. 5.

Natura insidias pontum substravit avaris.

extra versum etiam rectissime *subsidio* dicitur. Cicero Philipp. 13. C. 19. *Nisi forte eum subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, maximo equitatu, peditatu Gallorum.*

18. QUI PUTO ARIONIAM VEXERAT ANTE LYRAM] Nobilitatis eruditae gloria J. Douza ad marginem sui libri notavit, Joan. Auratum maluisse, *Qualis Arioniam*: non inepte. sed fuerunt inter veteres, qui totum hoc miraculum ad veram historiam traherent, minime ad fabulam. inter eos videtur esse & noster, propter hoc ipsum *puto*. videndus diligentissimus de la Cerda ad Virgil. Eclog. 8. ỳ. 56. imo daemonium illud hominis Jos. Scaliger veram fuisse historiam, non fabulam: asserit ad Eusebium p. 84. edit. noviss. sed in temporis exputatione adversantem sibi habet Salmasium Exercit. Plin. p. 98. de Icadio, Apollinis & Nymphae Lyciae filio similem fabellam narrat Servius ad L. 3. Aen. ỳ. 332. uberrime Plinius IX. 8.

21. NUNC ADMIRENTUR] videtur hic aliquid excidisse: certe sequentia non satis commode cohaerent cum praecedentibus. an ideo de Cynthiae amore tam superbe gloriatur, ut dicat eam sibi *servire*, quia per somnium voluit se praecipitem in mare mittere ex desperatione? est omnino lacuna.

22. TOTA DICAR IN URBE POTENS] elegantissime. *amant aimé*. Catullus: *Sis felix, Caeli, sis in amore potens.* selectissimis exemplis hanc locutionem illustrat felicissimus ille Musarum pullus Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 2. Amor. Eleg. 2. ỳ. 30. & ad L. 4. Metam. ỳ. 325.

23. SI CAMBYSAE REDEANT] loquitur de Pactolo, quondam aurum vehente, sed tunc exhausto. ideo recte dicit *redeant*. Strabo L. 13. *Ex Tmolo Pactolus defluit, qui antiquitus ramenta auri secum deferebat copiose: unde Croesi & ejus majorum divitias nomen celebre habuisse tradunt: nunc defecerunt ramenta.* id & nostra, & patrum, atque avorum memoria factum scimus in multis Americae fluminibus, olim opulentissimis.

28. QUI DARE MULTA POTEST, MULTA ET AMARE POTEST] versus plane alienus a mente poetae, quique subruit & evertit sententiam priorem, tum & totum illud quod deinceps sequitur. solebant isti nebulones barbarorum temporum, si lacunam hic illic offenderent, eam explere; idque vel de suo, quod multoties factum, vel consutis ex aliquo antiquiore laciniis. hic ipse versiculus effictus est ex Ovidio L. 3. Amor. Eleg. 8.

Imperat ut captae, qui dare multa potest.

Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
  Hanc sequar, & fidos una aget aura duos.
Unum litus erit sopitis, unaque tecto
  Arbor, & ex una saepe bibemus aqua.
Et tabula una duos poterit componere amantes,
  Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, saevus licet urgeat Eurus,
  Velaque in incertum frigidus Auster agat.
Quicumque & venti miserum vexastis Ulyxen,
  Et Danaum Euboico litore mille rates.
Et qui movistis duo litora; quum rudis Argus
  Dux erat ignoto missa columba mari.

Illa

36. FRIGIDUS AUSTER] Passeratius e suis libb. *turbidus.* nostri nihil mutant: neque adeo multum refert, quum utrumque epithetum habeat suos patronos. Virgilius L. 4. Georg.

Frigidus ut quondam silvis immurmurat
Auster.

Horatius L. 3. Od. 3.

Auster
Dux inquieti turbidus Hadriae.

39. ET QUI MOVISTIS DUO LITORA] nescio unde rancidum istud *dua* eruerit Passeratius. in omnibus nostris est *duo.* videndus eruditissimus Vossius L. 2. de Analog. C. 6. plurimi enim syllabae modulo timuerunt, quamquam frustra. observaverat & Marius Corradus lib. 3. de L. L. sed paucula quaedam prae Vossii autumnitate. *dua* quo tempore scripserint aut dixerint mortales, nec inquirendum arbitror.

39. QUUM RUDIS ARGUS DUX ERAT, IGNOTO MISSA COLUMBA MARI] omnes membranae habent, *cum ratis Argo:* quem errorem Volscus feliciter emendavit. *rudis* dicitur, quia numquam navigaverat. Lucanus L. 3.

quorumque labore
Thessalus Aemoniam vomer proscindit Iolcon.
Inde lacessitum primo mare, cum rudis
Argo
Miscuit ignotas temerate litore gentes,
Prunaque cum ventis pelagique furentibus
undis
Composuit mortale genus.

noster L. 3. Eleg. 21.

Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae.

sic Catullus mare dixit *rude*, quod nondum navigia esset passum:

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

Columbae Argonautarum ducis meminit etiam Ovidius Diris in Ibin, ỷ. 267.

Qualis & ipse fuit, quo praecipiente columba.
Est data Palladiae praevia duxque rati.

de Phineo loquitur, Paphlagonum rege; qui Iasonem edocuit, ne navis inter concurrentes Symplegadas elideretur, ut columbam praemitteret, atque ejus volatum sequeretur. auctor Apollonius Rhodius L. 2. Argonaut. ỷ. 328. quem certo quodam consilio sequi noluit Valerius Flaccus L. 4. sic enim ibi Phineus, jam non caecus:

Di tibi progresso propius, Di forsitan ipsi
Auxilium mentemque dabunt. ast ipse juvare
Ausa quibus monitis possim tua? quippe per altum
Tenditis, unde procul venti, procul unde volucres,
Et pater ipse maris pavidas detorquet habenas.

dixi, certo consilio: nimirum quo locum faceret miraculo majori. de columbis itinerum ducibus saepe veteres scriptores; etiam qui Historias condiderunt. Vellejus L. 1. C. 4. *Nec multo post Chalcidenses, orti, ut praediximus, Atticis, Hippocle & Megasthene ducibus*

Illa meis tantum non usquam desit ocellis,
  Incendat navem Jupiter ipse licet.
Certe iisdem nudi pariter jactabimur oris,
  Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
  Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices quum ferret in arvis
  Compressa, & Lerne pulsa tridente palus.
Jam Deus amplexu votum persolvit: at illi
  Aurea divinas urna profudit aquas.
Crudelem & Boream rapta Orithyia negabit.
  Hic Deus & terras & maria alta domat.

Crede

cibus Cumas in Italia condiderunt. Hujus classis cursum esse directum alii columbae antecedentis volatu ferunt; alii nocturno aeris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit. Papinius L. 3. Silv. 5, hinc scenam suam oportune instruxit:

Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope, cui mite solum trans aequora vectae
Ipse Dionea monstravit Apollo columba.

Auctor Panegyrici ad Pisonem, quem Lucanum faciunt:

Testis Acidalia quae condidit alite muros
Euboicam referens foecunda Neapolis arcem.

& liquidissimus ille Musarum cycnus, solo tempore veteribus minor, Actius Sincerus Sannasarius L. 2. Eleg. 9.

Nec tamen hoc Grajis cecinit Deus ipse carinis,
Praevia nec lato missa columba mari.

41. ILLA] forte, *Ipsa. ille* habet editio Douzica. optime. vide quae ad Tibullum notavi 1, 4, 19.

41. NON UMQUAM DESIT OCELLIS] puto fuisse a poëtae manu *non usquam.* ita certe requirere videntur superiora. Virgilius L. 2. Aen.

Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.

Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 3.

---- occidi.
Neque virgo est usquam: neque ego, qui illam e conspectu amisi meo.

Tibullus L. 1. Eleg. 3.

---- non hic mihi mater,
Quae legat in maestos ossa perusta sinus.
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis:
Delia non usquam.

50. AUREA DIVINAS URNA PROFUDIT AQUAS] liber Groninganus, Borrichianus, & nostri duo, ac Vaticanus Livinejo inspectus, habent *profudit.* neque aliter Scaligeri codex. illud *refudit* est ab iis qui credebant *pro* in compositis non posse corripi. Passeratius malebat *Aerea*, pro *Aurea*: eo quod aurum non bene videatur convenire simplicitati eorum temporum. sed hoc dandum erat magnificentiae poeticae, praesertim in virgine regia. Ovidius fecit in Hypermnestra, ejusdem fere aetatis heroina:

Undique collucent praecinctae lampades auro.

imo & purpuram addidit:

Purpureos laniata sinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba sono.

mox etiam, quanta fuerit opulentia Inachi, ostendit in filia Io:

Quaeque modo, ut possis etiam Jove digna videri,
Dives eras; nulla nuda recumbis humo.

51. ORITHYIA NEGAVIT] Livinejus reponit *negabit.* quod aptius videbitur prelius examinanti.

Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec umquam
  Alternas revomet vasta Charybdis aquas.
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris.
  Purus & Orion, purus & Haedus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
  Exitus hic nobis non inhonestus erit.
At vos incertam, mortales, funeris horam
  Quaeritis, & qua sit mors aditura via:
Quaeritis & caelo Phoenicum inventa sereno,
  Quae sit stella homini commoda, quaeque mala:
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos:
  Et maris & terrae caeca pericla viae.
Rursus & objectum fletis capiti esse tumultum,
  Quum Mavors dubias miscet utrimque manus.
Praeterea domibus flammam, domibusque ruinam:
  Neu subeant labris pocula nigra suis.

Solus

53. CREDE MIHI, NOBIS MITESCET SCYLLA] Gebhardus e codice Palat. *& nobis*, quod non displicet. pulcre de Scylla ac Charybdi Cicero, orat. de Harusp. respons. C. 27, extr. quae tamen huc parum faciunt.

54. ALTERNANTE VORANS VASTA CHARYBDIS AQUA] meliorem & concinniorem lectionem profert Passeratius, *Alternas revomet vasta Charybdis aquas.* librum ipse non nominat: sed quamvis in nullo exstaret libro, esset tamen ita formanda ex ipsis ductibus literarum. vulgata nihil sani habet: nec puto facile quis explicaverit. noster L. 3. Eleg. 10.

Scyllaque, & alternas scissa Charybdis aquas.

Ovidius Epist. Medeae:

Quaeque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet,
Nos quoque Trinacriae supposuisset aquae.

Virgilius L. 3. Aen.

Dextrum Scylla latus, laevum inplacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos.

& sic ferme Seneca, Hippol. ℣. 1028.

en totum mare
Immugit. omnes undique scopuli adstrepunt.
Summum cacumen rorat expulso sale
Spumans, vomitque vicibus alternis aquas.

vide Homerum L. 12. Odyss. ℣. 235. quem locum tantopere admiratus est Horatius in Arte Poëtica, optimus censor in libro optimo.

57. QUOD MIHI SI PONENDA TUO SIT CORPORE VITA] Passeratius & Livinejus exponunt, Quod si pro te mihi sit moriendum. male. vide quae jam notavi ad L. 1. Eleg. 6. ℣. 26. & ad hujus libri Eleg. 7. ℣. 98. iis adde locum unice huc facientem purissimi nequam Petronii, ab hisce verbis, *Ecce jam ratem fluctus evertet: ecce jam amplexus amantium iratum dividet mare.* &c. nam sat est indicasse. talem vero exitum astris imputat J. Firmicus L. 8. C. 7. *quod si benevolae* (Pleiades) *simul cum malevolis hunc eundem locum aequata radicatione respexerint; aut ex venerea voluptate, aut ex nimio cibo, inter epulas & pocula, sine aliqua lamentatione, mors illis amoena proveniet.*

67. DOMIBUS FLAMMAM, DOMIBUSQUE RUINAM] *flammas, ruinas,* Groninganus, Petro-

Solus amans novit, quando periturus, & a qua
Morte: neque hic Boreae flabra, neque arma timet.
Jam licet & Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat & infernae tristia vela ratis:
Si modo clamantis revocaverit aura puellae,
Concessum nulla lege redibit iter.

Petronius: *illum Diis vota reddentem Penatum suorum ruina sepelit.*

68. NEU SUBEANT LABRIS POCULA NIGRA TUIS] quomodo *tuis*, quum dixerit, *At vos mortales?* repone *suis*. cujus elegantissimae locutionis usum optime ostendit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Epist. Hel. ℣. 251. Casp. quoque Barthius aliquid attulit ad Papin. L. 4. Thebaid. ℣. 836.

71. STYGIA SUB ARUNDINE] Virgilius IV. Geor. 478.

Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaque palus inamabilis unda
Alligat.

72. CERNAT] forte *Solvat.*

73. SI MODO CLAMANTIS] Groninganus, *Si modo damnatum.* perperam. pulcre ad rem Statius L. 3. Silv. 5. ad Claudiam uxorem:

Qualem te nuper Stygias modo raptus ad undas,
Cum jam Lethaeos audirem cominus amnes,
Adspexi, tenuique oculos jam morte natantes.
Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati
Te tantum miserata dedit, Superique potentes
Invidiam timuere tuam.

73. REVOCAVERIT AURA PUELLAE] *aura* est favor, metaphora ab vento secundo desumta. inde *popularis aura.* Horatius L. 1. Od. 5.

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat, nescius aurae
Fallacis.

Commentator: AURAE. *mutabilitatis femineae.* Parisinus Oedipus exponit *flatum vocis puellae.* pejus etiam alii ad odorem retulerunt. Cur non potius ad halitum & anhelitum Cynthiae, ore legentis supremam poëtae sui animam? Certe huc trahere potuissent inscriptionem, quae apud Reinesium exstat Classe I. 118.

AESCVLAPIO. ET. SA
NITATI.
L. CLODIVS. HERMIPPVS
QVI. VIXIT. ANN. CXV. D. V.
PVELLARVM. ANHELITV
QVOD. ETIAM. POST. MORTEM. EIVS
NON. PARVM. MIRANTVR. PHYSICI
IAM. POSTERI. SIC. VITAM
DVCITE.

quamquam jocularis ea est, neque magnam praeferre videtur vetustatem. Componere tamen potes cum Secundi nostri Basio 13. cujus initium,

Languidus e dulci certamine, Vita, jacebam.

quodque magno se vindice tuetur, Caesare Rudolpho Habspurgico. *is* (Cuspinianum audis) *senio confectus hectica febre corripiebatur: ob id solebat Baronum ac nobilium principumque uxores, filias, & puellulas, saepe ad convivium vocare, & maritis etiam praesentibus eas exosculari, dicens, se non posse praesentius invenire remedium, quo corpus suum vegetius redderet, quam animas virginum dulces, & suaveolentes spiritus ex ore puellarum haurire.*

74. CONCESSUM NULLA LEGE REDIBIT ITER] τὸ *nulla lege* exponit Passeratius, *sine edicto.* pessime. redibit iter quod nulla lex redire concedit. *irremeabile* vocant poëtae.

74. REDIBIT ITER] nihil mutandum. Catullus:

Qui nunc it per iter tenebricosum
Illud, unde negant redire quemquam.

XXI.

XXI.

Jupiter affectae tandem miserere puellae:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno.
Frangitur & Juno, si qua puella perit.
Venit enim tempus, quo torridus aestuat aër,
Incipit & sicco fervere terra cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina caeli:
Quam toties sanctos non habuisse Deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas.
Quicquid jurarunt, ventus, & unda rapit.

Num

3. Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno] huc revocavi duos versiculos, loco suo motos, praeeunte Passeratio. Gebhardus legit ex cod. Palat. *poterit commune ignoscere.* i. e. vetus ac solenne istud tuum. male. rem adeo aequam se orare credit poëta, ut ipsa quoque Juno, quamvis Jovis uxor, & formosis omnibus valde infesta, non possit in ea offendi. neque enim otiosum est illud *conjux*: quo se titulo exutam indignatur apud Senecam ac fremit Deorum regina, Herc. Fur.

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Jovem,
Ac templa summi vidua deserui aetheris.

6. Incipit et sicco fervere terra cane] Groninganus, *Incipiunt sicca fervere rura cane.*

7. Sed non tam ardoris culpa est] bona pars librorum, *Sed nec tam ardoris.* credo ne bis geminarent τὸ *non.* quod tamen legitur geminatum in editionibus primis.

8. Quam toties sanctos non habuisse Deos] elegans usus verbi *habere.* Plautus Casin. Act. 2. Sc. 2.

Vir me habet pessimis despicatam modis.

Terentius Eun. Act. 2. Sc. 3.

illis crucibus, quae nos nostramque adolescentiam
Habent despicatam, & quae nos semper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam.

10. Quidquid jurarunt] Groninganus, *jurantur.* quidam alii, *juratur.* istud prius quum invenisset Palmerius; insolentium, antiquatarum, ac plebejarum vocum magnus amator; statim suo probavit calculo, ac firmatum ivit auctoritate Papinii L. 7. Theb.

Numina captivis etiam jurabere Thebis.

nec Gebhardus videtur dissentire. ceterum ut scias quam commode Palmerius ceperit mentem Papinii, & quam turpiter abuti sustinuerit credulitate lectoris sui, paullo plenius adducam eum locum. Sermo est Adrasti ad Archemori manes finitis ludis funebribus:

Nos te lugenti, puer, inficiamur Averno,
Moestaque perpetuis solennia jungimus astris
Nunc festina cohors. At si Boeotia ferro
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris,
Tunc Deus. Inachias nec tantum culta per urbes
Numina; captivis etiam jurabere Thebis.

poterat homo iste tam praefidenter securus Hyginum advocare, ita loquentem L. 2. Poet. Astron. C. 15. *Prometheo* [Jupiter] *pro beneficio meritam retulit gratiam, eumque vinculis liberavit: neque id quod fuerat juratus, remisit, vacuum omni alligatione futurum.* sed & hoc inter plebeja Hygini merito relatum est a viris eleganter eruditis.

10. Ven-

Num sibi collatam doluit Venus? illa peraeque
Prae se formosis invidiosa Dea est.
An contemta tibi Junonis templa Pelasgae?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosae, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi vexatae per multa pericula vitae,
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc Dea, quae Nili flumina vacca bibit.

Ino

10. Ventus et unda rapit] solennis formula. Horatius L. 1. Od. 26.
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.
Tibullus L. 1. Eleg. 5.
Haec mihi fingebam: quae nunc Eurusque
Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.
Lucretius L. 4.
Sed quibus haec rebus novitas confletur, & unde,
Expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
Ovidius Epist. Phyllidis:
Demophoon, ventis & verba & vela dedisti:
Vela queror reditu, verba carere fide.
Catullus Carm. 27.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos inrita ferre & nebulas aërias sinis.
Carm. 67.
Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida scribere oportet aqua.
ubi quod Gifanius mavult *in vino*, nihil me movet proverbium Graecum.

14. Palladis aut oculos ausa negare bonos] optime hunc locum illustratum dedit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 2. Art. Amat. ỷ. 659. Albricus dicit oculos habuisse *splendidos*, imag. Deor. C. 8. sed inde non est judicare, quo fuerint colore. Heinsium juvat Minucius Felix: *Neptunus glaucis oculis, Minerva caesiis, bubulis Juno. caesii* autem ad *ravos* proxime accedunt: qui color pro pessimo habetur. aliquid etiam attulerat Passeratius.

15. Non nostis parcere verbis] Gebhardus, non sine ridiculo fastu, *postis*, pro *potestis*. quod bono jure ei redonavit doctissimus Gronovius L. 4. Observ. C. 22. ostenso simul elegante usu τοῦ *nostis*.

18. Extremo veniet mollior hora die] Passeratius mallet *aura*, pro *hora*. frustra. Horatius L. 2. Od. 16.
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
& L. 1. Epist. 4.
Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.
atque ita compluribus locis.

20. Quae Nili flumine vacca bibit] *flumina*, duo Regii, unus noster, cum Groningano, & editionibus primis. recte. Ovidius, in eadem fabula, L. 1. Metam.
Proque toro, terrae non semper gramen habenti
Incubat infelix, limosaque flumina potat.
Virgilius Eclog. 1.
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.
Valerius Flaccus L. 4. ỷ. 379. ubi ius errores describit:
Illa, ubi vel fessi tremerent erroribus artus,
Vel rueret summo jam frigidus aethere vesper,
Heu quoties saxo posuit latus! aut ubi longa
Aegra siti; quos ore lacus, quae pabula carpsit!

Ino etiam prima terras aetate vagata eſt:
Hanc miſer implorat navita Leucotheën.
Andromede monſtris fuerat devota marinis:
Haec eadem Perſei nobilis uxor erat.
Calliſto Arcadios erraverat urſa per agros:
Haec nocturna ſuo ſidere vela regit.
Quod ſi forte tibi properarint fata quietem,
Illa ſepulturae fata beata tuae;
Narrabis Semelae quo ſis formoſa periclo,
Credet & illa ſuo docta puella malo.
Et tibi Maeonias inter Heroidas omnes
Primus erit, nulla non tribuente, locus.
Nunc, utcumque potes, fato gere ſaucia morem.
Et Deus, & durus vertitur ipſe dies.
Deficiunt magico torti ſub carmine rhombi;
Et tacet exſtincto laurus aduſta foco.

Et

21. INO ETIAM PRIMA TERRAS AETATE VAGATA EST] in tribus libris legitur *terris.* ſed nihil debet mutari. quod oſtendit imitatione ſua Jo. Jovianus Pontanus, antiquis par poëta, L. 1. de Stellis:

Et jam intacta mei ſuperas pars maxima coepti,
Ac mentem calor inſtigat: juvat alta vagari
Sidera, & immenſe propius ſuccedere coelo.

atque hunc ſecutus, nobilis item ſcriptor, Georgius Anſelmus L. 4. Epigr. 25.

Te ſancta, ſupplex Pieridum cohors
Errantium altas coelicolum domos
Aſſueta nobiscum vagari,
Carmine multiferaque loto
Illam precamur vocem, &c.

etiam primae editiones *terras* hoc loco praeterunt. ſic *maria ambulare, terras navigare,* Cicero dixit L. 2. de finib. C. 34. *Ut ſi Xerxes, cum tantis claſſibus, tantiſque equeſtribus & pedeſtribus copiis, Helleſponto juncto, Athone perfoſſo, maria ambulaviſſet, terramque navigaſſet.* ſic *orbem errare* Valerius Flaccus L. 4. ℣. 447.

Nec mihi diverſis erratum caſibus orbem,
Amiſſas aut flere domos, aut dulcia tempus
Lumina.

ſic *fugere* & *refugere vias* Virgilius L. 12. Aen. ℣. 753.

Incluſum veluti ſi quando flumine nactus
Cervum, aut puniceae ſeptum formidine pennae,
Venator curſu canis & latratibus inſtat:
Ille autem, inſidiis & ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias.

29. QUO SIT FORMOSA PERICLO] elegantius noſter ſecundus, *quo ſis.* & ſic ex ingenio correxerat Adr. Behotius L. 2. Apophor. C. 19. addita explicatione non incommoda.

36. ET JACET EXTINCTO LAURUS ADUSTA FOCO] revocanda eſt priſcarum editionum ſcriptura, in quibus *tacet.* neque aliter laudant Lud. Caelius L. 3. C. 7. & Gabr. Humelbergius Comment. ad Q. Serenum Sammonicum, C. 12. erat autem mali ominis ſi laurus deflagraret tacita, nec clare creparet. Ovidius L. 1. Faſtor.

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.

Tibullus L. 2. Eleg. 5.

Haec fuerunt olim. ſed tu, jam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge ſub aequoribus.
Ut ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis,

Omi-

Et jam Luna negat toties descendere caelo;
Nigraque funestum concinit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores
Caerula ad infernos velificata lacus.
Si non unius, quaeso miserere duorum:
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego, *Per magnum salva puella Jovem.*

Ante

Omine quo felix & satur annus erat.
At laurus bona signa dedit. gaudete coloni.
Distendet spicis horrea plena Ceres.

cur autem pro infausto omine haberent laurum tacitam in igne, in caussa erat quod id fieret praeter naturam ipsius arboris. Lucretius L. 6.

Nec res ulla magis, quam Phoebi Delphica laurus
Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Plinius L. 15. C. 30. *Laurus quidem manifesto abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione.* inde adagium, quod ex Diogeniano refert Erasmus noster, *Μείζονα βοᾷ δάφνης χλωρᾶς καιομένης.*

37. Et jam Luna negat toties descendere caelo] Seneca Med. ℣. 812.

Quod si nimium saepe vocari
Quereris; votis ignosce, precor.
Caussa vocandi, Persei, tuos
Saepius arcus, una atque eadem
Semper, Iason.

38. Nigraque funestum condidit omen avis.] *concinit* est in Groningano, unoque nostro, & in excerptis codicis Borrichiani. vere. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 12.

Quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
Omina non albae concinuistis aves?

Tibullus L. 1. Eleg. 6.

Hanc volitent animae circum sua fata querentes,
Semper & e tectis strix violenta canat.

Apulejus L. 2. Metam. *cum haec etiam loca provinciae famigerabilis adire cuperem, peragrata cuncta Thessalia, fuscis avibus Larissam accessi.* nigrae autem aves fere inauspicatae. vid. Plinius L. 10. C. 12. in Regiis est, *condidit omen anus.* quam veram esse lectionem contendit Barthius Animad. Claudian. L. 1. in Eutrop. ℣. 9. vellem etiam ostendisset. an & anus dicitur *omen condere*, quo modo Censor *lustrum?* puto de bubone loqui nostrum. ejus enim gemitum tamquam propinquae mortis dirum nuntium maxime abominabantur. addit tamen Plinius, loco laudato, tamquam grande aliquod arcanum, *Privatorum domibus insidentem plurimis scio non fuisse feralem.*

42. Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.] blanditiae vulgares. efficacius multo, magisque ad verum amorem, Pamphilus ille Terentianus Hecyr. Act. 3. Sc. 1.

Quonam modo, Philumena mea, nunc te offendam affectam?
Nam si periculum ullum in te inest, periisse me una haut dubium est.

44. Per magnum est salva puella Jovem] apage illepidum illud *est.* nec vero comparet in melioribus libris. sic L. 4. Eleg. 3.

Salvo grata puella viro.

Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 13.

Servata Naso Corinna.

Virgilius L. 3. Aen.

Aeneas haec de Danais victoribus arma.

& Eclog. 7.

Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.

quod si noster plena oratione voluisset uti, numquam dixisset *est*; sed *ponit*, *dedicat*, aut tale quid. v. l'Ariosto XXIV. del Furioso, 57.

44. Per magnum Jovem] erudite. nam quamvis ceteri quoque dii dicerentur *magni*, tamen hoc honoris vocabulum ad solum

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedens longa pericla sua.
Haec tua, Persephone, maneat clementia, nec tu
Persephones conjux saevior esse velis.
Sunt apud infernos tot milia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis.
Vobiscum est Iole, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphaë.
Et quot Iona tulit, vetus & quot Achaïa formas,
Et Thebae, & Priami diruta regna senis.
Et quaecumque erat in numero Romana puella,
Occidit. has omnes ignis avarus habet.
Nec forma aeternum, aut cuiquam est fortuna perennis.
Longius, aut propius, mors sua quemque manet.
Tu quoniam es, mea lux, magno demissa periclo,
Munera Dianae debita redde choros.
Redde etiam excubias divae nunc, ante juvencae:
Votivas noctes & mihi redde decem.

Jovem proprie referebatur. Macrobius I. Sat. 12. *Sunt qui hunc mensem* [majum] *ad nostros Fastos a Tusculanis transisse memorent, apud quos nunc quoque vocatur deus Majus, qui est Jupiter, a magnitudine scilicet ac majestate dictus.*

50. PULCRA SIT IN SUPERIS SCILICET ILLA LOCIS] legendum *si licet*, quod jam alii monuerunt: deinde *una*, pro *illa*, omnibus libris auctoribus. neque aliter procedit oppositio *tot milia*.

51. VOBISCUM EST JOPE] de hac *Iope* nulla apud veteres memoria est. If. Vossius legit, *Vobiscum Antiope*, ad Catull. p. 237. id quod jam monuerat Passeratius; qui quum profiteatur esse in nonnullis libris, *Vobiscum est Iole*, cur id non admittamus? & sane admittemus, bono illo codice Groningano sponsore, in quo liquidis literis *Iole* exaratum est. quod & Livinejus observavit. intelliges autem Euryti Oechaliae regis filiam, Herculi adamatam. Beroaldus de *Andromede* somniabat, quae tamen Minervae beneficio in sidera est collocata. at hic sermo erat de inferis.

60. REDDE CHOROS] ita feliciter restituit Scaliger. & Lipsius monuerat L. 5. Ant. Lect. C. 20. ego quoque in octo libris *choros* reperi. Volscus dicit, abortivo solutam Cynthiam, atque ideo Dianae sacrificasse. unde didicit hunc ritum vervecini generis tenebrio? dixisset, votum solvisse Isidi, atque ideo decem noctes pure habuisse. totidem nunc sibi reddi postulat poeta amator. v. Douza Schediasin. succidan. p. 66. sq.

XXII.

XXII.

HEsterna, mea lux, quum potus nocte vagarer.
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat: hos vetuit me numerare timor.
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum.
Hic erat: hunc mulier nobis irata locavit.
Dixit, & in collo jam mihi nodus erat.
Hic alter jubet in medium propellere: & alter,
Intereat, qui nos non putat esse Deos.
Haec te non meritum totas exspectat in horas:
At tu nescio quas quaeris, inepte, foris.

Quae

1. NOCTE VAGARER] in Groningano est *vagarem.* videndus Nonius in *Vagas.* ego tamen nihil muto, quum non soleat noster aucupari voces vetustas, ac jam suis temporibus defunctas.

5. ALII RETINERE SAGITTAS] cogitabam aliquando *tenuere.* sed obstant libri, sensu quoque non incommodo.

7. QUORUM LASCIVIOR UNUS] scribendum videtur *horum.* nam altero abhinc versu *quorum* habuimus. quae compositio dura est, & insuavis.

9. HUNC MULIER NOBIS IRATA LOCAVIT] in uno nostro itemque in Borrichiano est *reliquit*; quomodo fere vulgatae. atqui nihil illo *locavit* erat elegantius, ut certo quasi pretio vexandum Propertium redemerint conducti Cupidines, tralatione admodum amoena. & bene exponit Passeratius. Plautus Aul. Act. 2. Sc. 2.

Si Hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,
Impero auctorque sum, ut tu me cuivis castrandum loces.

11. AT ALTER, INTEREAT] lege cum MSS. *& alter.* nihil enim disjungitur. tamen horum utrumvis ferri potest.

13. TOTAS EXSPECTAT IN HORAS] i. e. in omnes & singulas horas, tota nocte. Plautus Mil. glor. Act. 2. Sc. 2.

Nam os columnatum poëtae esse inaudivi barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Lactantius ipso initio libri de mortibus persecutorum: *Audivit Dominus orationes tuas, Donate carissime, quas in conspectu ejus per omnes horas tota die fundis.*

14. NESCIO QUAS QUAERIS, INEPTE, FORES] acute Douza P. *foris.* tu nescio quas nugas meretricularum foris quaeris, quum formosissimam Cynthiam languere sinas domi. Cicero Accus. 3. in Verr. C. 90. *non circumspiciam, non quaeram foris, cum habeas judices principes civitatis.* Philipp. 2. C. 11. *Hi igitur his majoribus ab alienis potius consilium peterent; quam a suis? & foris potius, quam domo?* Plautus Asin. 2, 2, 53. *Habeo opinor familiarem tergum, ne quaeram foris.* elementa I. & E. facillime commutant.

Quae quum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
  Solverit, atque oculos moverit illa graves:
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
  Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite jam, fratres, jam certos spondet amores:
  Et jam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu,
  I nunc, & noctu disce manere domi.

15. SIDONIAE NOCTURNA LIGAMINA MITRAE] Passeratius malebat *Mygdoniae*, contra omnes libros. *Sidonia mitra* est purpurea, ut *Sidonia vestis* supra Eleg. 13. atque id jam ipse monuerat. elegantissimus est Senecae locus Oedip. ỳ. 412. & bene huc faciens:

Te decet vernis comam floribus cingi,
  Te caput Tyria cohibere mitra;
  Hederave mollem baccifera
Religare frontem:
  Spargere effusos sine lege crines;
  Rursus adducto revocare nodo.

Turpilius ad Nonium in *Rica*: (non quo *ricam* cum *mitra* eamdem arbitrer)

Ducit me secum; postquam ad aedem venimus,
Veneratur Deos; interea aspexit virginem
Injectam in capite riculam indutam ostrinam.

cujus loci partem posteriorem iterum laudat in *Ostrinam*. idem grammaticus. potest & *Sidonia* capi pro *Lydia*, enallage non nimis licente: atque ita cepit Tragicus Romanus Hercul. fur. ỳ. 467.

Fulsitque pictum veste Sidonia latus.

loquitur enim de Herculis cultu muliebri apud Omphalen Lydiae reginam. tum post pauca,

Mitra ferocem barbara frontem premens.

16. OCULOS GRAVES] sic & Cicero orat. post red. in sen. C. 6. p. 370. Calvus:

Jam gravis urgenti connivere pupula somno.

17. ARABUM DE GRAMINE ODORES] venustissimus Sannasarius invertit L. 1. Epigr. 63.

unde prodeunt aurae,
Quae de Sabaeis messibus nihil spirant.

quem imitatus est Douza noster

Sed & Amstelicrum
Usurpasti oculis fortasse & naribus urbem,
Hic ubi nil Arabum spirant de messe plateae.

20. ET JAM AD MANDATAM VENIMUS ECCE DOMUM] *ecce*, quasi opinione citius. Servius ad L. 2. Aen. *in somnis ecce ante oculos moestissimus Hector*] *hac particula utimur quotiens aliquid repentinum volumus indicare. ut: Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.* Asconius Pedianus in 2. Verrin. *Ecce autem*] *Proprium hoc Ciceronis est in rebus improvisis, quod cum cura Virgilius & legit, & transtulit: ut. Ecce autem gemini a Tenedo.*

21. ATQUE ITA ME INJECTO DUXERUNT RURSUS AMICTU] in Groningano est *direxit rursus amictu*, non, ut falso producit Palmerius, *diretit*. unde tamen ipse valde capitales nugas nugatus est, quas nec referam, nec refellam. Palatinus prior Gebhardi habebat *dixerunt*. lege cum ingeniosissimo pariter ac felicissimo Nic. Heinsio, ad L. 5. Metam. ỳ. 114.

Atque ita mi injecto dixerunt rursus amictu.

veste rursus mihi injecta, ita dixerunt:

I nunc, & noctu disce manere domi.

& hoc quoque sanius, quam *noctes*. Plautus Trinum. Act. 2. Sc. 2.

Nec penetrarem me usquam ubi esset damni conciliabulum:
Ne noctu irem obambulatum, neu suum adimerem alteri.

sed videre debes ipsas magni illius Aesculapii poëtarum Notas. Marollius vertit: *Ce fut de la sorte qu'ils m'emmenerent après qu'ils eurent retroussé mon manteau.* haud facile aliunde discas Propertium pallio usum. ideo notari debuit. sed sunt istic plura: inprimis illud mirificissimum *intereat*.

Mane erat, & volui, ſi ſola quieſceret illa,
  Viſere: at in lecto Cynthia ſola fuit.
Obſtupui. non illa mihi formoſior umquam
  Viſa, neque oſtrina quum fluit in tunica.
Ibat & hinc caſtae narratum ſomnia Veſtae,
  Neu ſibi, neve mihi quae nocitura forent.
Talis viſa mihi ſomno demiſſa recenti.
  Heu quantum per ſe candida forma valet.
Quo tu matutinus, ait, ſpeculator amicae?
  Me ſimilem veſtris moribus eſſe putas?

Non

26. NEQUE OSTRINA QUUM FUIT IN TUNICA] bene reſtituit Fruterius *fluit*, L. 1. Veriſim. C. 14. quem idcirco Gebhardus, ut non neceſſario ingenioſum, carpere non debebat. noſter L. 3. Eleg. 15.

Et feries nudos veſte fluente pedes.

Petronius:

quem Lydus adorat
Veſtifluus.

ſic *fluxos veſtium Arſacidas* vocat Apulejus Florid. L. 1. Auſonius Technop.

Vellora depectis nemoralia veſtifluus Ser.

ubi vide Jacobi Tollii notam. Tertullianus lib. de Pallio C. 4. *Prorſus ſi quis Menandrico fluxu delicatam veſtem humi protrahat, audiat pone ſe quod & Comicus.* Phaedrus L. 5. Carm. 2: ad quem reſpexiſſe poteſt Tertulliani mens & manus:

Menander nobilis comoediis,
Unguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.

Tibullus L. 1. Eleg. 7.

Tunc procul abſitis, quiſquis colit arte capillos,
Effluit effuſo cui toga laxa ſinu.

Auctor Elegiae in obitum Maecenatis:

Lydia te tunica juſſit laſciva fluente
Inter lanificas ducere penſa ſuas.

Ovidius L. 3. Art. Amat.

Haec movet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit.

Seneca Oedip. ỷ. 423.

Inde tam molles placuere cultus,
Et ſinus laxi, fluidumque Syrma.

fluit etiam apud alios in *fuit* mutatum eſt Cicero L. 4. ad Attic. epiſt. 16. *res fluit ad interregnum; & eſt nonnullus odor dictaturae.* ibi quoque *fuit* legebatur ante Paullum Manutium.

27. IBAT ET HINC CASTAE NARRATUM SOMNIA VESTAE] *caſtae Veſtae* habent omnes libri, quod bene exponit plurimarum Vir literarum Adr. Turnebus L. 7. Adverſ. C. 26. quare cauſſa non erat, cur illud Beroaldi ac Volſci *in caſta veſte* tam calide defenderet Paſſeratius contra Turnebum. vide ſis Gebhardi notam.

29. TALIS VISA MIHI] haec non cohaerent; neque alterum membrum comparationis uſquam comparet. quocirca videndum, ſi levicula, vel nulla potius, immutatione fulciri poteſt locus labaſcens:

Qualis viſa mihi ſomno demiſſa recenti,
Et quantum per ſe candida forma valet!

cogitabunt homines elegantes, quibus aures ſunt poëticae. nam hos tabernarios verſifices nihil moramur, non ſi vel Delphis Boeotiis regnum habuerint,

Sceptrumque docta geſſerint tumidi manu.

29. DEMISSA] *dimiſſa* Guyetus.

31. QUID TU MATUTINUS] *Quo tu*, Vaticanus Livineji; Borrichianus; Comelini membranae; Groninganus; unus Colbertinus; unus noſter. eleganter. Virgilius Eclog. 3.

quo nunc ſe proripit ille?

adludunt ceteri; ubi *quae*; cum editionibus primis.

Non ego tam facilis: sat erit mihi cognitus unus,
  Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non ulla toro vestigia presso,
  Signa voluptatis nec jacuisse duos.
Adspice ut in toto nullus mihi corpore surgat
  Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, & opposita propellens suavia dextra,
  Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
  Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

33. SAT ERIT MIHI COGNITUS UNUS] *sat erit*, sufficiet. Papinius L. 7. Thebaid.

adspiciam terras, pacemque jubebo
Omnibus: Ogygio sat erit Tritonia bello.

Tibullus L. 4. si tamen is liber Tibullum auctorem habet:

Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis.

Gellius L. 5. C. 5. *atque ibi Rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem adspicit: &, Putasne, inquit, conferri posse, ac satis esse credis Romanis haec omnia? tum Poenus, eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum; Satis plane, inquit, satis esse credo Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sunt.* illustrat etiam nostrum insignis ille Barthius ad L. 1. Theb. Statii ℣. 270. τὸ *cognitus*, vocabulum nequam. Taubmannus explicatum dedit ad Mostellariam Plauti Act. 4. Sc. 2. ℣. 13. nam Passeratius non bene ceperat.


35. APPARENT NON ULLA TORO VESTIGIA PRESSO] confer lepidam fabulam apud Aristaenetum L. 2. Epist. 22.

38. SPIRITUS ADMISSO NOTUS ADULTERIO] notaverat Douza P. in libri sui margine, *natus*. an males, *admissi notus adulterii?* Horatius L. 2. Od. 2.

Notus in fratres animi paterni.

38. NOTUS] forte *natus*.

41. SIC EGO TAM SANCTI CUSTODE RECLUDOR AMORIS] ita liquide noster secundus, cum Groningano. ego, ut verum fatear, non capio illud *custode*; neque, quo referendum sit, satis perspicio. *custos recludor amoris*, primus noster; Borrichianus; membranae Comelini. *custodis rector*, duo Regii; unus Colbertinus; Palatini Gebhardi; editt. principes. Passeratius refingit, *custos secludor*; aut, *custos ejector*, quia legerat in membranis *rejector*. Gebhardus conjicit, *custos rejector*. in τῷ *recludor* latet opinor vera lectio. dele primam literam, habebimus *ecludor*; quod fuerat *excludor*. *custos*, observator, speculator, curiosulus cum oculis emissitiis.



XXIII.

XXIII.

QUaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
Porticus a magno Caesare aperta fuit.
Tota erat in ſpatium Poenis digeſta columnis:
Inter quas Danai femina turba ſenis.

5 Hic

3. TOTA ERAT IN SPECIES POENIS DIGESTA COLUMNIS] *Tota* habet Groninganus. quod firmat Scaligeri liber. deinde omnes membranae, *in ſpeciem:* unde Nic. Heinſius ingenioſiſſime, ut ſolebat, formavit, Not. ad Ovid. L. 3. Faſtor. ℣. 529.

Tota erat in ſpatium Poenis digeſta columnis. tota in ſpatium, pro in totum ſpatium, per omne ſpatium. firmat Seneca Thyeſt. ℣. 649.

Poſt iſta vulgo nota, quae populi colunt,
In multa dives ſpatia diſcedit domus.

Spatiari proprie de ambulationibus in porticu. de hac ipſa Naſo L. 2. Amor. Eleg. 2.

Heſterna vidi ſpatiantem luce puellam,
Illa, quae Danai porticus agmen habet.

& L. 3. Eleg. 11.

Quando ego non fixus lateri ſpatiantis adhaeſi,
Ipſe tuus cuſtos, ipſe vir, ipſe comes?

L. 1. Art. Amat.

Tu modo Pompeia lentus ſpatiare ſub umbra.

ibidem:

Seu pedibus vacuis illi ſpatioſa teretur
Porticus.

L. 2. Triſtium:

Cum quaedam ſpatientur in hac, ut amator eodem
Conveniat, quare porticus ulla patet?

L. 11. Metam.

quaerenſque per arva piorum
Invenit Eurydicen, cupidiſque amplectitur ulnis.
Hic modo conjunctis ſpatiantur paſſibus ambo.

noſter hac ipſa elegia:

Hoc utinam ſpatiere loco, quodcumque vacabis.

& L. 4. Eleg. 8.

Tu neque Pompeja ſpatiabere cultus in umbra.

4. INTER QUAS DANAI FEMINA TURBA SENIS] *inter quas*, inter quas columnas. nam ita diſpoſitae erant Danaidum imagines, ut ſingulae columnae unam haberent in intercolumniis. auctor Ovidius L. 3. Triſt. Eleg. 1. loco mox producendo. Groninganus habet *inter aquas*, uti & noſter primus. quod avide, more ſuo, arripiens Palmerius, *Continuo*, inquit, *orditur numerum picturarum. Tota illa turba Danaidum erat in ſpeciem digeſta inter aquas. Namqui ut illis aquam in dolium pertuſum ingerentibus identidem in orbem labor redeat.* quaero, quid eſt *in ſpeciem digerere?* deinde ſtatuae erant, non picturae, iſtae Danaides. neque aquam in illud pertuſum dolium ingerebant, (non enim tangitur ea pars fabulae) ſed ſtabant habitu novarum nuptarum, uti colligere eſt ex antiquo Scholiaſte Perſii Annaeo Cornuto ad Sat. 2. ℣. 56. *Acron tradit quod in Porticu Apollinis Palatini fuerint quinquaginta Danaidum effigies, & contra eas ſub divo totidem equeſtres filiorum Aegypti.* quam notam, veluti ex ipſo Acrone hauſtam, exſcripſit Joannes Britannicus, tacito Cornuto. ingenioſiſſimus poëta Propertii ſui mentem candidiſſimis aperit verſibus, eo quem modo laudavi loco:

Inde tenore pari gradibus ſublimia celſis
Ducor ad intonſi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi ſunt alterna columnis
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater.

tetigerat etiam initio L. 1. Art. Amat.

Quaque parare necem miſeris patruelibus auſae
Belides, & ſtricto ſtat ferus enſe pater.

quo loco verbum *ſtare* omnino de ſtatuis intelligi debet. ſed praeceſſerat proxime,

Nec tibi vitetur quae priſcis ſparſa tabellis
Porticus auctoris Livia nomen habet.

E e iſtae

Hic equidem Phoebo visus mihi pulcrior ipso
    Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis
    Quatuor artifices vivida signa boves.
Tum medium Clario surgebat marmore templum,
    Et patria Phoebo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
    Et valvae Libyci nobile dentis opus.

Altera

istae tabellae in porticu Liviae suum Palmerio somnium pepererunt. ponebantur autem signa & statuae in intercolumniis. Plinius L. 36. C. 15. de M. Scauri theatro: *columnae, ut diximus, imae duodequadragenûm pedum. Signa aerea inter columnas fuerunt tria millia numero.*

5. PHOEBO VISUS MIHI PULCRIOR IPSO] Apollo Palatinus, Scopae opus. Plinius L. 36. C. 5. *Scopae laus cum his certat. is fecit Venerem, & Pothon, & Phaëthontem, qui Samothrace sanctissimis caerimoniis coluntur. item Apollinem Palatinum.* diversus ab eo alter Apollo in bibliotheca Palatina; cujus nobis memoriam servavit antiquus Horatii interpres Helenius Acro, in L. 1. Epist. 3. *Caesar sibi in bibliotheca statuam posuerat ad habitum ac staturam Apollinis.*

6. MARMOREUS TACITA CARMEN HIARE LYRA] nobilem colorem hinc duxit L. Apulejus L. 2. Florid. in illa bellissima descriptione statuae Bathylli, quam tyrannus Polycrates Junoni Samiae dicaverat: *Laeva distantibus digitis nervos molitur; dextera psallentis gestu suo pulsabulum citharae admovet, ceu parata percutere. Cum vox in cantico interquievit; interim canticum videtur ore tereti semihiantibus in conatu labellis eliquare.* v. l'Ariosto XLII. del Furioso, 81.

8. MYRONIS QUATUOR ARTIFICIS VIVIDA SIGNA BOVES] legendum *artifices*, h. e. artificiose elaboratae, ita ut vivere viderentur ac spirare. Juvenalis Sat. 8.

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis,
Phidiacum vivebat ebur.

Petronius: *Myron, qui paene hominum animas ferarumque aere comprehenderat.* dicuntur autem hic *artifices boves*, ut Persio *vultus artifex*, Sat. 5.

Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

Cornutus: *Artificem vult.] per artem factum, secundum intellectum simulacrorum, quae ab artificibus finguntur.* Plinius, pulcro illo de lusciniis loco, L. 10. C. 29. *eae tantae tamque artifices argutiae a XV. diebus paullatim desinunt, nec ut fatigatas possis dicere aut satiatas.* Quintilianus L. 9. C. 4. *jam in certamine armorum, atque in omni palaestra, quid satis recte cavetur ac petitur, cui non artifex motus & certi quidam pedes adsint?*

9. CLARIO SURGEBAT MARMORE TEMPLUM] in membranis Comelini fuisse *Clario* testatur Gebhardus. optime hunc locum & restituit Scaliger, & interpretatur.

12. LYBICI NOBILE DENTIS OPUS] ex ebore. quod noster *dentem*, id Martialis modo *cornu* vocat, modo *dentem*. Virgilius ab utroque abstinuit, semper aut *ebur* ponens, aut *elephantum*. est autem magnum certamen inter doctos, utrum pars illa ossea, quae ex ore elephanti utrimque prominet, debeat *cornu* dici, an vero *dens*. sententias collegit Lud. de la Cerda ad L. 6. Aen. ℣. 895. cui jungere potes P. Camerarium Medit. Hist. Cent. 2. cap. 96. Ger. Jo. Vossium L. 3. de Idololatr. C. 51. & Wilh. Ern. Tentzelium in Colloquiis Menstruis A. 1696. mense Aprili. quo opere in toto isto ephemeridum genere nihil est neque eruditius neque etiam jucundius.

Altera dejectos Parnasi vertice Gallos,
Altera moerebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem;
Pythius in longa carmina veste sonat.
Illic adspicias scopulis haerere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Jovis:
Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io:
Denique ut ad Trojae tecta volarit avis.
Qui videt, is peccat: qui non & viderit, ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.
Quod si nemo exstat, qui vicerit alitis arma,
Communis culpae cur reus unus agor?
Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Mi nemo objiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere jugis.

Nec

13. PARNASSI VERTICE] nostri, cum Groningano, *Parnasi.* recte. nam quamvis Graece scribatur per *ss*, tamen ita numquam Latini. videndus Pierius Valerianus ad Virgilii Eclogam 10. ℣. 11. atque unico tantum *s* semper scribitur in membraneo codice Virgilii sic satis antiquo, quem adservat Athenaei patrii non leve decus P. Francius.

16. PYTHIUS IN LONGA CARMINA VESTE SONAT] in palla talari citharoedica. vide Passeratium: Lud. Cerdam in L. 6. Aen. ℣. 645. illustrem Spanhemium Observ. in Callimach. p. 63. ubi hunc versiculum perperam expresserunt operae, hoc modo,

Actius in longa carmina veste canit.

19. UT SEMELE EST COMBUSTUS] Groninganus *Semela*, flexione Latina. jam monitum opinor alibi. certe Probus monuit in Catholicis.

19. UT EST DEPERDITUS IO] elegans locutio, nec protrita. Suetonius Domit. C. 3. *Deinde uxorem suam Domitiam, ex qua in secundo sue consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat Augustam, Paridis histrionis amore deperditam repudiavit.*

20. AD TROJAE TECTA VOLARIT AVIS] noster primus cum Borrichiano *volavit.* supra bis habuimus *est.* postulat tamen euphonia *volarit.*

27. LIBEAT TIBI, CYNTHIA, MECUM ROSCIDA MUSCOSIS ANTRA TENERE JUGIS.] noster secundus,

—— liceat modo, Cynthia, mecum
Rorida muscosis antra subire jugis.

primus:

liceat modo Cynthia, tecum
Rorida.

& sic Borrichianus. ambo quoque Colbertini habent *Rorida.* Groninganus & Regii nihil mutant. exponit autem noster Virgilium suum, Eclog. 2.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas.

M. Ant. Flaminius, mollissimus ille & mellitissimus suae tempestatis Catullus, videtur legisse *Rosida*, idque imitatione probasse, L. 1. Carm. 15.

Umbrae frigidulae, arborum susurri,
Antra resida, discolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphae, garrulae aves, amica Musis
Otia.

proba sunt, *rossidus, residus, roridus*, pro diversa ratione scribendi, origine eadem. τὸ *subire* possis ex Ovidio tueri, L. 13. Metam. ubi de Polyphemo:

—— aut gradiens ingenti litora passu
Degravat, aut fessus sub opaca revertitur antra.

Nec tu Virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
  Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
  Et medius tecta cuspide Bacchus erit.

Tum

29. NEC TU VIRGINIBUS REVERENTIA MOVERIS ORA] nec tu in ruborem dabis Musas virgines. *reverentia ora*, pudibunda. videndus hic Passeratius. tentatum olim Lipsio, L. 2. Ant. Lect. C. 10.

Nec te virginei reverentia moverit oris.

quod tamen nemini persuasit. & sane obstant omnes omnium libri.

30. HIC QUOQUE NON NESCIT, QUID SIT AMARE, CHORUS.] Barthius, exponens versum superiorem, Animad. ad L. 5. Theb. Statii ỳ. 27. hunc ita legit,

Hic quoque num nescit, quid sit amare, chorus?

Sane Aldus & Gryphius sic ediderunt: sed contra fidem membranarum, & primarum editionum. est etiam major aculeus, quamquam modeste tectus, in oratione recta.

31. OEAGRI QUAEDAM COMPRESSA FIGURÀ] Orpheum fere Calliopes & Oeagri filium faciunt: itaque *figura Oeagri* hic idem fuerit quod *Oeagrus*. quae sane locutio valde est coacta, ne dicam dura, nec tolerabilis. videtur subesse fabula occultior, quae potuit periisse in tanta strage scriptorum veterum. Poetarum Graecorum plures, quidam etiam Latini, & in iis Naso initio L. 11. Metam. & in epicedio Tibulli, Orphei patrem faciunt Apollinem. Is, puto, quum sciret se fratrem admissum non iri a sorore Calliope, adsumta figura fluvii Oeagri, quem amabat innocens virguncula, ipsam compressit. Ejus fabulae scio nullum exstare vestigium: sed exstant complusculae non absimiles. Sic Callistone potitus est Jupiter sub forma Dianae. Sic Pomonam delusit Vertumnus: sic Antiopen Satyrus. & quis omnes enumeret? geminam germanam fabellam supra habuimus L. 1. El. 13. ubi Tyronem imminuit Neptunus, Enipei fluminis indutus faciem:

Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo
Taenarius facili pressit amore Deus.

ego hoc meum somnium pro mero somnio haberi volo, dum modo docear quidnam hic loci sit *figura Oeagri*. interea videre te velim Jani Parrhasii Commentarium in Claudiani Praefationem L. 2. de Raptu Proserpinae, ubi de patre Orphei Apolline erudite dissertat.

34. ET MEDIUS TECTA CUSPIDE BACCHUS ERIT] libri, *docta cuspide*; quod retinet Passeratius, contentus damnare certissimam Scaligeri emendationem. Catullus Carm. 61.

Quorum pars tecta quatiebat cuspide thyrsos.

Virgilius Eclog. 5.

Daphnis & Armenias curru subjungere tigris
Instituit, Daphnis thiasos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Ovidius Epist. Laodamiae:

Ut quas pampinea tetigisse bicorniger hasta
Creditur.

& L. 3. Metam.

Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.

& L. 11. Metam.

—— hastam
Vitis Apollinei vocalia misit in ora,
Quae foliis praesuta notam sine vulnere fecit.

Seneca Herc. Fur. Act. 4. ỳ. 904.

Adsit Lycurgi domitor & rubri maris,
Tectam virenti cuspidem thyrso gerens.

Macrobius L. 1. Saturn. C. 19. *Colitur apud Lacedaemonios simulacrum Liberi patris hasta insigne, non thyrso. sed & cum thyrsum tenet, quid aliud quam latens telum gerit, cujus mucro hedera lambente protegitur?* apud eundem Eustathius apte ad vitam & mores transtulit L. 7. C. 1. *Sic autem vitiis irretitos, si & hoc in conviviis exegerit loquendi ordo, feriet Philosophia non sentientes, ut Liber pater thyrso ferit per obliquationem circumfusae*

fusae

Tum capiti facros patiar pendere corymbos:
Nam fine te noftrum non valet ingenium.
Hoc utinam fpatiere loco, quodcumque vacabis,
Cynthia: fed tibi me credere turba vetat.
Quum videt accenfis devotam currere taedis
In nemus, & Triviae lumina ferre Deae.
Nam quid Praeneftis dubias, o Cynthia, fortes?
Quid petis Aeaci moenia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant effeda Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?
Scilicet umbrofis fordet Pompeia columnis
Porticus aulaeis nobilis Attalicis:
Et creber platanis pariter furgentibus ordo,
Flumina fopito quaeque Marone cadunt:

Et

fufae hederae latentem mucronem: quia non ita profitebitur in convivio cenforem, ut palam vitia caftiget.

37. HOC UTINAM SPATIERE LOCO, QUODCUMQUE VACABIS,] utinam in hac porticu fpatiari velis, quandocumque eris otiofa. Lipfius ex Nonio reponebat *vagabis*, adplaudente Douza; & Gebhardo; qui tamen Lipfii non meminit. Pafferatius mavult *vagaris*. in feptem libris ego *vacabis* inveni, quod cur rejiciam cauffae nihil video. in Borrichiano eft *vocabis*. manifefta aberratione librarii.

40. TRIVIAE LUMINA FERRE DEAE.] v. Merula ad Ennium p. 390. imâ.

41. NAM QUID PRAENESTIS DUBIAS, O CYNTHIA, SORTES] in quinque libris eft *Praenefti*: duo *pernofti* habent, quomodo & Veneta editio. Gebhardus nobis architectatus eft lectionem auro contra non caram, fi rancor & fitus funt in pretio,

Nam quid Praeneftis dubias, he Cynthia,
fortes.

44. APPIA CUR TOTIES TE VIA DUCIT ANUM] tam ruftice ut infultaverit Propertius dominae fuae! & tamen in libris vel *anum* legas, vel *anus*. pari urbanitate (quamquam ibi ad miferationem facit) nuntius, apud Senecam, reginam Hecubam *anum* vocat, Troad. Act. 5. ℣. 1059.

Quod tam ferum, tam trifte, bis quinis
fcelus
Mars vidit annis, quid prius referens gemam?
Tuofne potius, an tuos luctus, anus?

vix mihi eripi poteft, hunc locum noftri non in menda cubare. neque opem video, nifi a melioribus libris. Nic. Heinfius legebat, fola conjectura ductus, *te via ducit onus*. id quod ego verum arbitror. *onera*, homines qui vehuntur. Maro II. Aen. 729.

Nunc omnes terrent aurae: fonus excitat
omnis
Sufpenfum, & pariter comitique onerique
timentem.

Martialis VIII. 51.

Sic Methymnaeo gavifus Arione delphin
Languida non tacitum per freta vexit
onus.

Nofter 4, 7, 92.

Luce jubent leges Lethea ad ftagna reverti.
Nos vehimur: vectum nauta recenfet
onus.

47. ET CREBER PARITER PLATANIS SURGENTIBUS ORDO] non infcite voculam unam trajecit Douza F.

Et creber platanis pariter furgentibus ordo.

i. e. quarum fummi rami ad eandem altitudinem tondentur. juvat unus liber Gebhardi, in quo, *platanis pariter urgentibus*.

48. FLUMINA SOPITO QUAEQUE MARONE

Et leviter nymphis tota crepitantibus urbe,
Quum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris. ista tui furtum via monstrat amoris.
Non urbem, demens: lumina nostra fugis.

Quo

CADUNT] Maronem Peloponnesi flumen, non longe ab Alpheo, intelligit Scaliger in editione secunda. Maronem vinitorem, comitem expeditionum Osiridis, Turnebus L. 7. Adverf. C. 26. cui non accedo. solent enim fluvii fere dormientium habitu repraesentari. atque ita nobis Tiberim praepinxit Apollinaris Panegyr. Majoriani Aug.

pars proxima Tibrim
Exprimit: hic scabri fusus sub pumice tophi
Proflabat madidum per guttura glauca soporem.
Pectus palla tegit, quam neverat Ilia conjux,
Liquenti quae juncta toro vult murmura lymphis
Tollere, & undosi somnum servare mariti.

sic & fontium nymphae dormientes finguntur in plurimis antiquitatis monumentis. elegantissime Joannes Franciscus Saracenus, Suadae Gallicae medulla:

Tantost je vous disois ce que le grand Malherbe,
Pour flechir Lycoris, Nymphe jeune & superbe,
Comme un cygne mourant, chantoit au bord des eaux,
Où l'Orne paresseux dort parmi les roseaux.

49. ET LEVITER NYMPHIS TOTA CREPITANTIBUS URBE] in Groningano est *lymphis*. hae voces millies confunduntur, nec semper cum periculo. sed hic legendum est *Nymphis*: est enim sermo de statuis a M. Agrippa positis, ad fontes, lacus, castella. tales hic Maro, Nymphae, Triton. Plinius L. 36. C. 15. loco valde notabili: *Sed dicantur vera aestimatione invicta miracula, quae Q. Marcius Rex fecit. is jussus a Senatu aquarum, Appiae, Anienis, Tepulae, ductus reficere, novam nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra Praeturae suae tempus adduxit. Agrippa vero in Aedilitate sua, adjecta Virgine aqua, ceteris corrivatis atque emendatis, lacus septingentos fecit: praeterea salientes centum quinque: castella centum triginta, complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta aerea aut marmorea imposuit, ex marmore quadringentas, eaque omnia annus spatio.* ea *signa* Nympharum fuere, ac Fluviorum. *Nymphae* & *lymphae*, i. e. deae fontium praesides, & ipse aquarum liquor; junguntur in lapide Romano apud Gruterum XCIII. 1.

NYMPHIS. LIMPHISQ. AVG.
DVLCISSIMIS
OB. REDITVM. AQVARVM
PLACIDE. PROSILIENTIVM
AB. POP. ROM. DIV. DESIDER.

est & altera ibidem insignis, N. 8.

TI. CLAVDIVS. ASCLEPIADES
ET. CAECILIVS. ASCLEPIADES
EX. VOTO. NYMFABVS. ϕ D ϕ D

50. QUUM SUBITO TRITON ORE RECONDIT AQUAM] *recondit*, contrarium τῷ condit. promit. notavit magnus Scaliger. pari notione *refluit* posuit Virgilius L. 9. Aen.

Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cum refluit campis, & jam se condidit alveo.

religat Catullus Carm. 60.

Ait haec minax Cybelle, religatque juga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum:
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.

notavit istic Ach. Statius. plura dabit Casaubonus ad Sueton. August. C. 78. Jos. Castalio Dec. 7. Observ. C. 5. Gronovius Diatr. ad Silv. Statii C. 20.

Quo fugis, ah demens? nulla eſt fuga. tu licet uſque
Ad Tanaim fugias, uſque ſequetur Amor.
Non, ſi Pegaſeo vecteris in aëre dorſo:
Nec, tibi ſi Perſei moverit ala pedes.
Vel, ſi te ſectae rapiant talaribus aurae:
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Inſtat ſemper Amor ſupra caput. inſtat amanti,
Et gravis ipſe ſuper libera colla ſedet.
Excubat ille acer cuſtos, & tollere nuſquam
Te patietur humo lumina capta ſemel.
Et jam ſi pecces, Deus exorabilis ille eſt,
Si modo praeſentes viderit eſſe preces.
Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris?
. Spargere & alterna communes caede penates,
Et ferre ad patrios praemia dira lares?

Nil

54. TU LICET USQUE AD TANAIM FUGIAS] quamvis fugere velis ad extremum mundi terminum, ubi deſinere creditur rerum natura. dictum puto ſupra.

55. PEGASEO VECTERIS IN AЁRA DORSO] praefero quod in quinque libris reperi, *in aere*. neque aliter editiones primae. vide fabellam Bellerophontis.

56. PERSEI ALA] v. Huetius ad Antholog. p. t. ſq.

57. VEL SI TE SECTAE MOVEANT TALARIBUS AURAE] melius Regii, Colbertini, & noſter primus, cum edit. priſcis, *rapiant talaribus*. praeceſſerat modo, *Perſei moverit ala*. Horatius L. 3. Od. 11.

I, pedes quo te rapiunt & aurae.

talaria ſic ſubſtantive etiam Virgilius uſurpat L. 4. Aen.

Ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea.

& *plantaria* Valerius Flaccus L. 1.

nunc aërii plantaria vellet
Perſeos.

aliter Papinius L. 1. Thebaid.

Paret Atlantiades dictis genitoris, & inde
Summa pedum propere plantaribus illigat alis.

58. NIL TIBI MERCURII PRODERIT ALTA VIA] utpote alis iter carpentis, inſtar vulturii alicujus, aut lari. ridet has Deorum figuras Minucii Felicis Octavius: *Quid formae ipſae & habitus? nonne arguunt ludibria & dedecora deorum veſtrorum? Vulcanus claudus, & debilis: Apollo tot aetatibus laevis: Aeſculapius bene barbatus, etſi ſemper adoleſcentis Apollinis filius: Neptunus glaucis oculis, Minerva caeſiis, bubulis Juno: pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis*, &c.

61. TOLLERE NUMQUAM] Groninganus, *nuſquam*. quod placet: & ſic paſſim Comici Romani.

67. SPARGEREQUE ALTERNA] eliſio admodum inſuavis. plures libri, *Spargere & alterna*; quod potius reor. ceterum ſpiſſae mihi tenebrae hic ſunt iter illud per Phrygium & Hyrcanum mare; caedes illa alterna, & dira caedis praemia. explicent quibus Sphynx eſt domi. Tamen videamus ſi explicari poſſint citra Sphyngis miniſterium. Cynthia aliquando ſecuta eſt praetorem neſcio quem, qui Illyriam teneret. Cum eo praetore in Pontum quoque perveniſſe videtur. atque ibi duas tunc caedes factas fuiſſe vel conſtitit, vel rumor frequens diſtulit. Certe reverſam

Nil agis: inſidias in me componis inanes:
  Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus eſt: famae jactura pudicae
  Tanta tibi miſerae, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te noſtras me laedit ad aures
  Rumor, & in tota non bonus urbe fuit.
Sed te non debes inimicae credere linguae.
  Semper formoſis fabula poena fuit.
Non tua deprenſo damnata eſt fama veneno.
  Teſtis eris puras, Phoebe, videre manus.
Sin autem longo nox una, aut altera luſu
  Conſumta eſt, non me crimina parva movent.
Iſta ſenes licet accuſent convivia duri.
  Nos modo propoſitum, vita, teramus iter.

Illo-

verſam Cynthiam ſtatim fuiſſe veneficii poſtulatam, nec plene convictam, atque adeo abſolutam, hi verſiculi oſtendunt:

Non tua deprenſo damnata eſt fama veneno.
Teſtis eris puras, Phoebe, videre manus.

Quamquam verſiculus minor ambuſtam potius diſceſſiſſe indicat, quam abſolutam. nam quorſum Solis teſtimonium, ſi judicum hoc ſententiis potuit probari? *Dira praemia* ſunt ſpolia hujus praetoris diri facinoris merces. Ceterum fugam Cynthiae excuſat Helenae ac Veneris exemplis, quarum utraque maritum deſeruit, externo amore capta. unde ſuſpicari licet, Cynthiae maritum, quum iſthaec fierent, in cenſum Libitinae nondum fuiſſe tranſcriptum. veneficii ſive culpam ſive ſuſpicionem alibi quoque amoliri eſt conatus, Eleg. 12. ubi morem ſuum vivendi cum Cynthia paullo ſolutiorem excuſabat:

Haec certe merito poterunt laudare minores:
Laeſerunt nullos pocula noſtra Deos.

67. ALTERNA] Seneca Agam. ℣. 44. *Jamjam natabit ſanguine alterno domus.*

68. PRAEMIA DIRA] *digna*, Groning. *longa*, noſter primus, cum Borrichiano.

69. NIL AGIS] proverbialis locutio de irrito conatu. Cicero Philipp. 13. C. 19. *Id agis, ut, Lepidum aut impium, aut inſanum exiſtimari velis. Nihil agis.*

70. TENDIS INERS DOCTO RETIA NOTA MIHI] Cicero pro Caecin. C. 29. *iis iis ipſis intercludere inſidiis, quas mihi conaris opponere.*

71. SED DE ME MINOR EST FAMAE JACTURA PUDICAE] libet revocare lectionem omnium membranarum, *minus eſt*; ellipſi poetis non inuſitata. Nam ſi de ſua ipſius pudicitia loquitur Propertius, dixit aliquid quod ego explicare nolo. ſed tale nihil dixit. lege itaque, praeeuntibus, quas dixi, membranis:

Sed de me minus eſt: famae jactura pudicae, &c.

adde quod nec conſtructio recte habet, *pudicae famae jactura de me eſt minor.* ita loquitur nemo.

72. QUANTA MERERIS] quanta tu es, quam celebris tu es, quae eam mereris, tanta erit nominis tui infamia. clarius, ſed in re minus ludicra, Juvenalis Sat. 8.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.

78. PURAS MANUS] Seneca Oedip. ℣. 791. verbis ipſius Oedipodis:

Genitor ſine ulla caede defunctus jacet.
Teſtor, licet jam tollere ad coelum pie
Puras nec ulla ſcelera metuentes manus.

79. LONGO LUXU] in libris melioribus eſt *luſu.* quod multis modis rectius videtur.

Illorum antiquis onerentur legibus aures:
  Hic locus est, in quo tibia docta sones;
Quae non jure vado Maeandri jacta natasti,
  Turpia quum faceret Palladis ora tumor.
Tyndaris externo patriam mutavit amore,
  Et sine decreto viva reducta domum.
Ipsa Venus quamvis corrupta libidine Martis,
  Nunc minus in caelo semper honesta fuit?

Quam-

83. ANTIQUIS LEGIBUS] sanctissimis, quibus plurimum accessit reverentiae ab ipsa temporis longinquitate. Cicero pro Rabir. Post. C. 4. *Si est hoc novum in lege Julia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius, inducatur sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova. Sin hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia, per Deos immortales! quid agimus, judices? aut quem hunc morem novorum judiciorum in rempublicam inducimus?*

86. TURPIA CUM FACERET PALLADIS ORA TUMOR.] membranae, *pallidus ora timor.* veram lectionem debemus Beroaldo, minime sua laude fraudando. super ipsa fabula videre potes Athenaeum L. 14. Hyginum Fab. 165. Ovidium L. 3. Art. Amat. & Fastor. L. 6. Lil. Greg. Gyraldum. Hist. Deor. Syntag. 11. P. Leopardum L. 2. Emend. C. 13. Delrium Comm. in Senec. Agam. ỷ. 346. & in L. 2. Claudiani in Eutropium. tale quid & Alcibiaden fecisse memorant. Gellius L. 15. C. 17. *Alcibiades Atheniensis quum apud avunculum Periclen puer artibus ac disciplinis liberalibus erudiretur; & arcessi Pericles Antigenidam tibicinem jussisset, ut eum canere tibiis, quod honestissimum tum videbatur, doceret: traditas sibi tibias, quum ad os adhibuisset, inflassetque; pudefactus oris deformitate abjecit infregitque.*

88. ET SINE DECRETO VIVA REDUCTA DOMUM EST] quidam libri, *Et sine decreto est. v. r. d.* noster autem primus & Borrichianus non habent τὸ *est.* nec ego facile recepero. cave autem τὸ *&* sumas pro conjunctione copulativa. elegantius aliquid sonat: de quo dictum ad Eleg. 19. hujus libri, ỷ. 32. *sine decreto*, quum in ipsam nihil decernere-tur inclementius. Virgilius L. 2. Aen.

Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Aspiciet, partoque ibit regina triumpho?

90. NEC MINUS IN COELO] elegans est disertissimi viri Petri Francii restitutio, *Num minus in coelo*, cum interrogationis nota. favet Cicero L. 2. de Divinat. *Auspiciis Paullus paruit. num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu?* tum L. 6. ad Attic. epist. 1. *audio Appium* προπύλαιον *Eleusine facere. num inepti fuerimus, si nos quoque Academiae fecerimus?* ibidem: *quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur jacet Theophrastus, si id a Timaeo tuo familiari reprehensum est?* & orat. pro Plancio, quomodo quidem verissime emendatum est ab Jano Gulielmio, C. 19. *Est ne haec vera contentio? placet ne sic agi? num possum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propius accedere?* Seneca Herc. fur. ỷ. 454.

Num monstra saeva Phoebus, aut timuit feras?

quam scripturam in Florentino codice reperit doctissimus Gronovius, quum sit in vulgatis

Non monstra, saevas Phoebus aut timuit feras.

recte quoque apud Ciceronem legitur, Philipp. 2. C. 29. *Num sibi soli vicit? Quorum facinus est commune, cur non sit eorum praeda communis?* quamvis non desint libri scripti, qui habeant, *non sibi soli vicit*, uti jam olim Hier. Ferrarius adnotavit. v. Fr. Fabricius in I. de Offic. 31. p. 122. b. Ursinus in III. 18. p. 343. a.
Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 13.

Cur ego plectar amans, si vir tibi marcet ab annis?
Num me nupsisti conciliante seni?

Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes adcubuisse Deam.
Hoc & Hamadryadum spectavit turba sororum,
Silenique senes, & pater ipse chori.
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro
Subposita excipiens, Nai, caduca manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit,
Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit.
Haec eadem ante illam impune & Lesbia fecit.
Quae sequitur, certe est invidiosa minus.

Qui

vide quae Nic. Heinsius notavit ad Heroid. Epist. 11. ỷ. 19. ubi exempla hujus formulae complura. notavit & Gulielmius nonnulla ad Plaut. Curcul. C. 2. p. 92.

92. INTER PECUDES ADCUBUISSE DEAM] abutitur noster voce *dea.* Oenone, Crebrenis amnis filia, Nympha habebatur, non Dea. ipsa apud Nasonem, Epist. 5.

Nondum tantus eras, cum te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha, fui.
Qui nunc Priamides, (adsit reverentia vero)
Servus eras. servo nubere Nympha tuli.

& Nymphas quidem annos vivere innumerabiles, non tamen esse mortis immunes, ex antiquis poëtis tradit Pausanias in Phocicis; atque ex Aristotele Servius ad L. 1. Aen. ỷ. 376. Sane nostram Oenonem, quam poenitebat negatae saucio Paridi medelae, laqueo sibi vitam finivisse auctor est Apollodorus L. 3. C. 11. §. 6. Parthenius vero prae aegritudine animi exspirasse ait, Erotic. C. 4. quem secutus videtur Q. Septimius L. 4. Ephemer. belli Trojani C. 21. *Interim Alexandri funus per partem aliam ad Oenonem, quae ei ante Helenae raptum nupserat, necessarii sui uti sepeliretur perferunt. Sed fertur Oenonem viso cadavere Alexandri adeo commotam, uti amissa mente obstupesieret, ac paullatim per moerorem deficiente animo, concideret. Atque ita uno eodemque funere cum Alexandro contegitur.* non igitur *Dea* Oenone. prudentius distinxit ille omnium poëtarum sapientissimus, L. 1. Aeneid.

O (quam te memorem?) virgo. namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. o Dea, certe;
An Phoebi soror, an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque juves quaecumque laborem.

Jupiter apud Nasonem L. 1. Metam.

Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina Nymphae,
Faunique, Satyrique, & monticolae Silvani:
Quos quoniam coeli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certe terras habitare sinamus.

98. CUR HAEC TAM DIVES?] Cicero orat. pro Plancio C. 25. *Honorum populi finis est consulatus: quem magistratum jam octingenti fere consecuti sunt. horum, si diligenter quaeres, vix decimam partem reperis gloria dignam. sed nemo umquam sic egit, ut tu: Cur iste sit consul?*

98. QUIS DEDIT? UNDE DEDIT?] Cicero Orat. pro Cluent. C. 44. *Doce, quam pecuniam Cluentius dederit, unde dederit, quemadmodum dederit.*

101. HAEC EADEM HAEC ANTE ILLAM IMPUNE ET LESBIA FECIT] ignoscant mihi Manes Scaligeri: non placet haec fultura,

qua-

Qui quaerit Tatios veteres, durasque Sabinas,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.

105 Tu

quatuor synaloephis horrens. mollius libri, quamquam cum hiatu,

Haec eadem ante illam impune & Lesbia fecit.

nihil frequentius poëtis antiquis fuisse, docent passim exempla. id vero ne tu casu factum putes, quod illi certo fecerunt consilio, evolvere debes quae de hiatu observaverunt viri eruditissimi, Jo. Jovianus Pontanus in Actio; Joannes Rivius in libello de Figuris Comicis; Obertus Gifanius in Indice Lucretiano; Ger. Jo. Vossius L. 2. de Arte Grammatica C. 14. pulcerrime Probus Valerius apud Gellium L. 13. C. 20. *Si aut versum pangis, aut orationem solutam struis, non finitiones illas praeraneidas neque foetutinas grammaticas spectaveris; sed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere. quod illa suaserit, id profecto erit rectissimum.*

103. Qui quaerit Tatios veteres durosque Sabinos] Passeratius dicit in quibusdam libris legi *Talios*; unde ipse pro vera lectione nobis architectatur *Talos*, idque ob locum quemdam Festi, scribentis, *Talus in Sabinorum nominibus praenominis loco videtur fuisse.* frustra. nec quidquam mutant nostri libri. Ovidius, Medic. faciei, videtur expressisse hunc ipsum nostri locum:

Forsitan antiquae Tatio sub rege Sabinae
Maluerint, quam se, rura paterna coli.

deinde scribendum *durasque Sabinas*, jam monuerunt Douza P. & Nic. Heinsius. & ostendit ipse Naso L. 2. Amor. Eleg. 4.

Aspera si visa est, rigidasque imitata Sabinas;
Velle, sed ex alto dissimulare puto.

Martialis L. 11. Epigr. 16.

Sunt chartae mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinae.

Juvenalis X. 299.

Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, & veteres imitata Sabinas.

sic & *Metellorum liberi* olim apud Ciceronem legebatur, pro *Metellarum*, orat. post reditum ad Quirit. C. 3. quod idem mendum iterum occurrit in ea post reditum in senatu C. 15. noster & maritos & uxores simul tangit. praeclare ad rem faciunt quae suae tempestatis mulieribus objectat rigidus ille virtutis satelles L. 3. de Benef. C. 16. *Numquid jam ullus adulterii pudor est, postquam eo ventum est, ut nulla virum habeat, nisi ut adulterum irritet? argumentum est deformitatis, pudicitia. Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis sit unum adulterorum par? nisi singulis divisit horas? & non sufficit dies omnibus? nisi apud alium gestata est, apud alium mansit? infrunita & antiqua est, quae nesciat, matrimonium vocari, unum adulterium.*

104. Hic posuit nostra nuper in urbe locum] omnes libri *pedem* habent; quod verum est; non *locum*. Lucretius L. 3.

Te sequor, o Grajae gentis decus, inque tuis nunc
Pressa pedum pono fixis vestigia signis.

& L. 4.

Endogredi porro pariter simulacra, pedemque.
Ponere nobiscum credas, gestumque imitari.

& L. 5.

Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
Trans maria alta pedum nisus ut ponere posset.

Cicero Accus. 1. in Verr. C. 24. *ecquo in oppido pedem posuit, in quo non plura stuprorum flagitiorumque suorum, quam adventus sui vestigia reliquerit?* pro Caecin. C. 11. *armatos homines opposui: ut intelligeres, si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum.* ibid. C. 14. *pedem cum intulero, atque in possessionem vestigium fecero, eum expellar atque dejiciar.* pro Ligar. C. 8. *Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, & prohibiti, ut perhibetis, summa cum injuria.* Philipp. 2. C. 19. *domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, praeter unum Misenum?* Tibullus L. 3. Eleg. 4.

Hic juvenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.

Cicero Philipp. 3. C. 11. *Hodierno die primum, P. C. longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus.*

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu:
Quam facere ut nostrae nolint peccare puellae.
Hic mos Saturno regna tenente fuit:
Et quum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?
Quae Dea cum solo vivere sola Deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.

108. IS MOS SATURNO] melius quidam libri, rejecta litera sibila, *Hic mos.*

111. QUIS POTUIT LECTUM SERVARE PUDICUM] ingens vero solatium infelicibus curucis, si neque ipsi Dei a communi labe fuere immunes. ideo, tamquam facinus rarissimi exempli, conjugis suae pudicitiam ad posteros transmittere voluit maritus ille apud Gruter. DLXXXIX. 1.

IULIA. FIRMA . . . .
SITA. TVMVLO . . . .
QVAE. COMMVNE . .
TORVM. SERVAVIT. CAS
TA. MARITI. ET. FIDEI
PLENA. PIETATE. NOBILIS

credibile est Diis hanc infelicitatem obtigisse, quod eorum voluptates propriae sunt. quibus ebriae mentes facile ad lasciviam prolabuntur. nam aliter fieri apud mortales frugi, ostendit Maro L. 8. Aen.

cum femina primum
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,
Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos.

& Juvenalis Sat. 6.

Praestabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor, somnique breves, & vellere Tusco
Vexatae duraeque manus, ac proximus urbi
Hannibal, & stantes Collina turre mariti.

rebus deinde in melius mutatis, nullo negotio praevaluit exemplum coeleste; coeperuntque sibi mulieres certatim indulgere. neque aliunde sibi argumenta putavit conquirenda, quibus persuaderet puellis, aetatulae ludum ut darent, prudentissimus Naso L. 3. Art. Amat.

Ite per exemplum, genus o mortale, Dearum;
Gaudia nec cupidis vestra negate viris.

qui poëtis minus fidei habent, alias excogitarunt rationes, quibus miserias matrimoniorum communes lenirent. videlicet stuprorum ac libidinum faces coelo & sideribus, uti quemque nascentem conspexerant, transcripserunt, quo ferrentur levius quae fato veniebant. Julius Firmicus L. 6. C. 29. *homines facient multa ornatus diligentia compositos, pulcra facie & hilari, multaeque exspectationis & fortunae. sed tamen in suis conjugiis minime constantes. nam alienas uxores appetentes, vario adulteriorum crimine laborabunt. iis vere e diverso plerumque solet accidere, ut eodem quoque modo eorum uxores alieno concubitu pares vices reddant.*

113. UT AJUNT] recte: quia & fabula est, & turpis fabula, pariter Terentius Eun. Act. 3. Sc. 5.

virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura haec, Jovem
Quo pacto Danaë misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum.

est & amara quandoque insultatio refutantis famam publicam, aut certe elevantis. Dido L. 4. divini operis:

Nec minus aerato Danaë circumdata muro,
Non potuit magno casta negare Jovi.
Quod si tu Grajas, sive es imitata Latinas:
Semper vive meo libera judicio.

en dextra fidesque!
Quem secum patrios ajunt portare Penates:
Quem subiisse humeris confectum aetate parentem!

Pomponius Mela L. 1. C. 19. *Heraclea vocitatur: id famae fidem adjecit. juxta specus est Acherusia, ad Manes (ut ajunt) pervius, atque inde extractum Cerberum existimant.* dictum aliquid supra ad Eleg. 13. ℣. 35.

117. SIVE ES IMITATA LATINAS] male correctores inficeti, *seu sis imitata*: scilicet ut staret versus. Albinovanus etiam produxit τὸ *es* in pulcerrima illa ad Liviam Elegia:

Nata quod es alte, quod foetibus aucta duobus.

& majorum nostrorum memoria Vir non natalibus magis atque honoribus conspicuus, quam ingenii ac facundiae laude, Petrus Bembus:

Deliciae, mea Roma, tuae, lususque, leporque,
Et spes, & senii remus & aura tui,
Gallus, per quem oblisa tuorum es ante malorum,
Occidit: heu sine amore & sine lege Deos.

& saepe magni poetae sic migrant canones grammaticorum. neque tamen voluerunt omnia sibi promiscue licere: quod hodie faciunt non pauci malorum versuum sarcinatores; etiam ii, qui, ut alios nihil sapere doceant, magna mercede conducuntur.

117. LATINAS] *Sabinas*, editio Douzica. male.

XXIV.

TRistia jam redeunt iterum solennia nobis:
Cynthia jam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quae sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quae Dea tam cupidos toties divisit amantes,
Quaecumque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io,
Sensisti, multas quid sit inire vias:
Quum te jussit habere puellam cornua Juno,
Et pecoris duro perdere verba sono.

Ah

3. ATQUE UTINAM NILO PEREAT QUAE SACRA TEPENTE] Groninganus, Borrichianus, Colbertini, noster primus, *Atque utinam pereat Nilo q. s. t.* Nilus autem vero epitheto dicitur *tepens.* vide quae Nic. Heinsius notavit ad Valer. Flacc. L. 5. ℣. 423.

10. ET PECORIS DURO PERDERE VERBA SONO] commodius videtur *pecudis.* nec tamen secedendum a libris, quum sic loquantur plures. Mela, de Api, L. 1. C. 9. *raro nascitur, nec coitu pecoris (ut ajunt) sed divinitus & coelesti igne conceptus.* Columella L. 6. C. *humilis & modica corporatura pecoris operarii debet esse, nervisque & musculis robusta.* atque ita saepe alias. Valerius Flaccus L. 1.

pecoris Nephelaei vellera Grajo
Redde tholo, & tantis temet dignare periclis.

Ah quoties quernis laesisti frondibus ora:
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Jupiter, idcirco facta superba Dea es?

An

12. MANSISTI STABULIS ABDITA PASTA TUIS] repete tecum illud e versu superiore, *Ah quoties.* saepe ita optimi quique scriptores. Cicero L. 10. ad Attic. epist. 9. *dubitabat nostrum nemo quin Caesar itinera repressisset: volare dicitur: Petrejus cum Afranio conjunxisses se: nihil affert ejusmodi.* L. 12. Epist. 41. *si quaeres quid optem: primum Scapulae, deinde Clodiae; postea, si Silius nolet, Drusus aget injuste, Cusinii & Trebonii.* si Silius nolet, si Drusus aget injuste. idem orat. pro domo sua C. 20. *an, si in ipsa latione tua, capta jam urbe, lapides jacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem atque eluviem civitatis sine summa vi pervenire potuisti?* si lapides non sunt jacti, si manus non est collata. sic conjuncto *cum* semel posita, ter intelligitur orat. pro M. Coelio C. 26. *Sic enim fingunt, cum Licinius venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset, tum repente evolasse istos praeclaros testes sine nomine.* C. 27. *Tempore igitur ipso se ostenderunt, cum Licinius venisset, pyxidem expediret, manum porrigeret, venenum traderet:* sic vocula *non* semel expressa, semel subauditur Philipp. 4. C. 1. *Neque enim, Quirites, fieri potest, ut non aut ii sint impii, qui contra consulem exercitus comparaverunt: aut ille hostis, contra quem jure arma sumta sunt.* apud Horatium locus est insignis, & tamen satis obscurus, nisi bis subaudias τὸ *sic*, quod tantum semel ponitur. L. 4. Od. 8.

Dignum laude virum Musa vetat mori,
Coelo Musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis inpiger Hercules.
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

& L. 3. Od. 24.

Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt; si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreae finitimum latus,
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt aequora navitae?
Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduae?

sic constituendus est hic locus, (vidit Tan. Faber) & bis a communi repetendum τῷ *si*. quod non animadversum in fraudem induxerat omnes interpretes. pariter Lactantius lib. de mortib. persecut. C. 18. *debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari, ut duo sint in republica Majores, qui summam rerum teneant, item duo Minores, qui sint adjumento. inter duos facile posse concordiam servari; inter quatuor pares, nullo modo.* intelligendum est *inter duos pares*: quod non neglexit monere novissimus editor Paul. Bauldri, vir doctus & diligens. Minucius Felix: *Quid hoc est rei? cur non agnosco, Caecili, alacritatem tuam illam? & illam oculorum etiam in seriis hilaritatem requiro?* ibi τὸ *cur* semel positum, bis capi debet. eadem ratio est in *si* apud eumdem illum mundissimum scriptorem: *Ceterum si Dii creari possent, interire non possent; plures totis hominibus Deos haberemus.* antiquam elegantiam secutus est poëta elegans Georgius Anselmus, quem vel ideo nomino ut juventuti liberali innotescat prae Faventiis atque Aminibus hodiernis, L. 1. Epigr. 6.

Caussa eadem ut vivam, ut peream, tua lumina: nec me
Servare, ut cupias, sive necare potes.

h. e. sive servare, sive necare. hauserat hoc Parmensis ille ex Horatio suo L. 1. Od. 6.

Nos convivia, nos praelia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium
Cantamus, vacui, sive quid urimur,
Non praeter solitum leves.

sive vacui, sive quid urimur.

13. AGRESTEM DETRAXIT AB ORE FIGURAM] Scaliger notat, nove dictum *agrestem* pro

An tibi non ſatis eſt fuſcis Aegyptus alumnis?
  Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quid tibi quid prodeſt viduas dormire puellas?
  Sed tibi, crede mihi, cornua rurſus erunt.
Aut nos e noſtra te, ſaeva, fugabimus urbe.
  Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuat.
At tu quae noſtro nimium placata dolori es,
  Noctibus his vacui refaciamus iter.
Non audis, & verba ſinis mea ludere: quum jam
  Flectant Icarii ſidera tarda boves.
Lenta bibis: mediae nequeunt te frangere noctes.
  An nondum eſt talos mittere laſſa manus?

Ah

pro ferina. tamen & Naſo ſic loquitur L. 9. Metam.

vultus Achelous agreſtes,
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.

17. QUID TIBI QUID PRODEST] Omnes libri, *Quidve tibi prodeſt.*

19. AUT NOS E NOSTRA TE, SAEVA, FUGABIMUS URBE] ſatis minaciter; neque tamen inanibus minis. nam M. Agrippa, praefectus urbi, ſacra Aegyptia ex urbe ejecit, edicto ne quis ea in ſuburbano intra quingentos paſſus ageret. id factum eſt M. Lollio, Q. Lepido Coſſ. ut Dio refert L. 54. ſub id tempus ſcriptam hanc elegiam arbitror. noſter autem lepide ideo ejicienda Iſiaca auguratur, ne Romanae puellae dormirent ſolae. quamquam in Iſiacis non dormiſſe ſolas, admodum veroſimile eſt.

20. CUM TIBERI NILO GRATIA NULLA FUAT] Plautus Trinum. Act. 2. Sc. 1.

qui in amorem
Praecipitavit, pejus perit quam ſi Saxo ſaliat. apage ſis Amor!
Tuas res tibi habe, Amor! mihi amicus ne fuas umquam.

in omnibus libris *fuit* legitur. quod poſſis exponere, Nullo umquam tempore bene convenit Tibridi cum Nilo. ſuper verbo *fuat* v. Servius ad X. Aen. 108. Nonius p. 111.

22. REFACIAMUS ITER] haec eſt Scaligeri reſtitutio; quam qui tam operoſe convellunt, debebant nos docere auctoritatibus non refellendis, *iter facere ter* ſignificare, tria gaudia ſumere, ſive ter concumbere. *reficere iter* eſt, redire ad antiquum vivendi morem: peracto caſto Iſidis, reverti ad amorem & ludum. Cicero L. 1. ad Attic. epiſt. 2. *quae* [occupatio] *etſi ſumma eſt, tamen nulla eſſe poteſt tanta, ut interrumpat iter amoris noſtri & officii mei. refacere*, antique pro *reficere.* neque enim in compoſitis ſemper mutabant ſonum vocis ſimplicis. ſic *detractare* aliquoties legitur apud Lactantium lib. de Mortibus perſecutor. & notavit ibi Cl. Bauldri ad C. 38. *diſparſis* apud Minucium Felicem: *de ſpicis Iſidis ad hirundinem ſiſtrum, & diſparſis membris inanem tui Serapidis, ſive Oſiridis, tumulum.* idem ſcriptor *inſparſis* dixit, alio loco: *fama, quae ſemper inſparſis mendaciis alitur, oſtenſa veritate conſumitur.*

23. MEA] *me* Heinſius ad Valer. Flacc. p. 391. recte.

24. FLECTANT ICARII SIDERA TARDA BOVES.] Booten cum Icario confundit: v. Heinſius ad Valer. Flacc. II. 68. p. 227. Laur. Balbus ibid. p. 348. 349.

26. AN NONDUM EST TALOS MITTERE LASSA MANUS?] Groninganus, & Veneta, *At nondum.* quod eſſet increpantis. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 7.

At non formoſa eſt, at non bene culta puella;
At, puto, non votis ſaepe petita meis!

Ah pereat quicumque meracas repperit uvas,
  Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Icare Cecropiis merito jugulate colonis,
  Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi:
  Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur aetas,
  Vino saepe suum nescit amica virum.
Me miserum, ut multo nihil est mutata Lyaeo!
  Jam bibe: formosa es: nil tibi vina nocent,

Quum

28. CORRUPITQUE BONAS NECTARE PRIMUS AQUAS] Lutatius ad L. 4. Thebaid. Statii ỷ. 742. *Lycurgi duo fuerunt, Thracius, & Nemeus; de quo loquitur poëta. ille in mare praecipitatus dicitur, quia primus aquis vina permiscuit, & rem in haustu sinceram pluribus venenis infecit.* aliter Hyginus Fab. 274. ubi videre debes Munckeri notam.

29. ICARE, CECROPIIS MERITO JUGULATE COLONIS] videtur hic *jugulatus* positum pro *interfectus.* nam Icarum pastores ebrii fustibus occiderunt, credentes datum sibi ab eo venenum. fabulam habent Apollodorus L. 3. C. 13. §. 7. Hyginus Fab. 130. & Astron. Poët. in Arctophylace: Servius ad L. 2. Geor. ỷ. 388. Lutatius, qui sua debet Servio, ad L. 4. Theb. Statii ỷ. 655. paullo etiam melius, ad laudatum Maronis locum, Probus grammaticus. & complexus est carmine longe elegantissimo Vir inter primos sui temporis Scaevola Sammarthanus, numquam nominandus sine elogio, Silvar. L. 2. similem ac plane geminam fabellam legere est apud Achillem Tatium initio libri secundi.

31. TU QUOQUE, O EURYTION, VINO CENTAURE PERISTI] in libris quibusdam est, *Tuque o Eurytion;* correptum nempe & corruptum ex integro *quoque;* quod, praeter membranas, etiam veteres editiones habent. corripitur *o* ratione praecedentis syllabae brevis, quae absorbetur, & suum spatium transfert in *o.* sic & apud Virgilium corripitur, ob sequentem vocalem brevem, Eclog. 2. *Te Corydon, o Alexi.* Servius: *Antibacchius est: sed o brevis fit, quia vocalis vocalem sequitur.* plura dabunt Erythraeus Ind. Virgil. in *Qui amant*, & Vir incomparabilis Ger. Jo. Vossius L. 2. de Arte Grammat. C. 14. haec quum non animadverteret Gebhardus, ex depravatissima lectione unius libri Palatini formavit nobis versum sulfure & ovis lustrandum,

Tu cur, Euricio, vino foetere petisti?

porro antiquo ac probo more dixit noster, *peristi:* illi enim formabant *obi, obisti, obit; peri, peristi, perit.* quae deinde per geminatum *i* scribi coeperunt. Cicero Orat. in toga candida p. 986. *An oblitus es, te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem?* Orat. pro M. Scauro: *Subit etiam populi judicium, inquirente Cn. Domitio tribuno plebis.* de tempore ne ambigamus, cavent haec Asconii Pediani verba: *Cum enumeraret judicia, quae pater Scaurus expertus est.* Plinius Caecilius L. 2. Epist. 3. *Numquamne legisti, Gaditanum quemdam Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse? statimque ut viderat abisse?* sic enim ibi membranae, & Aldus. in vulgatis est *abiisse.* neque aliter solet purissimus scriptor Lactantius in aureolo libello de Mortibus persecutorum. Minucius Felix: *Vos ipsi calamitosos viros fertis ad coelum; Mucium Scaevolam, qui cum errasset in regem, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset.* etiam apud nostrum bis aut ter legitur *coisse*, libro sequente. ut desinant argutari, qui haec talia metri necessitate poni crediderunt. videndus eminentissimus omnis antiquitatis interpres Henr. Noris Dissert. 4. Cenot. Pisan. C. 4.

35. UT MULTO NIHIL ES MUTATA LYAEO] nostri libri, Groninganus, & Commelin: *est.* quod non debebat mutari: est enim

Quum tua praependent demissae in pocula sertae,
  Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
  Spumet & aurato mollius in calice:
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.
  Est quiddam, quod vos quaerere cogat Amor.
Semper in absentes felicior aestus amantes.
  Elevat assiduos copia longa viros.

nim abruptus sermo admirabundi, & secum loquentis. Plautus Cistell. Act. 1. Sc. 1.

sed quid tu inter istaec verba,
Meus oculus, mea Silenium, (numquam ego te tristiorem
Vidi esse) quid, cedo, te obsecro tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adaeque es, ut soles. hoc sis vide, ut petivit
Suspirium alte! & pallida es.

pariter Horatius Epod. 12. & Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 8. ubi oratio aniculae lenae scortillum novitium callide instruentis:

Est etiam facies, quae se tibi comparet, illi:
Si te non emtam vellet, emendus erat.
Erubuit. decet alba quidem pudor ora: sed iste,
Si simules, prodest: verus obesse solet.

sic & Cicero de C. Verre ad ipsummet C. Verrem, Accusat. 1. C. 14. *Ut hoc pacto rationem referre liceret, eo Sullanus repente factus est, non ut honos & dignitas nobilitati restitueretur. Quod si illinc inanis profugisses, tamen ista tua fuga nefaria, proditio consulis tui, scelerata judicaretur.* multo haec feriunt altius, quam si cum viro illustri Antonio Augustino legas, *eo Sullanus repente factus es.* commutatae personae exemplum est in orat. pro domo C. 2. p. 406. pro Plancio C. 13, plus semel. & C. 29. in L. Pison. C. 17. 27. 30. pro Ligar. C. 3. p. 180. 184. Philipp. 2. C. 44. Philipp. 8. C. 6. Philipp. 2. C. 41. lib. de Senect. C. 8, in versibus Caecilii. Seneca Hippol. ỳ. 705.

Procul impudicos corpore a casto amove
Tactus. quid hoc est? etiam in amplexus ruit?

vide ibidem ỳ. 882. 1184. 1220. 1254. Oedip. ỳ. 34. Ovidium I. Amor. 14. ỳ. 17. 51. III. 11. ỳ. 25. 44. Horatium Epod. 10. ỳ. 21. Senecam Troad. ỳ. 683. Med. ỳ. 193. 560. Ennius Alex. p. 231. *Hominem adpellat. quid lascivis stolide? non intelligit.*

37. QUUM TUA PRAEPENDENT DEMISSAE IN POCULA SERTA] Charisius L. 1. *Neutra semper pluralia — haec serta.* στέφανοι. & deinde, eodem libro: *Serta neutro genere dicuntur, ut Virgil. Serta procul tantum capiti delapsa jacebant. Sed Propertius feminine extulit, Cum tua praependent demissae in pocula sertae. & Cornel. Severus, Huc ades Aonia crinem circumdata serta.* ex hoc loco, Propertii versum bene restituit politissimi atque elegantissimi ingenii juvenis L. Fruterius L. 2. Verisim. C. 10. Scaliger quoque, ac Passeratius; & nuper Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 4. Trist. El. 2. ỳ. 56. ego integra optimi grammatici verba adduxi, quia illi non fecerant, contenti indicasse.

38. ET MEA DEDUCTA CARMINA VOCE LEGIS] Nonius; *Deductum dicitur molle & suave. Virgil. Bucolic. Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen. Deductum, diminutum, suppressum. Lucil. lib. xxx. Deducta tunc voce leo, Cur tu ipsa venire Non vis huc?*

39. LARGIUS EFFUSO MADEAT TIBI MENSA FALERNO] Passeratius *affuso* legit: Nic. Heinsius *infuso*, Not. ad L. 1. Art. Amat. ỳ. 650. Sed videtur noster loqui de vino super mensam sparso, & quo ipsa mensa natabat. id certe *effusum* recte dicitur, ea ratione qua *effundere patrimonium*, *effundere censum*, dicimus; id est, propterve dissipare.

XXV.

CUr quisquam faciem dominae jam credat Amori?
Sic erepta mihi pene puella mea est.
Expertus dico. nemo est in amore fidelis.
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille Deus cognatos, solvit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in Hospitium Menelao venit adulter.
Colchis & ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuae tunc cecidere manus?
Quid, si non constans illa & tam certa fuisset?
Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitae, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis.

Le-

1. CUR QUISQUAM FACIEM DOMINAE JAM CREDAT AMORI?] Regii, & nostri cum Groningano, *credis*, quod & in Veneta legitur. an ita dictum, ut apud Horatium Epod. 3.

Edit cicutis allium nocentius:

amori est in omnibus libris, etiam in excusis ante Beroaldum. nam ab eo est edit. vulgatarum *amica*, quum non diffiteatur invenisse se in antiquis codicibus *amori*. non est cur quisquam nimis sit securus de amore dominae erga se, quum illa sit formosa, & talem nemo non sibi petat. Amorem, uti vides, custodem ac fide jussorem facit pudicitiae ac fidelitatis Cynthiae suae. id quum non perspiceret Beroaldus, supposuit inficetum suum *amica*, quasi Propertius Lyncei custodiae dominam suam credidisset. atqui omnia alia hic reperies, si attenderis.

5. POLLUIT ILLE DEUS COGNATOS,] noster primus *conjunctos*.

8. IGNOTUM NONNE SECUTA VIRUM EST?] τὸ *est* non comparet in eodem libro.

9. LYNCEU] sub hoc nomine Graeco latere Bassum poëtam suspicatur Passeratius: sed nullis argumentis. mihi certum est, Ponticum innui, cujus Thebaida ipse noster invidendo elogio exornavit L. 1. Eleg. 7. & 9. ejus operis hic iterum cum laude meminit, ut nulla sit ratio quae alium aliquem poëtam alludi persuadeat. in Groningano, & Pall. Gebhardi, erat

Lynceu, tune meam potuisti, perfide, curam
Tangere?

sed erectior est vulgata lectio atque efficacior.

12. POSSES ET IN TANTO VIVERE FLAGITIO?] ita Regii & Colbertini. *Posses in tanto*, alii: quod verum videtur. Lynceum monet, quanto se scelere paene polluerit ebrius. Quod si Cynthia fuisset fragilis & minus constans, posses tu, o Lynceu, discussa mox crapula agnitoque demum tam impio flagitio, manus tuas a te ipso abstinere? etiamne vivere sustineres post facinus indignissimum?

Hiscere nonne tibi terra roganda fores?

Lecto te solum, lecto te deprecor uno.
  Rivalem possum non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, aemulor umbras,
  Stultus, quod stulto saepe timore tremo.
Una tamen caussa est, qua crimina tanta remitto,
  Errabant multo quod tua verba mero.
Sed numquam vitae fallet me ruga severae.
  Omnes jam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores.
  Solum te nostros laetor adire Deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
  Proderit? aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Lucreti tibi prosunt carmina lecta?
  Nil juvat in magno vester amore senex.

Tu

18. RIVALEM POSSUM NON EGO FERRE JOVEM] venustissime ille Venerum pater Secundus noster:

Heu, quae sunt oculis meis
Nata praelia cum labris?
Ergo ego mihi vel Jovem
Rivalem potero pati?
Rivales oculi mei
  Non ferunt mea labra.

19. IPSE MEAS SOLUS, QUOD NIL EST, AEMULOR UMBRAS] ideo *stultum* se vocat versu proxime sequente. est autem locutio proverbialis in timidos & suspicaces. Cicero L. 15. ad Attic. epist. 20. *Etsi mihi videtur iste, qui umbras timet, ad caedem spectare; tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus.*

20. SAEPE TIMORE TREMO.] Pall. duo Gebhardi, *tremore tremo.* quod ille praefert, habebat enim aures mire poeticas. mihi a vulgata & recepta lectione abire non libet.

23. VITAE ME FALLET RUGA SEVERAE] *fallet me ruga*, Borrichianus, noster primus, Groninganus, Vaticanus Livinejo collatus. & hoc Francius meus malebat, non pessimus arbiter versuum bonorum.

25. LYNCEUS IPSE MEUS SEROS INSANIT AMORES] unus Colbert. cum nostro secundo, *sacros insanit amores.* primus, *meos ferus insanit:* Groninganus, *meos seros insanit.* an scriptum fuit,

Lynceus ipse meos insanit serus amores?

non tantum amat, quamvis jam aetate provecta, sed & amat meam puellam. tamen nihil sollicito. ab hoc versu novam elegiam orditur Barthius L. 25. Adv. C. 4. invitis omnibus membranis; quae, quod rarum, hic nihil turbant; invito ipso sensu.

26. SOLUM] f. Olim.

28. RERUM DICERE POSSE VIAS] Valerius Flaccus L. 4. ℣. 558.

Fata locosque tibi (possum quat reddere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.

29. AUT QUID CRETAEI TIBI PROSUNT CARMINA LECTA] *prosunt tibi*, est in Vaticano & Groningano, ac Borrichiano. sed quum modo habuerimus *proderit*, videtur hic scribendum *possunt.* quae duo saepissime confunduntur. pro *Cretaei* legendum esse *Lucreti*, bene evicerunt Turnebus L. 7. Advers. C. 26. & Scaliger ad hunc versum. nec lubet repetere tot aliorum affanias. in nostro primo lacuna est hoc loco. unde videas scripturam tum quoque valde fuisse diversam, neque ausum pudentem librarium explere quod non intelligebat. *Senex* ille in sequenti versu non est alius ab Epicuro. quem qui dicunt senem scripsisse de amore, nugas agunt. dicit poeta, nihil pro-

Tu fatius Mufis meliorem imitere Philetam,
 Et non inflati fomnia Callimachi.
Non rurfus licet Aetoli referas Acheloi
 Luxerit ut magno fractus amore liquor.
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo
 Errat, & ipfa fuas decipit unda vias.

Qua-

prodeffe amanti Lynceo fcientiam philofophiae moralis Socraticorum, aut naturalis Epicureorum: fatius fore fi redeat ad poëtas, amicos fuos veteres, imprimis Callimachum ac Philetam. omiferam monere, Barthium pro *Cretaei* reponere *Cittaei*, ac Zenonem intelligere, libro modo laudato. qua mutatione poteramus fine difpendio carere. neque enim fi *Saxonem* dicas, magis intelligetur Barthius, quam quivis alius Saxo eruditus.

31. MELIOREM] ita Scaliger. antiqua lectio erat *memorem Mufis:* quam exponere conatur Gulielmius in Plaut. Aulul. C. 6. p. 63. fed parum efficaciter.

33. NON RURSUS LICET] Groning. *curfus.* & Comelinianus Gebhardi.

34. FLUXERIT UT MAGNO FACTUS AMORE LIQUOR] igitur Achelous prae amore contabefcens in fluvium eft mutatus. aut latet hic aliquid, aut ea nobis fabella periit. Canterus legebat, *magno fractus amore*, L. 5. Novar. Lect. C. 16. & ad luctam cum Hercule ob amorem Deïanirae referebat. ingeniofe. fane Comelini liber habebat *farctus*; quae potuit effe culpa librarii aberrantis. Beroaldus aperte *fractus* habet, neque meminit ullius mutationis. unde non vane colligas, ita in fuis codicibus inveniffe. Adjiciam ejus verba, ut liquido conftet de vetuftate hujus fcripturae: *Licet ergo referas, quemadmodum liquor Acheloi fluminis Aetoli fractus fuerit amore Deïanirae ab Hercule oppreffus. Vel indicat amorem immodicum, utpote cujus ardor fregerit calefeceritque frigidum liquorem. Vel alludit ad hiftoriam, quam referunt Strabo & Diodorus, fcribentes ab Hercule aggeribus & aquarum ductibus Acheloum fuiffe coercitum atque exficcatum, ut ita Oeneo Deïanirae patri gratificaretur.* Haec ille, quae quamvis fcopum non feriant, abunde tamen oftendunt germanitatem τοῦ *fractus.* addo ego, *Luxerit* videri legendum, non *Fluxerit*, auctore ipfo Acheloo L. 8. Metam. ipfo fine:

etiam mihi faepe novandi
Corporis, o juvenes, numero finita poteftas.
Nam modo, quod nunc fum, videor: modo
flector in anguem:
Armenti modo dux vires in cornua fumo.
Cornua, dum potui. nunc pars caret altera
telo
Frontis, ut ipfe videt. gemitus fua verba
fecuti.

& mox cum initio libri noni:

Quae gemitûs, truncaeque Deo Neptunius
heros
Cauffa rogat frontis: cum fic Calydonius
amnis
Coepit, inornatos redimitus arundine crines:
Trifte petis munus: quis enim fua praelia victus
Commemorare velit? referam tamen ordine.
nec tam
Turpe fuit vinci, quam contendiffe decorum eft:
Magnaque dat nobis tantus folatia victor.

idem ille dulciffimus Phoebi olor L. 3. Amor. Eleg. 6.

Cornua fi tua nunc ubi fint, Achelöe, requiram;
Herculis irata fracta querere manu.

Papinius L. 4. Theb.

Herculea turpatus gymnade vultus
Amnis, adhuc imis vix truncam attollere
frontem
Aufus aquis, glaucoque caput fubmerfus in
antro,
Moeret; anhelantes aegrefcunt pulvere ripae.

Boëthius L. 4. de Confol. Philof. carmine ultimo.

Fronte turpatus Achelous amnis
Ora demerfit pudibunda ripis.

vides Acheloum *gemere, moerere, triftem* ac *pudibundum* effe, *queri:* unde rectum omnino videtur τὸ *luxerit*; neque minus τὸ *fractus.* nam fingula ifta redeunt ad frontem altero cornu truncam.

Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arion,
Tristia ad Archemori funera victor equus.
Amphiaraëae nil prosunt fata quadrigae,
Aut Capanei magno grata ruina Jovi.

Desi-

37. ADRASTI FUERIT] *Adrastum tulerit* Heinsius. recte.

37. VOCALIS ARION] recte *vocalis:* erat enim vates, & fata praecinebat. Statius L. 6. Theb. in hac ipsa re, de qua noster:

Senserat adductis alium praesagus Arion
Stare ducem loris, dirumque expaverat insons
Oedipodioniden.

& clarius L. 11, ubi Adrastus

fugit omnia, linquens
Castra, viros, generum, Thebas; ac fata monentem
Conversumque jugo propellit Ariona.

Lutatius: *quia Arion filius Neptuni divinabat.* sed de eo equo plena manu Barthius ad quartam Thebaida ỷ. 43. & Jac. Nicolaus Loënsis L. 2. Epiphyll. C. 6. cujus viri utilissimos labores non magis esse in ore Famae, mirum & indignum.

38. TRISTIS AD ARCHEMORI FUNERA VICTOR EQUUS] Passeratius dicit, (& Papinium laudat auctorem) Arionem excussisse Polynicen rectorem, quem invitus gerebat, & requisivisse dominum Adrastum: ideo hic *tristem* etiam in victoria dici, quum tamen laetos ea reddere soleat. hunc tam insignem viri magni lapsum alba linea probarunt alii, & verbum de verbo exscripsit miser ille Commentator Parisinus. tamen nihil tale Papinius. quem juverit ipsum audire, L. 6. & videre Deum in machina:

At tibi promissos jam dudum Phoebus honores,
Amphiarae, cupit: tandem ratus apta favori
Tempora, pulverei venit in spatia horrida circi.
Cum jam in fine viae, & summum victoria nutat;
Anguicomam monstri effigiem saevissima visu
Ora movet, sive ille Erebo, seu finxit in aestu
Temporis, innumera certe formidine cultum
Tollit in astra nefas. non illud janitor atrae
Impavidus Lethes, non ipsae horrore sine alto
Eumenides vidisse queant. turbasset euntes
Solis equos, Martisque jugum. Nam flavus Arion
Ut vidit, saliere jubae, atque erectus in armos
Stat, sociumque jugi, comitesque utrimque laboris
Secum alte suspendit equos. ruit ilicet exsul
Aonius, nexusque diu per terga volutus
Exuit. abripitur longe moderamine liber
Currus.

sed Passeratium sua decepit memoria, & praeterea lectio depravata. non enim *tristis* hic scripserat poëta, sed *tristia*: quod corruptum fuit ob vocem proximam *ad*, creberrimo in talibus errore. Triste illud Archemori funus, & superbos in funere ludos, amplissimo apparatu libb. 5. & 6. descripsit Papinius, usque ad reprehensionem ambitiosus. possis etiam e nostro colligere, operosam in eadem re fuisse Pontici diligentiam. qua utinam hodie frui liceret, & intercidissent potius quorumdam posteriorum deliciae Aphrodisiae.

39. NON NON AMPHIARAËAE TIBI FATA QUADRIGAE PROSINT, AUT CAPANEI GRATA RUINA JOVI.] ita Scaliger hos versus constituit, ex prava lectione sui codicis; a qua non abeunt Regii, Colbertini, Groninganus, Borrichianus, noster primus. in secundo est,

Non Amphiarëae posi' tibi fata quadrigae,
Aut Capanei magno grata ruina Jovi.

pentameter versus iisdem omnino verbis legebatur in codice Mureti; hexameter autem ita erat conceptus,

Amphiaraëae nil prosunt tibi fata quadrigae.

unde si quis sustulerit *tibi*, probabilem scripturam fecerit. nescio unde habuerit Barthius, nisi ex illo suo mirifico codice, quem aliquoties laudat in Adversariis,

Non Amphiareae prosunt tibi fata quadrigae,
Aut Capanei magno grata ruina Jovi.

ita enim exstat in Animadv. ad L. 11. Theb.

Desine Achilleo componere verba cothurno,
  Desine, & ad molles membra resolve choros.
Incipe jam angusto versus includere torno:
  Inque tuos ignes, dure poëta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.
  Despicit & magnos recta puella deos.

Sed

Statii ℣. 7. Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 1. Fast. ℣. 287, refingit,

Amphiaraëae nil prosunt fata quadrigae,
Aut Capanei irato grata ruina Jovi.

illud *irato* non frustra defendi possit ex fine Thebaidos undecimae. Verum quum addit *τὸ magno* non apparere in vetustis codicibus: scias Virum sagacissimum tum temporis nondum possedisse illum bonae notae librum, quem ego *secundum* vocare soleo. fuit enim ille ipsius quondam Heinsii, & antea Jacobi Mentelii. Non video cur dubites de proba illa Mureti restitutione, postquam accessit nostrarum membranarum fides. & sic puto sanus erit locus mire ac misere interpolatus.

41. DESINE ACHILLEO COMPONERE VERBA COTHURNO] ita liber Scaligeri. reliqui, tamquam in Velabro olearii, *Desine & Aeschyleo.* frustra: nam epos scribebat Ponticus, non drama. Scaliger dicit, intelligi tragoediam Achillen. ejus tragoediae mentio est apud Plautum Prol. Poenuli:

Achillem Aristarchi mihi commentari lubet.
Inde mihi principium capiam ex ea tragoedia.

verterat Ennius, auctore S. Pom. Festo: *Prolato aere astitit, Ennius in Achille Aristarchi cum ait, significat clypeo ante se protento.* duos versus nobis servavit A. Gellii industria L. 4. C. 17. *Ennius, in tragoedia quae Achilles inscribitur,* subices *pro aere alto ponit, qui coelo subjectus est, in his versibus:*

Per ego Deûm sublimes subices, humidus
Unde oritur imber sonitu saevo & strepitu.

sed revera intelligitur aeternum illud Homeri opus Ilias, ubi Achilles utramque paginam facit. adde quod Ponticum noster Homero contulerit L. 1. Eleg. 7.

Atque, ita sim felix, primo contendis Homero.

Cothurnus etiam transfertur ad poemata epica. Martialis 5. Epigr. 5.

Grande cothurnati pone Maronis opus.

& L. 7. Epigr. 62.

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,

43. ANGUSTO VERSUS COMPONERE TORNO] ita Scaliger; qui putat versus torno *includi* recte dici non posse. *componere* habet noster secundus: *includere* primus, Groninganus, Regii, Colbertini, cum editione Veneta. *torno includere* est, puto, finibus comprehendere & torno rotundare. altero abhinc versu habuimus *componere*. quae repetitio nimis foret vicina. est autem translatio gemina in re una. qualis & haec Horatii in Arte Poetica:

delere jubebat
Et male tornatos incudi reddere versus.

44. INQUE TUOS IGNES, DURE POËTA, VENI] P. Scriverius malebat *Dore poëta*, Animad. ad libr. Spectac. Epigr. 31. deceptus puto Graeco Lyncei nomine. *Dure*, inquit Passeratius, qui res asperas & difficiles versibus mandas. cave credas. *durum* vocat, eo quod aversior ab amoribus, & deditus philosophiae studiis. Vide jam plus semel laudatas libri primi elegias. *duri* contrarium est *facilis*. Tibullus L. 1. Eleg. 3.

Sed me, quod facilis tenero sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.

ridicule Marrollius: *quelque Poëte dure que tu sois, parle nous de tes feux.*

45. TU NON ANTIMACHO, NON TUTIOR IBIS HOMERO] Passeratius: *non Antimachus & Homerus te defendent ab Amoris telis.* pudet, & dictum nollem. alii multa de aetate Antimachi, tumore styli, vasto Thebaicorum opere congerunt; quae non magis huc faciunt, quam si cucurbitas pingerent. poëtae mens est, Tu non eris tutior ab amore, o Pontice, quam Antimachus fuit, quamve Homerus. exstat luculentum & bene longum fragmentum Hegesianactis apud Athenaeum L. 13. unde hic nostri locus explicari debet. ibi disces multa non protrita de amoribus veterum poëtarum, praefertim vero

Sed non ante gravis taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis haeserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen a nobis ante domandus eris.

Ha-

ro Antimachi atque Homeri. Ovidius quoque tetigit L. 1. Trist. Eleg. 5.

Nec tantum Clario Lyde dilecta poëtae.

& jam ante duo saecula ex Scholiaste Apollonii, Herodoto, aliis, docuerat Ptolomaeus Flavius cap. 98, Conjectaneorum. quamquam is non videtur Athenaeum legisse.

46. DESPICIT ET MAGNOS RECTA PUELLA DEOS] ne ipsos quidem Deos defendit majestas sua ab amore puellarum: nec verentur puellae venustate sua Deos quoque exurere. *recta puella*, quae in nullam partem inflectitur, quae non movetur timore Deorum. *qui va son train.* Virgilius L. 8. Aen.

Ipse ego te ripis & recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.

Horatius L. 2. Epist. 1.

Securus, cadat, an recto stet fabula talo.

Terentius Heautont. Act. 4. Sc. 3.

Imo ut recta via rem narres ordine omnem.

hoc est, uti supra dixerat,

quin nolo mentiare.
Aperte, ita ut res sese habet, narrato.

noster L. 3.

Recta animi primum debuit esse via.

Plinius Caecilius L. 2. Epist. 19. *Et sane quotusquisque tam rectus auditor, quem non potius dulcia haec, & sonantia, quam austera & pressa delectent?* aliud est illud Horatii L. 1. Sat. 2.

Candida, rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa,
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.

quod in errorem duxit Passeratium, exponentem hic, *quia recta & pulchra, ideo superba.* pessime Marollius: *une fille de belle taille a bien souvent la hardiesse de mépriser les Dieux.*

47. SED NON ANTE GRAVIS TAURUS SUCCUMBIT ARATRO] Douza P. legebat *gravi*, quia id epithetom aratro quam tauro convenientius videbatur. & sic etiam visum Valenti Acidalio in L. 2. Velleji C. 40. sed *gravis* hic est grandis, adultus, validus. Varro L. 1. de R. R. cap. 20. *Ubi terra levis, ut in Campania, ibi non bubus gravibus, sed vaccis aut asinis quod arant, eo facilius ad aratrum leve adduci possunt, ad molas, & ad ea, si quae sunt, quae in fundo convehuntur.* istiusmodi boves Plinius Caecilius *ingentes* vocat L. 5. Epist. 6. *campi, quos non nisi ingentes boves & fortissima aratra perfringunt: tantis glebis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, assurgit, ut nono demum sulco perdometur.* Columella *sublimia* Mevaniae armenta dixerat L. 3. C. 8. *Armentis sublimibus insignis Mevania est. Liguria parvis. Sed & Mevaniae bos humilis, & Liguriae nonnumquam taurus eminentis staturae conspicitur.* Pavones eadem ratione *graves* vocavit Varro Gerontodidascalo:

ubi graves
Pascantur atque alantur pavonum greges.

in sequente versu, τὸ *haeserit* perperam mutatum ivit in *haeserit* Gul. Canterus L. 5. Novar. Lect. C. 16. immemor, Graeco more dici *haeserit cornua*, pro *haeserit cornibus.* addam obiter, videri nostrum hanc similitudinem de Lucilio sumsisse, cujus haec sunt apud Nonium in *Subigere:*

Tune jugo jungas me autem? & succedere aratro
Invitum, & glebas subigas proscindere ferro?

verba sunt, opinor, tauri nondum domiti, nec volentis domari. Sane hujusmodi apologis non indelectatum fuisse magnum Auruncae alumnum, fidem abunde facit de vulpe ac leone aegroto fabella, quam adludit Horatius L. 1. Epist. 1. & scripserat Lucilius Sat. L. 30.

48. CORNUA QUAM VALIDIS HAESERIT IN LAQUEIS] l'Ariosto XI. del Furioso 42.

Come toro salvatico, ch' al corno
Gittar si sente un' improviso laccio;
Salta di quà e di là, s'aggira intorno,
Si colca e leva, e non può uscir d'impaccio.

Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis:
Nec si post Stygias aliquid restabit ad undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Adspice me, cui parva domi fortuna relicta,
Nullus & antiquo Marte triumphus avi:
Ut regnem mistas inter conviva puellas
Hoc, ego quo tibi nunc elevor, ingenio.
Me juvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit jactu certus ad ossa Deus:

Actia

53. NEC SI POST STYGIAS ALIQUID RESTAVERIT UNDAS] noster secundus, & Palatinus Gebhardi, *restabit erumnas.* recta lectio est in editione Douzae, *restabit ad undas.* *ad* valet *apud.* Phaedrus L. 3. Carm. 5.

Pendere ad lanium quidam vidit simium.

& sic frequenter Comici, Caesar, Cicero. loquitur autem ex mente Epicureorum, quae tum philosophia in deliciis erat. videndus Seneca Troad. illo choro,

Verum est, an timidos fabula decipit,
Umbras corporibus vivere conditis?

55. CUI PARVA DOMI FORTUNA RELICTA EST] τὸ *est* non apparet in quibusdam libris, neque hic valde requiritur.

56. NULLUS ET ANTIQUO] Heinsius legebat, *Nullius & prisco.*

59. ME JUVET HESTERNIS POSITUM LANGUERE COROLLIS] Stewechius ad Apulej. p. 61, legebat:

•*Me juvet aeternum positis languere corollis.*

hesternis reposuit Lipsius, ex Vaticano & Fulvii Ursini codice, L. 2. Ant. Lect. C. 10. quod & nostri duo praeferunt, & unus Gebhardi. *externis* habet Groninganus, Borrichianus, & alter Colbertinus; quod est *esternis.* nam *s* & *x* saepe in scriptis commutantur. editionum vulgatarum τὸ *aeternis* acriter tuetur Barthius Animad. ad L. 4. Theb. Statii ỳ. 831. quia *sempiternum* & *aeternum* perhibeatur quod non interrumpitur: & sint *aeternae corollae,* semper sibi succedentes. non audio, Vir Docte. *hesternas* vocat corollas, cum quibus pernoctaverat. sic L. 4. Eleg. 6.

Blanditaeque fluant per mea colla rosae.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Cicero apud Aquilam Romanum: *Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes: partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis & spinis cooperta piscium.* hoc fragmentum est ex oratione pro Q. Gallio, apud Fabium etiam reperiundum VIII. 3. p. 595. vide Notata ad L. 1. Eleg. 15. ỳ. 5. ubi idem error in eadem voce.

60. QUEM TETIGIT JACTU CERTUS AD OSSA DEUS] Noster 1, 7, 15. *Te quoque si certo puer hic concusserit arcu.* adi ad Eleg. 8. ỳ. 7, hujusdem libri. nam Passeratius minus recte: *tetigit ad ossa, pulsavit, pro vulneravit usque ad ossa, imo & intra medullas.* minus inquam recte. illo etiam infelicius Gebhardus:

Quem tetigit jactu (cernis) ad ossa Deus.

nesciebat ille vocem *certus* ad jaculationem vel maxime pertinere? at Valerius Flaccus, quem ubique ad partes vocat, hoc eum docere poterat L. 1. in catalogo Argonautarum: ỳ. 366.

mollique a litore Pellae
Deucalion certus jaculis, & cominus ense
Nobilis Amphion.

ibidem ỳ. 436.

Hinc numerosa phalanx, proles Cyllenia: certus
Aethalides subitas nervo redeunte sagittas
Cogere: tu medios gladio bonus ire per hostes.
Euryte: &c.

Ho-

Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
Caesaris & fortes dicere posse rates.
Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis moenia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus:
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus & impressis haedus ab uberibus.

Felix

Horatius L. 1. Od. 12.
Praeliis audax neque te silebo
Liber, & saevis inimica virgo
Belluis, nec te metuende certa
Phoebe sagitta.
Catullus Carm. 65.
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri.
Seneca Hippol. ℣. 278.
Iste lascivus Puer ac renidens
Tela quam certo moderatur arcu!
Naso L. 1. Metam. ℣. 519.
Certa quidem nostra est: nostra tamen una sagitta
Certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.
Martialis Spectac. 23.
Dorica quam certe venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!

61. ACTIA VIRGILIUM CUSTODIS LITORA PHOEBI] libri fere *Virgilio*, quod puto fuerat *Virgiliom*. Groninganus clare exprimit, *Virgilium*. de *Apolline Actio* videre debes Virum luculentae eruditionis Jac. Nicolaum Loënsem L. 3. Epiphyll. C. 15.

62. CAESARIS ET FORTES DICERE POSSE RATES] Barthius L. 25. Advers. C. 4, refingit
Caesare sit fortes dicere posse rates.
Sit Virgilium dicere posse; (mox addit) Graecismus Propertio dignus. deinde elegans acumen, quasi sola fortitudo ratium in Caesaris virtute sita sit. & hanc conjecturam non sine caussa (ita loquitur) probaturum doctis arbitratur. ego, qui meus est stupor, non video cur a recepta lectione discedere debeamus. neque acuminis laudem invideo suo auctori. Gebhardus *ducere* reponit ex suo Palatino, pro *dicere*, invitis omnibus aliis. Virgilius L. 7. Aen. hoc maluit:
dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in funera reges.
Ovidius L. 1. Art. Amat.
Tergaque Parthorum Romanaque pectora dicam,
Telaque ab averso quae jacet hostis equo.

63. QUI NUNC AENEAE TROJANI SUSCITAT ARMA] alii maluerunt, *Aenean Trojanaque suscitat arma:* ut adludatur, *Arma virumque cano.* sane ejus lectionis vestigium est in Groningano, *Aenee Trojanaque.* ceteri nihil mutant. habet autem nescio quid majestatis τὸ *Aeneae Trojani.* sic passim Virgilio dicitur *Tros Anchisiades, Troius Aeneas, Troius heros, Trojugena.* in quibus singulis vides dignitatem peti ab soli natalis splendore & magnificentia.

64. LAVINIS MOENIA LITORIBUS] noster primus, *Lavinio.* quamquam illud *o* nescio quis videtur transformare voluisse in *s* Consulere debes quae Pierius Valerianus notavit ad L. 1. Aen. ℣. 2. quaeque Nic. Erythraeus indice Virg. in *Lavinaque venit Litera.* non enim defuerunt, qui *Laviniis* mallent. quo ibat noster liber cum suo *Lavinio.*

69. UTQUE DECEM POSSINT CORRUMPERE MALA PUELLAM] omnes libri praeferunt, *puellas.* perperam, & insubide.

70. MISSUS ET IMPRESSIS HAEDUS AB UBERIBUS] *impressa ubera*, non pressa, non

Felix, qui viles pomis mercaris amores,
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolae domini carpere delitias.
Quamvis ille suam lassus requiescat avenam,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae,
Quo seges in campo, quo viret uva jugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Nec minor his animis, nec se minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiae maxima flamma suae.

Haec

mulcta. ita Scaliger, & Passeratius. Papinius L. 5. Theb.

At levis, & miserae nondum mihi notus Iason,
Transtra per, & remos, impressaque terga virorum
Nunc magnum Oeniden, nunc ille hortatibus Idam, &c.

ibi quoque valet, *non pressa:* quod firmat epithetum *levis.* aliter Douza Schediasm. Succidan. p. 67. tamen Marollius aliter intellectum voluit: *un chevreau tiré des mammelles de sa mere dont le laict ne se peut epuiser.* haud vidi magis.

75. QUAMVIS ILLE SUAM LASSUS REQUIESCAT AVENAM] *sua avena* habent libri. sed nihil certius hac emendatione Scaligeri. Virgilius Ecl. 8.

Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Servius: *cursus proprios retardaverunt, & quietos esse fecerunt. Sic Sallustius: paullulum requietis militibus. Quiesco enim duplicem habet significationem; & aliter dico, Quiesco ego, aliter, Quiesco servum, id est, quiescere facio. Calvus in Io: Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.* in Ciri quoque eadem locutione usus erat Maro:

Quae caussa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus?

& comprobavit imitatione sua daemonium illud hominis Daniel Heinsius L. 1. de contemtu mortis:

Ac neque praecipitem pluviam coeloque ruentem,
Nec super excussa crepitantem grandine nimbum,
Nec Boreae horrorem immitis sensisse nec Austri:
Usque adeo cunctos requierat pectore sensus.

itaque nulla caussa est, cur morosi homines nodum quaerant in scirpo apud Senecam, seu quis alius auctor est Herculis in Oeta ℣. 1586.

Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit unda;
Ante descendet glacialis Ursae
Sidus, & ponto vetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quiescant.

86. VARRO LEUCADIAE MAXIMA FLAMMA SUAE] id est, inquit Passeratius, qui flagrabat amore Leucadiae. debuit dicere, Leucadiam flagrasse amore Varronis, siquidem flamma incendium parit. Ovidius L. 2. Trist.

Unde nisi indicio magni sciremus Homeri,

Hos-

Haec quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quîs ipsa notior est Helena.
Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Quum caneret miserae funera Quintiliae.
Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.
Cynthia quinetiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere Fama volet.

Hospitis igne duas incaluisse Deas?
& Amor. 2, 16, 11.
At meus ignis abest. verbo peccavimus uno:
Quae movet ardores est procul; ardor adest:
& Varronem fuisse potentem in amore Leucadiae indidem discimus:
Is quoque, Phasiacas Argo qui duxit in undas,
Non potuit Veneris furta tacere suae.
ceterum; *maxima cura* habet noster primus, non *flamma.* quomodo etiam legitur apud Gyraldum Dial. 4. Historiae poëtarum, itemque in codice Borrichiano.

90. QUINTILIAE] solus, opinor, ex omnibus poëtis Calvus verum dominae suae nomen non dissimulavit. v. Catullus Carm. 92. Politianus Nutric. ℣. 548.

92. MORTUUS INFERNA VULNERA LAVIT AQUA] ex Euphorione Chalcidico expressum notat eruditissimus Schottus L. 2. Obs. Human. C. 26. cujus poëtae scripta omnia interciderunt, quamvis eum Latinum fecisset hic ipse Gallus. qui nec in suis quidem carminibus mitiorem habuit sortem. adeo enim funditus perierunt omnes viri eximii lucubrationes, (nam, praeter Euphorionem Latio donatum, quatuor Amorum libros laudat Servius ad Eclog. 10.) ut ne unum quidem inde fragmentum exstet hodie apud grammaticorum ullum. quod valde mirum videri potest, quum in magno pretio fuerit, etiam post mortem. nam ne famae ejus obfuisse putes indignationem Augusti, satis superque evincunt luculenta testimonia magnorum hominum, qui cum Augusto vixerunt. itaque nihil nobis restat de Cornelio Gallo, praeter solam memoriam. nam libellus ille, qui vulgo sub ejus nomine circumfertur, auctorem habet nescio quem Maximianum, scriptorem barbarum, lutulentum, ac tantum non stercoreum. primus fucum studiosis hominibus facere ausus est, sub nomine tam bono, Pomponius Gauricus. & successit ei mangonium, quamquam contra starent viri eruditissimi, applaudentibus inficeti vulgi suffragiis. Verum, quum lucem claram ferre non posset foetus hic noctuinus, prodiit paullo post alia elegia, auctorem ementita Asinium Gallum, cujus hoc est initium:
Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque ultori signa referre Jovi.
edita autem fuit Florentiae ab Aldo Manutio P. F. de ea quid senserit jam tum Josephus Scaliger, notum est, & plus quam verum. Hier. Columna ad Ennium p. 178. a. *Cornelius Gallus, cujus, si germana sunt, quae in manibus habemus, effoeta jam Musa videtur cecinisse,*
Ortus cuncta suos repetunt, matremque requirunt;
Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.
Quid igitur sibi voluit homo multi nominis Renatus Rapinus, qui, post composita nescio quam feliciter tot paria summorum ex antiquitate virorum, praeferre ausus est Cornelium Gallum (in Elegia, ne erres) Catullo ac Maecenati? ecce ejus verba: *Il nous est resté quelques Elegies de Catulle, de Mecenas, de Cornelius Gallus, qui sont d'une grande pureté, & d'une grande delicatesse: mais le Vers de Catulle & de Mecenas, est d'une trop grande mollesse, & d'une negligence trop affectée: celui de Cornelius Gallus est plus rond, & il se soutient mieux.* o judicium! & tamen, haec qui libenter legunt, multum sibi proficere videntur.

SEX. AURELII
PROPERTII

Liber Tertius

I.

Callimachi manes & Coi ſacra Philetae
In veſtrum, quaeſo, me ſinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte ſacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.

5 Di-

1. Callimachi manes, et Coi sacra Philetae] videndus Hermeſianactis inſignis locus apud Athenaeum L. 13. *ſacra*, poëmatum communis poëtis cultus. Ovidius L. 4. Triſt. Eleg. 10.

At mihi jam puero coeleſtia ſacra placebant,
Inque ſuum furtim Muſa trahebat opus.

& L. 2. ex Ponto Epiſt. 10.

Sunt tamen inter ſe communia ſacra poëtis;
Diverſum quamvis quiſque ſequamur iter.

Perſius prol.

ipſe ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen adſero noſtrum.

Martialis de Silio L. 7. Epigr. 62.

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Implevit magni quam Ciceronis opus.

plura alii. Satius tamen eſt, ut *ſacra* ſint ipſi Manes, qui in Deorum numero habebantur. ſane Dii ipſi ſaepe *ſacrorum* nomine intelliguntur. Virgilius L. 2. Aen.

Sacra ſuoſque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites.

& L. 4.

Tu modo Poſce deos veniam, ſacriſque litatis
Indulge hoſpitio.

2. In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus] male huc vocant, etiam poſt omnes alios ille centonum ſarcinator Gallus cum ligneo nomine, Horatii verſiculum,

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem.

aliud multo poëta voluit. videlicet luci & nemora addebantur virorum clarorum ſepulcris, & ſacra, & ſacerdotes. quae ſingula hic habemus. Virgilius L. 5. Aen. ў. 760. inibi Servium vide.

tumuloque ſacerdos
Ac lucus late ſacer additur Anchiſaeo.

in iis nemoribus ipſi manes habitare credebantur. Virgilius L. 6.

lucis habitamus opacis;
Riparumque toros & prata recentia rivis
Incolimus.

mos antiquiſſimus, qui etiam hodie viget apud populos Orientis.

3. Primus ego ingredior, &c.] feſtiviſſime expreſſit Secundus noſter, dulciſſimus ille Charitum ac Veneris pullus, Eleg. 3. in Majum:

Primus ego ingredior, nullo de more, ſacerdos
Annua nequitiae ponere ſacra meae.

3. Primus ego] decôra jactantia in bonis poëtis. v. Columna ad Ennium p. 10. b.

Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah valeat Phoebum quicumque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me Fama levat terra sublimis, & a me
Nata coronatis Musa triumphat equis,

Et

5. QUO PARITER CARMEN TENUASTIS IN ANTRO] τὸ *tenuastis* primus ex suis libris feliciter emendavit Beroaldus: nam in aliis membranis fere est *tenuistis*. unde Gebhardus facit *teruistis*, adducto Virgilii versu ex secunda Ecloga,

Nec te poeniteat calamo trivisse labellum.

id si procedit, jam *deductum* Maronis *carmen*, sive tenue & exile & molle & tenerum & gracile, dici poterit secundum Gebhardum *tritum carmen*. videamus, si fulciri potest elegans (ita ego censeo) Beroaldi restitutio. Horatius L. 3. Od. 3.

Quo, Musa, tendis? desine pervicax
Referre sermones Deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 1.

Cum bene surrexit versu nova pagina primo;
Attenuat nervos protinus ille meos,

Papinius L. 4, Silv. 7.

Fortis Heroos Erato labores
Differ: atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.
Maximo carmen tenuare tento.

Cicero de Clar. Orat. *Oratorum bonorum duo sunt genera, unum attenuate pressseque, alterum sublate alteque dicentium.* proprie usus est Lactantius de Mortib. persecut. C. 33. ubi Galerii horribilis de vita exitus: *albescit ipse, atque absumtis viribus tenuatur.* sed nihil est tricandum, quum & ante Beroaldum *tenuastis* scriptum fuerit. ecce Volsci verba, isto prioris: TENUASTIS. *tenui dicendi stylo perfecistis. est elegia in extenuato dicendi charactere.*

6. QUOVE PEDE INGRESSI] referebat enim quem pedem cui praeponerent; dextrum an sinistrum. Virgilius L. 8. Aen.

Salve, vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.

L. 10.

Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.

Juvenalis Sat. 10.

quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non poeniteat, votique peracti?

Apulejus L. 1. Metam. *Sed, ut fieri adsolet, sinistro pede profectum me spes compendii frustrata est.* ubi vide quae Beroaldus notavit: & quae Barthius ad Papin. L. 3. Theb. ℣. 261. Sannazarius

Nam bene Thespiacas (Livor licet audiat) undas
Novimus, & dextro pressimus antra pede.

insignis locus est Nasonis Epist. Cydipp. ℣. 69. 70.

6. QUAMVE BIBISTIS AQUAM] quidam libb. *quave bibistis aqua.* utrumque ferri potest.

10. A ME NATA CORONATIS MUSA TRIUMPHAT EQUIS] Passeratius e libro vetere *Nota* repositum ivit: ut sit *nota a me*, quae per me innotuit, & nobilitata est. non placet. pro vulgata stat Caesar bel. Gall. L. 7. C. 43. *Consilia inibat, quemadmodum a Gergovia discederet, ac rursus omnem exercitum contraheret; ne profectio nata a timore defectionis, similis fugae videretur.* & Cicero, orat. pro Plancio C. 27. *Eadem igitur, Cassi, via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam: hoc facilior fortasse, quod ego huc a me ortus, & per me nixus adscendi: istius egregia virtus adjuvabitur commendatione majorum.* & nostri omnes habent *Nata*; ut ipse se quasi auctorem ac parentem faciat Elegiae Romanae. eo spectare videntur illa magnifica,

Sed quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina nostra via.

Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
  Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
  Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
  Qui finem imperii Bactra futura canent.
Sed quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
  Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtae:
  Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
  Post obitum duplici foenore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas;
  Majus ab exequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
  Fluminaque Aemonio cominus isse viro?
Idaeum Simoënta Jovis cunabula parvi?
  Hectora ter campos, ter maculasse rotas?

Deipho-

13. QUID FRUSTRA MISSIS IN ME CERTATIS HABENIS] Auratus malebat *immissis.* sed nihil mutandum. *mittere* enim valet idem quod *immittere.* Horatius L. 4. Od. 14.

impiger hostium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ignes.

16. QUI FINEM IMPERII BACTRA FUTURA CANENT] Groninganus, *canant. Bactra* autem ponit pro ultimo rerum naturae termino, ultra quem non est progredi. neque aliter sensisse Virgilius credi potest L. 8. Aen.

Hinc ope barbarica variisque Antonius armis
Victor ab Aurorae populis & litore rubro
Aegyptum, viresque Orientis, & ultima secum
Bactra vehit.

non ignoro, Servium aliter exponere: sed nullis se finibus continebat Romana ambibitio. Hinc Jupiter L. 1. Aen.

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.

& ab eadem mente Horatius L. 4. Od. 15. de Augusto:

veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen & Italae
Crevere vires, famaque & imperi
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

19. MOLLIA, PEGASIDES, VESTRO DATE SERTA POËTAE] hunc eundem verborum ordinem habet Groninganus: reliqui, *date vestro serta poëtae*, numero minus suavi, & magis laxo.

21. QUOD VIVO DETRAXERIT INVIDA TURBA] solus secundus, *detraxerat*: nam rarus lector amat sua tempora, ut dixit Martialis. sed potior videtur recepta lectio. Justinus Praefat. *Sufficit enim mihi in hoc tempore judicium tuum apud posteros, cum obtrectationis invidia decesserit, industriae testimonium habituro.* tetigit etiam Gebhardus.

27. IDAEUM &c.] v. Delrius Adv. in Senec. Troad. ỳ. 133. p. 238.

28. HECTORA PER CAMPOS TER MACULASSE ROTAS] argute Fruterius, & Livinejus, *Hectora ter campos, ter m. r.* etiam in membranis quibusdam ita legi, Passeratius auctor

Deiphobumque, Helenumque, & Pulydamanta sine armis,
Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, & tu
Troja bis Oetaei numine capta Dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sentit opus.

Me-

auctor est. idem mendum Ciceronem maculabat L. 16. ad Attic. epist. 11. *de laudibus Dolabellae deruam cumulum. attamen est illo loco bella, ut mihi videtur,* [illegible] *, quod eum ter contra cives in acie.* ante Petri Victorii felicem industriam *per contra cives* legebatur. Virgilius L. 1. Aen. rem ipsam praepingit in templo Junonis Carthagine:

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Ausonius Perioch. 22. Iliad. *Hector interfectus, & religatus ad currum, ter circum moenia Trojana raptatur.* ceterum Homerus narrat, Hectorem fugientem ab imminente Achille ter cursu circum urbem actum esse; deinde ad fontes Scamandri occisum, & loris per pedes trajectis currui alligatum; atque ita in magno turbine pulveris raptatum ad naves, spectantibus de muro crudelissimum facinus Priamo cum Hecuba, atque Andromacha: mox vero Achillem currum cum adpenso cadavere ter versasse circum Patrocli sepulcrum. tamen Ausonius maluit Virgilium sequi, merito notatus a Mariangelo Accursio, & Elia Vineto. fidelius Homero haeret L. Septimius L. 3. C. 15. *ipse* [Achilles] *cum caede inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in unum pedibus, vinculo currui postremo adnectit. Dein ubi adscendit ipse, Automedonti imperat, daret lora equis. ita curru concito per campum, qua maxime visi poterat, pervolat, hostem mirandum in modum circumtrahens, genus poenae novum, miserandumque.* Trojanis quidem novum: Thessalis non item, suetis hoc modo poenas sumere de hostibus occisis. vide quae doctissimus Cerda notavit ad laudatum Virgilii locum.

29. Deïphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine armis] noster primus, cum Borrichiano, *Deiphobum Helenumque,* sine conjunctione: uti & Veneta. deinde omnes pariter libri, *Polydamantes in armis,* cum editionibus primis. Scaliger correxit, *Polydamanta sine armis:* Passeratius malebat, *sub armis.* Verum hoc longius abit a ductu literarum, τὸ *sine* haud difficulter prae se ferentium. certe Deïphobus inermis est obtruncatus; cui nocte illa suprema conjux Helena

arma omnia tectis
Emovet, & fidum capiti subduxerat ensem.

Polydamas Antenoris F. consilio clarus habebatur; Helenus vaticinandi arte. ideo recte omnes *sine armis.* est autem hoc loco scribendum *Pulydamanta,* more Graeco, monuit Passeratius, & Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 12. Metam. ℣. 547. quamquam hanc scriptionem superstitionis damnavit Claud. Dausquius ad Silium XII. 212. p. 490. 491.

31. Ilion] malim *Ilios*; non quo ignorem crebro haec nomina confundi, sed vero propter exilem sonum literae *n.* nam id, ni fallor, observarunt veteres in hujus nominis diversa scriptione. Horatius L. 4. Od. 9.

non semel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus, Sthenelusve solus
Dicenda Musis praelia: &c.

Ovidius Epist. Penelopae:

Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios, &, murus quod fuit ante, solum?

sic alii plures. neque est cur objiciat quisquam ex Epistola Laodamiae;

Ilion, & Tenedos, Simoisque, & Xantus, & Ide,
Nomina sunt ipso paene timenda sono.

nam ibi auribus consultum voluit poeta, acerbissime radendis sono illo vastissimo *Ilion & Tenedos.* qui praeterea ingratum tinnit in duobus homoeoteleutis tam vicinis.

33. Homerus Posteritate suum crescere

Meque inter seros laudabit Roma nepotes.
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulcro
Provisum est, Lycio vota probante Deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut solito tacta puella sono.
Orpheu te duxisse feras, & concita dicunt
Flumina Threïcia detinuisse lyra.

Saxa

SCERE SENSIT OPUS] id quidem olim fuit: nunc recondita senet quiete. quid illi judicent, qui sine multa cognitione vel Graeci vel Latini sermonis, tamen sunt elegantes spectatores rerum pulcrarum, satis calide exposuit nuper terribilis antiquae eruditionis exactor Perraltus in suis Parallelis. pro *sensit* habet noster primus *sentit*; quasi Homerus nullo non die fruatur gloriae suae novo incremento, etiam apud inferos. atque haec est vera scriptura. Quam nostro praeivit Tullius initio Agrariae 3. *Commodius fecissent tribuni plebis, Quirites, si, quae apud vos de me differunt, ea coram potius me praesente dixissent.* non voluit dicere *distulerunt*, ut acrius notaret quotidianas tribunorum criminationes, neque umquam cessantes. Philipp. 4. C. 3. *Quid igitur D. Brutus de M. Antonio judicavit? excludit provincia, exercitu obsistit, Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte suoque judicio excitatam.* pulcre Seneca Oedip. ℣. 173. in illa luculenta pestilitatis descriptione:

Quin Taenarii vinculi ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errare locis.

ita ex Florentino codice emendavit J. F. Gronovius, quum vulgo legeretur *errasse*, sensu minus erecto.

36. ILLUM POST CINERES AUGUROR ESSE DIEM] *esse* capit Passeratius pro *fore*, ut sit enallage temporum. sed duo nostri & alter Colbertinus, itemque Borrichianus, legunt *auguror ipse*; quod & in duobus Palatinis Gebhardus invenerat. recte, si quid sentio. Ego, conscientia fretus meritorum, aeternam nominis famam mihi ipse auguror ac polliceor. ita ferme Cicero Catilin. 3. C. 11. *eamdemque diem intelligo, quam spero aeternam fore, & ad salutem urbis, & ad memoriam consulatus mei propagandam esse.* sane noster animose, & ut decebat spiritum excelsum quamvis in materia tenui: tamen valde modeste, si conferas cum Horatio L. 3. Od. 30. Nasone, ipso fine Metamorph. Lucano L. 7. & 10.

38. LYCIO VOTA PROBANTE DEO] Gebhardus quia in uno Palatino invenerat *latio*, persuadere nobis voluit per *Latium Deum* intelligi Augustum, idque propter coenam illam *δωδεκάθεον*, in qua ipse pro Apolline ornatus discubuerat. &c. videlicet tanta vecordia fuisse Propertium, ut Caesari quum palpari vellet, memoriam refricuerit rei omnium infamissimae, & ab Antonio, atque adeo ipsa plebe famelica amarissime proscissae, in tantum quidem, ut eum vocarent *Apollinem tortorem.* ita enim Suetonius Aug. C. 70. apage has naenias saporis tam scholastici. *Lycius Deus* est Apollo, poëtarum numen tutelare, cui vota sua accepta fuisse decenter gloriatur.

41. ORPHEA DETINUISSE FERAS, ET CONCITA DICUNT FLUMINA THREÏCIA DETINUISSE LYRA.] haec est lectio libri primi, cum quo facit Borrichianus: secundus in pentametro habet *sustinuisse*, quod etiam Regii, Colbertini, & Groninganus agnoscunt. & monuerunt Lipsius L. 2. Ant. Lect. C. 10; Modius Novant. Epist. 18; Gebhardus; ac Passeratius. contendunt autem illi, *sustinuisse* idem valere quod inhibuisse, compescuisse, repressisse. non nego: sed & τὸ *detinuisse* idem valet. Tibullus L. 9. Eleg. 9.

Cantus & iratae detinet anguis iter.

Horatius L. 1. Od. 33.

Ipsum

Saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coïsse ferunt.

45 Quin-

Ipsum me melior quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale.
Ovidius L. 1. Metam.
Sedit Atlantiades, & euntem multa loquendo
Detinuit sermone diem.
idem L. 2. Amor. Eleg. 17.
Creditur & Nymphe mortalis amore Calypso
Capta recusantem detinuisse virum.
& clarius L. 2. Artis Amator.
Non potuit Minos hominis compescere pennas:
Ipse Deum volucrem detinuisse paro.
ac L. 4. Ponticor. Epist. 10.
Detinui, dicam, tempus, curasque fefelli.
Hunc fructum praesens attulit hora mihi.
tum nullo veterum inferior popularis noster Grotius:
Qualis praecipitem vates Oeagrius Ebrum
Sithonia fertur detinuisse lyra.
& ingenio illi ac laude scribendi suppar Jacobus Wallius, clarissimum sidus literatae Belgicae, L. 2. Eleg. 3.
Fertur Aristonides, dum talia lusit in umbra,
Ilissum mediis detinuisse vadis.
itaque in versu minore nihil mutandum videtur. in longiore Nic. Heinsius Not. ad L. 11. Metam. ℣. 2. reponit,
Orpheu, te duxisse feras,
ingeniose, nec dubito quin vere. noster L. 2. Eleg. 10.
Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur:
Aut possim Ismaria ducere valle feras.
Horatius L. 1. Od. 12.
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
& L. 3. Od. 11.
Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere, & rivos celeres morari.
Phaedrus L. 3. Carm. 1.
Qui saxa cantu movit, & domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Seneca Herc. fur. ℣. 573.
Quae silvas, & aves, saxaque traxerat
Ars, quae praebuerat fluminibus moras
Ad cujus sonitum constiterant ferae.
idem Oedip. ℣. 612.
manuque sustines laeva chelyn
Qui saxa dulci traxit Amphion sono.
Martialis quoque nostrum aperte imitatus est L. 14. Epig. 164. cujus lemma *Cithara.*
De Pompejano saepe est ejecta theatro,
Quae duxit silvas, detinuitque feras.

43. SAXA CITHAERONIS] Pausanias in Boeoticis docet, totam olim Graeciam regibus paruisse: sed Boeotos alium e suis regibus neminem, quam Asopum, & eo superiorem Cithaeronem nosse; a quorum altero flumini, ab altero monti nomen fuerit. Hunc vero Cithaeronem fuisse valde callidum, ostendit lepida quae inibi refertur fabella. *Sedentem Junonem fecit Callimachus: Nympheuomenem, sive Desponsatam nominant, ob hujusmodi rei eventum. Junonem ajunt iratam Jovi, incertum qua de caussa, in Euboeam secessisse: Jovem, cum placare eam non potuisset, ad Cithaeronem, qui tunc Plataeensibus imperabat, venisse. Ejus monitu Jupiter simulacrum e ligno fabricavit, illudque plaustro vestimentis velatum imposuit: in vulgus vero prodidit, Plataeam eam esse Asopi filiam, quae sibi esset desponsa. Id ubi ad Junonis aures pervasit, accurrit ilico; & ad plaustrum accedens, veste conscissa, ligneam esse effigiem comperit, quam novam esse nuptam putarat. falsam se itaque laetanti animo ferens, facile in gratiam cum Jove rediit.*

44. SPONTE SUA] Seneca Phoeniss. ℣. 566.
poteris hat Amphionis
Quassare moles? nulla quas struxit manus,
Stridente tardum machina ducens onus;
Sed convocatus vocis & citharae sono
Per se ipse turres venit in summas lapis.
le Roux, poeta Gallus, oda I. Horti Hesperidum:
Haec cure: Orpheus: quique sono lyrae

Quinetiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis & Baccho & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes:

Nec

Thebana vates moenia condidit,
Cum membra muri sparsa moris
Sponte sua coiere saxis.

45. QUIN ETIAM POLYPHEME] festive Polyphemum nobis praepingit urbanissimus poëta Lucilius L. 15.

Multa homines portenta in Homero versificata
Monstra putant; quorum inprimis Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes, & porro huic maju' bacillum,
Quam malus navi in corbita maximus ulla.

videndus jucundissimus Theocritus Idyllio 6. & 11. Ovidius L. 13. Metam. Lucianus dialogo Doridis & Galateae.

45. FERA GALATEA SUB AETNA] celeberrima apud poëtas Nympha. vide quae Nic. Erythraeus notavit Indice Virgil. in *Galatea.* Natalis Comitis L. 9. Mythol. C. 8, verba sunt: *dicitur Polyphemus non modo amasse Galateam, sed etiam Galatum ex illa suscepisse, ut testatus est Bacchylides.* verum quum Bacchylides perierit nobis, ingenui hominis erat indicare apud quem scholiastem aut grammaticum veterem illud invenisset; non autem, dum fontes suos occultat, captare famam legentis invisos inauditosque aliis auctores. nimirum laborabat Natalis hoc morbo, nec bello, nec imitando; probe idcirco depexus Caspari Barthio Animad. ad Papin. L. 9. Theb. ℣. 428.

46. AD TUA RORANTES CARMINA FLEXIT EQUOS] unus noster, & Borrichianus, *duxit equos*; quod potuit effictum esse de versu 41, *Orpheu, te duxisse. equos* autem intellige pisces frenatos: nam talibus vehebantur Deae marinae. Tibullus L. 1. Eleg. 6.

Talis ad Aemonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato caerula pisce Thetis.

Valerius Flaccus L. 1.

Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis: aequora Delphin
Corripit: illa sedet dejecta in lumina palla;
Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem.

v. Virgilius V. Aen. 818. & IV. Geor. 387. inibi Servius. Ovidius XI. Metam. 237. Auctor Pervigilii Vener. ℣. 10. Gorlaeus An. 16. Papinius II. Theb. 45. perquam venusta tralatione ii pisces nostro *equi* dicuntur. & secutus est Honoratus Fasitellus, nobilis superiorum temporum poëta, ad homines transferens:

Regem magna virûm proceraque colla duorum
Sublimem junctis sustulerant manibus.
Hi currus illis, hae sunt in honore quadrigae:
Non aliis prisco more vehuntur equis.

respexit autem is ad locum Plinii minoris Panegyr. *Nam priores invehi & importari solebant, non dico quadrijugo curru & albentibus equis, sed humeris hominum.*

49. QUOD NON TAENARIIS] Scaliger clarius fore putabat, *Non quod Taenariis.* Passeratius τὸ *quod non* valere dicit, *quod si non.* quem solens sequitur Parisinus interpres. mihi videtur *quod* hic significare *quamvis.* Lucretius L. 6.

Ut, lapidem ferro quom caedimus, evolat ignis:
Nec, quod frigida vis sit ferri, hoc secius illa
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.

Terentius Eunuch. Act. 5. Sc. 8.

miles edico tibi,
Si te in platea offendero hac post umquam, quod dicas mihi,
Alium quaerebam: iter hac habui: peristi.

Ovidius L. 1. Art. Amat.

Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit;
Multa dedit populo vulnera, multa dabit.

in

Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musae comites, & carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata meo si qua es celebrata libello;
Carmina erunt formae tot monumenta tuae.

Nam

in carmine libero:

Quod sum jam senior, meumque canis
Cum barba caput albicat capillis:
Deprensos ego.

50. NEC CAMERA] ita libri. alii omnibus viribus contendunt, *camara* scribi debere: eoque nomine incessunt Nonium, qui *cameras* dixerit esse tecta in curvitatem formata. sane utroque modo scribebatur, teste Sosipatro Charisio L. 1. *Camara dicuntur, ut Verrius Flaccus affirmat; non camera per e. sed Lucretius* cameraeque caminis Ex cratibus *dicendo, etiam cameram dici posse ostendit.* quae verba quamquam hodie in Lucretio non reperiuntur, tamen nobis sufficere debet auctoritas doctissimi grammatici.

51. NEC MEA PHAEACAS] id est, *Phaeacias.* istius metaplasmi exempla aliquot insignia collegit elegantissimi Vir ingenii P. Scriverius Animad. ad lib. Spectacul. Epigr. 31. inconsulte τὸ *Phaeacias*, quod est in vulgatis, defendit N. *Erythraeus*: indice Virgil. in *Phaeacum aërias arces.* inconsultius etiam retinuit Silvius, nam Passeratius ut ne retineretur pridem monuerat.

52. NON OPEROSA RIGAT MARTIUS ANTRA LIQUOR] scribendum est *Marcius.* nam sic & Plutarchus & Dio scribunt, & postulat gentis Marciae denominatio. Plinius L. 31. C. 3. *Clarissima aquarum omnium in toto orbe, frigoris salubritatisque palma praeconio Urbis, Marcia est, inter reliqua Deum munere Urbi tributa ---- ---- Primus eam in Urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in praetura.* sunt & aquae Marciae inscriptiones Romae ad portam Esquilinam, apud Gruterum CLXXVII. 1.

IMP. TITUS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX
TRIBVNICIAE. POTESTAT. IX. IMP. XV.
CENS. COS. VII. DESIG. VIII.
RIVOM. AQVAE. MARCIAE. VETVSTATE DILAPSVM. REFECIT
ET. AQVAM. QVAE. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. PARTH. MAXIM.
BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM. MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO. FONTE. EXCISIS. ET. PERFORATIS
MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISITO. ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONIANO
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM. CVRAVIT

& sic scriptum vidimus in membranis melioribus apud Tibullum L. 3. Eleg. 6.

Naida Bacchus amat. cessas o lente minister?
Temperet annosum Marcia lympha merum.

Aquae Marciae castellum erat in monte Esquilino. v. Montfaucon T. 1. Diar Ital. p. 108. sq.

53. CARMINA CARA LEGENTI] Groninganus, *grata legenti.* verùm hoc nescio quid minus notat, quam illud *cara.*

55. SI QUA ES CELEBRATA LIBELLO] primus liber, cum Borrichiano, *cantata.* tum omnes ceteri, *est.* utrumque frustra. nam & *cantare* exilius est quam *celebrare*, & est non respondet τῷ *tuae.*

56. CARMINA ERUNT FORMAE TOT MONUMENTA TUAE] magnifice. Vellejus Paterculus L. 2. C. 38. *Syria Pontusque Cn. Pompeii virtutis monumenta sunt.* illud *tot* valet *totidem.* Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 12.

Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
  Nec Jovis Elaei caelum imitata domus;
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri
  Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores;
  Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aevo
  Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Quam vir, quam custos, quam janua firma, tot hostes,
Servabant, ne qua posset ab arte capi.

Libri mei erunt totidem monumenta potentis tuae pulcritudinis. varie hunc locum torquet Passeratius; neque hilum extricat.

57. NAM NEQUE PYRAMIDUM] & hic a suo Cicerone, ut solet, colorem duxit, imitatione non puerili. Sic vero Deus ille eloquentiae Romanae, orat. pro M. Claudio Marcello C. 4. *Hujus autem rei tu idem & dux es, & comes: quae quidem tanta est, ut tropaeis monumentisque tuis allatura finem sit aetas. nihil est enim opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat & consumat vetustas. At haec tua justitia & lenitas animi florescet quotidie magis, ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus.*

60. MORTIS AB EXTREMA CONDITIONE VACAT] libri fere *vacant*. quod amplector.


62. ANNORUM AUT ICTU] *Armorum*, duo nostri, & Colbertinus alter. perperam. quamvis omnes humanarum rerum vicissitudines superent atque evincant, tamen ipso longaevitatis pondere corruent. totum hunc locum luculentissime expressit princeps ille poëtarum Gallorum Franciscus Malherba:

Il ne faut pas que tu penses
Trouver de l'eternité
En ces pompeuses depenses,
Qu'invente la vanité.
Tous ces chefs-d'oeuvres antiques
Ont à peine leurs reliques:
Par les Muses seulement
L'homme est exempt de la Parque,
Et ce qui porte leur marque
Demeure éternellement.

confer Huetium. Poëm. p. 68.

62. ANNORUM AUT ICTU] forte *actu*. de quo cogitandum. certe *pulsare* in re non absimili dixit Juvenalis VI. Sat. 193.

Tunc etiam, quam sextus & octogesimus annus
Pulsat, adhuc Graece?



II.

VIsus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum
Tantum operis nervis hiscere posse meis.
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit;
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pilâ,
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate;
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota Deos;
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
Anseris & tutum voce fuisse Jovem.

Quum

6. PATER ENNIUS] v. Columna ad Ennium p. 10. a. Lucretius III. 9.

7. ET HORATIA PILA] sic alibi *aquae Bajae, venena Colcha*, & quae sunt id-genus alia centena. nihil ajunt, qui *Pilam Horatiam* adludi putant. germanum in modum Manilius L. 5. quo loco de Haedis:

Nec crede severae
Frontis opus Signo; strictos nec crede Catones,
Abruptumque patri Torquatum, & Horatia facta.

8. REGIAQUE] v. Merula ad Ennium p. 556.

9. VICTORISQUE MORAM FABII] elegantius libri scripti, *Victricesque moras Fabii.* atque id jam expresserant editiones ante Scaligeranam.

9. VICTRICESQUE &c.] Merula ad Ennium p. 464. sqq.

10. VERSOS AD PIA VOTA DEOS] v. Merula ad Ennium p. 450. sq.

11. HANNIBALEMQUE LARES ROMANA SEDE FUGANTES] Passeratius ait, in quibusdam libris *caede* legi: atque inde conjicit, *Romana ex aede*, id est, ex aede & fano Rediculi, sive Tutani. nostri nihil mutant. *Romana sedes* est ipsa urbs Roma, sedes Reipublicae. Catullus Carm. 78.

Praeterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes.

Cicero orat. pro domo sua C. 23. *in quos propter eorum crudelitatem inflammatae mentes nostrae fuerunt, cum horum etiam tectis ac sedibus residere aliquod bellum semper, videtur.*

11. LARES] at Herculi Tutano tribuit Varro. v. Douza Schediasm. succidan. pro Tibullo p. 57.

12. ANSERIS ET TUTUM VOCE FUISSE JOVEM] nota e multis historia. Virgilius L. 8. Aen.

Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus Gallos in limine adesse canebat.
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris & dono noctis opacae.

inde festivum argumentum captavit Naso L. 1. Fastor.

Nec defensa juvant Capitolia, quo minus anser

Quum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
 Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
 Carminis heroi tangere jussit opus?
Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti.
 Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno jactetur saepe libellus,
 Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros?
 Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
 Tutus eris. medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
 Qua nova muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
 Pendebantque cavis tympana pumicibus.

Ergo

Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.

& multo cum lepore Tryphon Bentius, poëta Italus:

Quid benefacta juvant? quid vos servasse, Quirites,
Et Capitolini templa superba Jovis?
En, jaculis summa pendens ex arbore vestris,
Postmodo victori praeda futura, petor.
Ergo non aliam, tanta feritate, decebat
Quam vestri altricem sanguinis esse lupam.

Ceterum *anser* pro olore positus est apud Virgilium in Ciri:

Aeriis potius sublimen sustulit alis,
Esset ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amycleo formosior ansere Ledae.

quem locum expressit Georgius Anselmus, poeta elegans, quamquam hodie pene ignorabilis, nullo suo merito, Epigr. L. 2.

Aurea Ledaeo formosior ansere Elissa.

& recte quidem illi. nam olores in anserino genere numerant naturae consulti.

17. NON HIC ULLA TIBI SPERANDA EST FAMA] sensus & Latinitatis ratio postulant, *Non hinc.* quomodo ad marginem sui libri notaverat Douza P. & legitur in editione Volsci. sic infra Eleg. 7.

Fama nec ex aequo ducitur una jugo.

18. MOLLIA SUNT PARVIS PRATA TERENDA ROTIS] plana haec, & sana. sed libet mirari acumen Gebhardi, producentis ex codice Palatino *formis* pro *parvis*: ut *formae rotae* sint, conformes, aptae mollibus pratis. &c. adeo commodum est semper cum sapientia habitare.

23. ALTER REMUS AQUAS, ALTER TIBI RADAT ARENAS] expressit nostrum auctor Agamemnonis, sive is Seneca est, sive potius Memor, ut Jos. Scaliger statuebat, ℣. 103.

Felix, mediae quisquis turbae
Sorte quietus,
Aura stringit litora tuta;
Timidusque mari credere cymbam,
Remo terras propiore legit.

28. PENDEBANTQUE CAVIS TYMPANA PUMICIBUS] illustravit hunc versum Turnebus L. 26. Advers. C. 33. adducto Plinio L. 36. C. 21. *Non praetermittenda est & pumicum natura. Appellantur quidem ita & erosa saxa, in aedificiis, quae musea vocant, dependentia, ad imaginem specus arte reddendam.* sane poetis saxa quaevis erosa, de quibus sacra dea-

rum

Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami, Pan Tegeee, tui.

Et

rum ac nympharum antra construxerunt, *pumices* vocantur, aut *tophi*. in quibus verbum *pendere* quam maxime proprium est; neque temere in Plinio legitur. Pedo Albinovanus Consol. ad Liviam Aug. de Tiberino:

Paret: & in longum spatiosas explicat undas;
Structaque pendenti pumice tecta subit.

Ovidius Epist. Sapphus:

Antra vident oculi scabro pendentia topho,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant.

L. 3. Amor. Eleg. 1.

Fons sacer in medio, speluncaque pumice pendens.

L. 3. Metam.

in extremo est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nulla: simulaverat artem
Ingenio Natura suo. nam pumice vivo
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

L. 8. Metam.

Pumice multicavo, nec laevibus atria tophis
Structa subit. molli tellus erat humida musco.

L. 10. Metam.

Luminis exigui fuerat prope templa recessus
Speluncae similis, nativo pumice tectus,
Religione sacer prisca.

L. 2. Fastor.

Antra subit, tophis laqueataque pumice vivo.
Garrulus in primo limine rivus erat.

Virgilius L. 1. Aen.

Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquae dulces, vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus.

vetus poeta nescio quis apud Ciceronem L. 1. Tuscul. Quaest. C. 16.

Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maximis.

Lucretius L. 6.

Speluncasque velut saxis pendentibu' structas
Cernere.

Papinius L. 2. Silv. 2.

Dat Natura locum: montique intervenit unum
Litus, & in terras scopulis pendentibus exit.

Seneca Herc. fur. ỷ. 719.

ingens domus
Umbrante luco tegitur: hic vasto specu
Pendent tyranni limina.

Naso Epist. Ariadn. ỷ. 26.

Mons fuit; apparent frutices in vertice rari.
Nunc scopulus raucis pendet adesus aquis;

vertit Areostus X. del Furioso 23.

Quivi surgea nel lito estremo un sasso,
C'haveano l'onde col picchiar frequente
Cavo, e ridutto à guisa d'arco al basso,
E stava sopra il mar curvo e pendente.

tot poëtarum loca, (*gargaridiationes* vocat Jacobus Gronovius in condignis suo ingenio Exercitationibus de Juda cap. 19.) tot inquam loca poëtarum congessi, ut tuerer unum Maronis L. 4. Geor.

Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, & gnati fletus cognovit inanes
Cyrene

ubi medicina prorsus importuna *splendentia* reponit Hadrianus Valesius. cui ego ut accedam, nullo modo adduci possum. meliore judicio noster ille Grotius Silv. L. 2.

Nam neque me tantum saltus, aut pascua circum,
Aut Hagae nemus omne meae juvat, invia quantum
Litora, pendentesque domus, scopulique cavernae.

viderat haec, & legerat, *Theodorus Gorallus*, qui Pedonis Elegiam edidit toto anno postquam Propertius in lucem prodüsset: & tamen Hadr. Valesii correctionem non adprobat, tamquam si meas rationes numquam vidisset, ad ỷ. 252. p. 54. deinde personam exuens, & factus *Jean le Clerc*, dicit me quoque vidisse atque arguisse errorem Valesii, T. I. de sa Bibliotheque Choisie p. 173. sic tamen, ut ego videri debeam solis auctoritatibus veterum adstruxisse veritatem observationis Gorollianae, jam non a me repertam, sed argumentis dumtaxat pluribus munitam. quid facias his hominibus, in re ludicra tam ambitiosis?

29. ERGO MUSARUM ET SILENI PATRIS IMAGO] quum *ergo* valeat idem quod *igitur*, par

Et Veneris dominae volucres mea turba columbae
Tinguunt Gorgoneo punica rostra lacu.
Diversaeque novem sortitae rura puellae
Exercent teneras in sua dona manus.
Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
Aptat, & illa manu texit utraque rosam.

E

par est ut hoc loco significet *deinde*, vel *tum*. Festus: IGITUR *nunc quidem pro completionis significatione valet, quae est* ERGO; *sed apud antiquos ponebatur pro inde, & postea, & tum.* sane ita Plautus posuit Rud. Act. 4. Sc. 2.

Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum ut sim liber.
Jam ubi liber ero, igitur demum instruam agrum, aedes, mancipia:
Navibus magnis mercaturam faciam: apud reges rex perhibebor.

vide, si libet, Scaligerum ad Catal. Virg. p. 271. Gifanium Ind. Lucret. in *Igitur*; Taubmannum ad Plaut. Mostell. Act. 2. Sc. 1. ℣. 33. Canterum L. 4. Novar. Lect. C. 26. qui postremus etiam tradit, Lud. Carrionem in libro quodam, pro *ergo*, perspicue *illic* legisse. Crederem, si legisset id Canterus.

33. ET VENERIS DOMINAE VOLUCRES MEA TURBA COLUMBAE] Passeratius reponit *mea cura*, ex Virgilii Ecloga 1. *raucae tua cura palumbes.* non male, sed neque vulgata male habet. Ovidius L. 3. Artis Amat.

Turba docenda venit pulcrae turpesque puellae

& magis etiam apposite ipso fine ejusdem libri:

Ut quondam juvenes, ita nunc mea turba puellae
Inscribant spoliis, Naso magister erat.

tum L. 1. Amor. Eleg. 1.

Pieridum vates, non tua turba sumus.

32. TINGUUNT GORGONEO PUNICA ROSTRA LACU] elegantissime. pariter Ovidius, in funere psittaci, Amor. L. 2. Eleg. 6.

Tu poteras fragiles pennis hebetare zmaragdos,
Tincta gerens rubro punica rostra croco.

& expressit non infeliciter Ausonius Epist. 3. ad Hesperium:

Tum quas vicinae suggessit praeda lacunae
Anates marinas junximus,
Remipedes, late populantes coerula rostro;
Et crure rubras punico.

33. DIVERSAEQUE NOVEM SORTITAE JURA PUELLAE] illud *jura* est a Scaligero. Sed *rura* video in quinque libris. duo Regii & alter Colbertinus habent *turba*, quod & Veneta agnoscit. At rectum est *rura*, propter hederas, thyrsos, rosas. *Diversaeque* legitur in omnibus membranis. Ego olim, quia sermo est de distinctis ac discretis Musarum officiis, cogitabam *Et diversa* non incommode posse scribi. vidi deinde Passeratium id proferre ex aliquo codice vetusto. sic Virgilius L. 5. Aen.

Ast illae diversa metu per litora passim
Diffugiunt.

Verum quum bene expendo, satius videtur nihil mutare. eadem hypallage in eadem voce utitur Maro L. 4. Georg.

Sternunt se somno diversae in litore phocae.

35. CARMINA NERVIS APTAT] Seneca Herc. Oet. ℣. 1033.

Verum est, quod cecinit sacer
Thressae sub Rhodopes jugis,
Aptans Pieriam chelyn
Orpheus, Calliepae genus.

ita codex Florentinus. Alii non tam bene, *Tangens.*

36. ILLA MANU TEXIT UTRAQUE ROSAM] Palmerius, ne quid relinquat intentatum, reponit *utramque rosam*, albam & puniceam scilicet: & firmat bellissimam suam conjecturam ex Apuleji quodam loco, ubi *utrique Aethiopes* scriptum est. nihil attinebat tam stultum commentum in lucem protrahere. Verum quia isti homines valde sibi placent, quum novandi urtica tacti recta omnia curva faciunt; poterat scire Palmerius, si voluisset, stolidam illam lectionem habuisse suos inventores in ipsis renascentium literarum

incu-

E quarum numero me contigit una sororum:
Ut reor a facie, Calliopea fuit.
Contentus niveis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco praetoria classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:

Aut

incunabulis, & jam olim rejectam fuisse atque explosam ab Antonio Volsco, homine non nimis quidem capitali, sed qui tamen perceperit utraque manu rosas melius texi, quam utramque rosam manu una.

37. Me contigit una Dearum] noster primus, *una sororum.* quod si recipimus, sonum illum vastum ac subagrestem evitabimus qui oritur ex collisione vocum *quarum* & *dearum.* Musas esse sorores & pueri sciunt: sed nostri ratio haud paullo urbanior est. Videlicet noverat singulas; sed ita noverat, ut tamen saepe falleretur in vultuum similitudine. hinc caute ac circumspecte loquitur in versu minore, etiam tunc dubitabundus:

Ut reor a facie, Calliopea fuit.

hanc similitudinem in suis Nereïdibus expressit poëta unus omnium ingeniosissimus L. 2. Metam.

quarum pars nare videntur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos;
Pisce vehi quaedam. facies non omnibus una,
Nec diversa tamen: qualem decet esse sororum.

bellissimum istud nostri *ut reor*, pari cautione extulit Plinius L. 7. C. 12. *Magno Pompejo Vibius quidam e plebe, & Publicius etiam servitute liberatus, indiscreta prope specie fuere similes, illud os probum reddentes, ipsumque honorem eximiae frontis.* liberalius Maro L. 10. Aen.

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia Laride, Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.

39. Niveis semper vectabere cycnis] τὸ *vectabere*, quod omnes membranae habent, & bene exponit Passeratius, nemo umquam mortalium in dubium revocare est ausus, excepto uno Gebhardo. is ex priore suo Palatino *metabere* reponit; atque in eo palmariam (ita loquitur) correctionem statuit. Verum eam palmariam correctionem malae Latinitatis postulavit Vir summus J. F. Gronovius in Notis Livianis, L. 38. C. 17. Cycnos Calliope attribuit poëtis eroticis, ut equos iis qui bella cantarent. Ovidius L. 3. Art. Amat. ipso exodio:

Lusus habet finem: cycnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui juga nostra suo.

41. Rauco praetoria classica cornu flare] ineptiunt qui hic *praeconia classica* malunt: quamvis ita fere libri: neque possunt idoneis argumentis refellere certissimam Beroaldi emendationem. cui sane nocere non debet, quod auctorem habeat Beroaldum. plura praestitit vir ille in ista bonarum literarum adolescentia, quam facile credant hodie multi qui sibi egregie sapere videntur. quid sint *praetoria classica*, si dubitas, docebit te magnus Lipsius L. 5. de Milit. Rom. Dial. 9. iis porro quibus *Flare* hic displicet, suum *flere* libens redonabo; quum sciam inflato classico cani, non fleri. Caesar L. 3. Bel. Civil. *Pompejus receptis omnibus in una castra legionibus, suum cum Scipione honorem partitur, classicumque apud eum cani, & alterum illi jubet Praetorium tendi.* veram hoc loco lectionem indicavit Douza F. quam deinde Nic. Heinsius firmavit Not. ad Ovid. L. 6. Fastor. ℣. 704. & firmaverat ante utrumque argutissimus ille Hispanus L. 11. Epigr. 3.

At quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria praelia flare tuba!

42. Aonium cingere Marte nemus] nihil poterat aptius dici. & miror Passeratium ac Gebhardum praeferre mirificum suum *tingere*, sive *tinguere.* nam quo tandem idoneo auctore probabit quisquam, *tinguere*

Aut quibus in campis Mariano praelia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia moerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnaeque canes ebria signa fugae.
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.

Talia

Marte idem valere quod cruentare, vel sanguine polluere? aut *Martem* poni pro sanguine, quamvis Mars dicatur *sanguineus*? neque caussa erat, cur Gebhardus Secundum nostrum ad partes vocaret.

45. SUEVO PERFUSUS SANGUINE RHENUS] libri fere *scaevo*, aut *saevo*. unde Beroaldus bene restituit *Suevo*; & ante eum Antonius Volscus, etsi raro felix in his talibus. errant qui haec referunt ad Augustum, decepti loco Suetonii non sano Aug. C. 21. *Germanos ultra Albim fluvium submovit; ex quibus Suevos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* nam istic legendum esse *Ubios & Sicambros* bene ostendit Casaubonus. tu de fuga & clade Ariovisti intellige. Caesar L. 1. de bello Gallico C. 53. *omnes hostes terga verterunt, neque prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum millia passuum ex eo loco circiter quinquaginta pervenerunt. ibi perpauci, aut viribus confisi transnatare contenderunt; aut lintribus inventis, salutem sibi petierunt. in his fuit Ariovistus, qui naviculam deligatam ad ripam nactus ea profugit: reliquos omnes equites consecuti nostri interfecerunt. —— —— Hoc praelio trans Rhenum nuntiato, Suevi, qui ad ripas Rheni venerant, domum reverti coeperunt; quos Ubii, qui proxime Rhenum incolunt, perterritos insecuti, magnum ex his numerum occiderunt.* Erant autem Suevi gens multo ferocissima, & Germanis ipsis formidolosa. idem ille Heros prodit L. 4. C. 7. *Sese unis Suevis concedere; quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint: reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.* vides quam non vane glorietur noster Callimachus.

46. SAUCIA MOERENTI CORPORA VECTET AQUA] Gebhardus reponit *verrat aqua*; quia noster dixerit,

Nec nostra Actiacum verreret ossa mare.

nimirum non cogitabat istic de ossibus agi; hic vero de cadaveribus nondum solutis, quae solent fluitare in summis aquis. Claudianus de 4. Consul. Honorii:

fluitantia numquam
Largius Arctoos pavere cadavera pisces.

recte itaque Rhenus Suevorum suorum corpora dicitur moerente aqua *vectare*, non *verrere*.

49. EXCANTARE PUELLAS] cantu foras elicere, ut Scaliger rectissime exponit. minus bene Passeratius, *vi carminis puellas, praesertim quibus posita custodia, a maritis foras elicere, ut solent manes a sepulcris elici.* dixisset, ut solent fruges de agro in agrum traduci. nam haec est vera notio verbi *excantare.* Plinius L. 28. C. 2. *Quid? non & legum ipsarum in duodecim tabulis verba sunt?* QUI FRUGES EXCANTASSIT. ubi male Joannes Harduinus *excantare* interpretatur pro magicis carminibus obligare, seu impedire quo minus quid crescat, adolescat, vel in maturitatem perducatur. id enim proprie est *incantare*, quod apud Plinium sequitur, QUI MALUM CARMEN INCANTASSET. melius Servius in Virgil. Eclog. 8. ℣. 99.

Atque satas alio vidi traducere messes.

Magicis (inquit) *quibusdam artibus hoc fiebat. Unde est in duodecim tabulis,* NEVE ALIENAM SEGETEM PELLEXERIS. *quod & Varro & multi scriptores fieri deprehensum animadverterunt.* de traductione, & mutatione loci, apertissime Horatius Epod. 5.

Quae sidera excantata voce Thessala
Lunamque coelo deripit.

&

Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis,
Ora Philetea nostra rigavit aqua.

& Lucanus L. 6.

Tunc vox Letaeos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos.

tum L. 9. de Psyllis:

Saepe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit: sed si quod tardius audit
Virus, & elicitum, jussumque exire, repugnat;
Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit, &c.

sed usitatius de segetibus dicebatur; & hae quidem vulgo traduci in agros alienos credebantur. Tibullus L. 1. Eleg. 9.

Cantus vicinis fruges traducit ab agris.

Ovidius Remed. Amor.

Non seges ex aliis alios transibit in agros.

Varro, ut noster, ad homines transtulit, Eumenid. *Ubi vident se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt.* servavit nobis hoc fragmentum Nonius Marcellus; apud quem perperam legitur, EXCANTARE *significat excludere*, quum sit legendum *elicere*. Inscificabilis ille nostri interpres Gallus, Scaligero ubique infestus, excantavit verba Beroaldi: *Excantare*, inquit, *est vel cantibus exorare, vel incantamentis ac cantionibus magicis ad amorem attrahere.* hoc demum erat Latinos poëtas interpretari in usum Serenissimi Delphini.

III.

ARma Deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viae merces. parat ultima terra triumphos.
Tigris, & Euphrates sub sua jura fluent.

Se-

1. AD INDOS] hujus Indicae expeditionis suscipiendae auctorem fuisse Augusto Maecenatem ostendit Pedo Albinovanus:

Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
Misit ad extremos exorientis equos.

profugos opinor vocat reliquias exercitus Antoniani, ut hoc nomine praetexat ambitionem Caesaris. vides autem tempus, quo Naso suas Artes scripsit primum. ita enim L. 1.

Ecce parat Caesar domito quod defuit orbi
Addere. nunc, Oriens ultime, noster eris.

3. MAGNA VIRI MERCES] amplector bonam ac veram emendationem Nic. Heinsii, *magna viae merces.* neque profecto *deus* Caesar cum *viro* Caesare quidquam habet commune. *via* est iter longinquum & fermè maritimum. Tibullus L. 2. Eleg. 5.

Troja quidem tum se mirabitur, & sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.

Silius L. 4.

Ecce autem patres aderant Carthagine missi.
Caussa viae non parva viris; nec laeta ferebant.

Cicero Cat. Maj. C. 2. *Volumus sane, nisi molestum est, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quo pervenisti, videre, quale sit.* Philipp. 11. C. 2. *Alter in Asiam irrupit. Cursus in Syriam patebat, via certa, neque longa.* quomodo quidem hunc locum, varie vexatum, pulcre constituit amicus meus magnus Jo. Geor. Graevius. Lucanus IX. 554.

sors obtulit, inquit,
Et fortuna viae tam magni numinis ora,
Consiliumque Dei.

Noster L. 2. Eleg. 24.

An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via?

Seres & Ausoniis venient provincia virgis.
Assuescent Latio Partha tropaea Jovi.

Ite,

4. TIGRIS ET EUPHRATES SUB TUA JURA FLUENT] istud *tua* non habet quo referatur. noli dubitare quin corruptum fuerit ex *sua*. ejectis regibus, erunt sui juris, & liberi. ita loquitur Lucanus, cum insigni oppositione, L. 3.

Damna movent populos, si quos sua jura tuentur:
Non sibi, sed domino gravis est, quae servit, egestas.

& L. 6. de Pompejo, victoriam male prosequente apud Dyrrachium:

ipse furentes
Dux tenuit gladios. felix, ac libera, legum
Roma fores jurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sylla loco.

idem IX. 563. *Jure suo populis uti, legumque licebit, An bellum civile perit.* & L. 2.

Gens Etrusca fuga trepidi nudata Libonis
Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Thermo.

L. 8. de Pompejo jam jam necando:

jam veneras horae
Terminus extremae: Phariamque ablatus in alnum
Perdiderat jam jura sui.

Cicero Agrar. 2. C. 31. *Puteolos vero, qui nunc in sua potestate sunt, suo jure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt.* de ipsis regibus dixit Vellejus L. 2. C. 40. *oppressus auspiciis Pompeji, insidiis filii Pharnacis, Mithridates, ultimus omnium juris sui regum, praeter Parthicos.* Auctor Octaviae ℣. 30.

Modo cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum; cuique Britanni
Terga dedere,
Ducibus nostris ante ignoti,
Jurisque sui.

hae voces saepe fuerunt confusae in optimis scriptoribus. Festus Avienus Descr. Orb. Terr. ℣. 31. de Tanai:

Hic se Sarmaticis evolvens finibus, arte
Scissus Araxeo prius aequore, jam suus, unda
Effluit in Scythiam.

Cicero L. 15. ad Attic. Epist. 26. *Tabellarius ille, quem tibi dixeram a me ad Brutum esse missum in Anagninum, ad me venit ea nocte, quae proxima ante Kal. fuit; literasque ad me attulit: in quibus unum alienum summa sua prudentia; id est illud, ut spectem ludos suos.* nullo ibi sensu, ante Petrum Victorium, *summa tua prudentia* legebatur. ibidem L. 16. Epist. ult. quae est ad Capitonem: *tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cum officii sui, & reip. caussa decretum consulum comprobaturum, tum libenter nostra caussa esse facturum.* ita recte emendavit Paullus Manutius, quum libri scripti haberent *officii tui.* Philipp. 2. C. 31. *Et domi quidem caussam amoris habuit; foris etiam turpiorem, ne L. Plancus praedes suos venderet.* ita ex conjectura Hier. Ferrarius, ex libris Jo. Georgius Graevius restituerunt, quum olim ederetur *praedes tuos.* Ovidius L. 2. Tristium:

Et quorum libris modo dissimulata Perillae
Nomine, nunc legitur dicta Metella suo

quo modo restituit Nic. Heinsius ex male vulgato *dicta Metelle tuo.* Erat autem ingens quoddam populi Romani beneficium, gentes peregrinas ab regum violentia liberare. Cicero pro L. Flacco C. 6. *Pompeji auctoritas cum apud omnes tanta est, quanta esse debet, tum excellit in ista provincia, quam nuper & praedonum & regum bello liberavit.*

5. SERA SUB AUSONIIS VENIET PROVINCIA VIRGIS] ineptissima lectio, & unde nullum elicias sensum commodum, si vel fidiculis exquiras. sagaciter vidit Jani Gulielmii capitale ingenium latere mendam, ideoque restituit, cap. 6. in Pseudol.

Seres & Ausoniis veniet provincia virgis.

(legebatur enim *Sera sed Ausoniis*; neque istud *sub* unde irrepserit exputare possum, nisi si a Scaligero est) quam bellissimam lectionem miror cur nugarum postulaverit doctissimus Passeratius: nam de Gebhardo minor curatio est. certe huc ducebant literae, *Seras ed Ausoniis.* sed nondum ita persanatum est vulnus, cui salutarem manum admovit Nic. Heinsii perspicacia Not. ad Claudian. IV Cons. Honor. ℣. 317:

victu-

Ite, agite, expertae bello date lintea prorae,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano. Crassos, cladesque piate:
Ite, & Romanae consulite historiae.
Mars pater, & sacrae fatalia lumina Vestae,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies:
Qua videam spoliis onerato Caesaris axe
Ad vulgi plausus saepe resistere equos.

15 In-

victura feretur
Gloria Trajani; non tam quod Tigride victo
Nostra tr.umphati fuerint provincia Parthi, &c.

apparet hunc nostri versum in mente habuisse nobilissimum poetam. unde refingebat Heinsius,

Seres & Ausoniis veniens provincia virgis. optime, ac verissime. ipsam locutionem expressit Justinus L. 16. C. 5. *multisque annis, per gradus successionis, Heraclienses regnum tyrannorum fuere.* unice huc facit insignis Horatii locus L. 1. Od. 12.

Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oris
Seras & Indos,
Te minor latum reget aequus orbem.

& Flori L. 4. C. 12: *Seres etiam, habitantesque sub ipso sole Indi, cum gemmis & margaritis, elephantes quoque inter munera trahentes, nihil magis quam longinquitatem viae imputabant, quam quadriennio impleverant.* conjungunt hi cum Seribus Indos, itidem ut noster poeta. quod non potuit concoquere Gebhardi stomachus. tu Melam vide L. 3. C. 7.

7. Ite, agite, expertae bello date lintea prorae] versus artificiosus, & qui bene exprimit festinantes in aequore nautas. talis ille Virgilii L. 4. Aen.

Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.

noster secundus praefert, *expertae date bello lintea prorae.* qui numerus omnem celeritatem elumbat.

8. Et solitum armigeri ducite munus equi] equum intelligit cum ornatu imperatorio, e publico datum, insigne dignitatis. Tacitus L. 15. Annal. C. 7. de Caesennio Paeto: *Armeniam intrat, tristi omine. Nam in transgressu Euphratis, quem ponte tranmittebat, nulla palam caussa, turbatus equus, qui consularia insignia gestabat, retro evasit.* ibi rem pulcre illustravit magnus ille Taciti sospitator Justus Lipsius.

9. Crassos cladesque piate] noster primus *cladem*que habet. unus Regius *classesque.* Groninganus autem *classes clademque.* Gebhardi Comelinianus *classes cladesque.* non libet de *classibus* quidquam argutari: quum constet Romanos nunquam hujus tantae calamitatis meminisse, quin & simul meminerint infelicium Crassorum. noster & hic in fine Elegiae; & L. 4. Eleg. 6.

Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
Ire per Euphraten ad tua busta licet.

Ovidius L. 1. Art. Amat.

Parthe dabis poenas: Crassi gaudete sepulti,
Signaque barbaricas non bene passa manus.

Lucanus L. 1. in illa detestatione civilium furiarum:

Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

14. Ad vulgi plausus saepe resistere equos] etiam haec elisio rem ipsam veluti ob oculos praepingit. neque omisit in eadem sede summus artifex Naso L. 4. Tristium Eleg. 2.

Ipse sono plausuque simul fremituque canentum
Quadrijugos cernes saepe resistere equos.

Papinius etiam arripuit L. 3. Thebaid.

media quamvis in caede frementes
Hos assistere equos, hunc ensem avellere dextra.

Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam, & titulis oppida capta legam.
Tela fugacis equi, & braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem Venus: hoc sit in aevum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Praeda sit haec illis, quorum meruere labores:
Mi sat erit Sacra plaudere posse via.

Pacis

17. BRACCATI MILITIS ARCUS] frustra quaerit Passeratius, quis fuerit ille miles braccatus, Gallus, an Dacus, an Ponticus? Indos enim & Parthos, & Tigrim atque Euphratem jam nominaverat poëta. qui omnes populi utebantur braccis. Marollius *braccas* exposuit *de longs habits.* Silvius addit, ignorari hodie, quam tandem gentem intellexerit Propertius sub nomine *braccati militis.* adeo ille religiose exscribit priores.

18. ET SUBTER CAPTOS ARMA SEDERE DUCES] id est, imagines ducum captivorum, suppositas tropaeis quae in triumphi pompa ferebantur. optime hanc rem illustratam dedit doctissimus Gronovius Not. ad Senecae Troad. ℣. 151. viderat etiam aliquid Passeratius, ex nummo aureo Titi Vespasiani. Velim autem scire, e quo scriptore antiquo suum commentum probare possit Silvius, Passeratii dubitabundi impudens & infidelis exscriptor, dum haec nobis obtrudere non erubescit: *Reges, vel imperatores hostium, bello capti in triumpho ita currui alligabantur, ut ipsorum capitibus arma, tropaeaque impenderent.* male sit inficetis istis ineptiarum propolis cum magnifico titulo.

19. IPSA TUAM PROLEM SERVA VENUS] unus noster, cum Groningano, & Borrichiano, *Ipsa tuam serva prolem Venus:* quod concinnius videtur, & magis modulatum, evitato etiam τοῦ va ve sono insuavi.

20. CERNIS AB AENEA QUOD SUPERESSE CAPUT] in Groningano scribitur *super esse.* non male. nam & τὸ *super* ponebant nonnumquam sine verbo. Virgilius L. 3. Aen.

O mihi sola mei super Astyanactis imago.

interdum a verbo dividebant. L. 2. Aen.

Jamque adeo super unus eram.

22. ME SAT ERIT SACRA PLAUDERE POSSE VIA] ita Groninganus, cum nostro secundo. quod jam pridem firmaverunt viri docti. in Regiis, Colbertinis, & nostro primo legitur *media via.* sed quomodo in media via plauderet aliquis, occupante omnem viam licentioso per triumphum milite? accedit quod triumphi agebantur per viam Sacram. noster L. 2. Eleg. 1.

Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra via.

Horatius Epod. 5.

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via.

ibi Commentator Cruquianus: *per viam Sacram duceretur pro triumpho ad Capitolium.* sed loquitur ille pro sua sapientia: neque enim captivi duces ad Capitolium usque protrahebantur. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 30. *At etiam qui triumphant, eo diutius vivos hostium duces reservant, ut, his per triumphum ductis, pulcherrimum spectaculum fructumque victoriae populus Romanus percipere possit: tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent: idemque dies & victoribus imperii, & victis vitae finem facit.* mallem autem initio *mi,* quam *me.* supra L. 2. Eleg. 24.

An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?

Horatius L. 1. Sat. 4.

mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, suamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum.

Pacis Amor Deus est, pacem veneramur amantes.
Stant mihi cum domina praelia dura mea.
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis.
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur,
Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua.

O

24. STANT MIHI CUM DOMINA PRAELIA] mirifica locutio, *Stant mihi praelia.* quam tamen Passeratius defendere voluit, necnon illustris Huetius ad L. 4. Manilii ℣. 547. *praelia* quum dixit noster, *bellum* voluit dicere. Romani autem dicebant *est bellum*; *est pax*; *est dies*; *est nox*; *est sol*; *est imber.* & quae plura sunt id genus, passim inveniunda. sic Albinovanus in obit. Maecenatis, sive is poeta quispiam alius fuit:

Pax erat: haec illos laxarunt otia cultus.

idem poëta in eadem Elegia:

Lux est, taurus arat: nox est, requiescit. arator
Liberat emerito fervida colla bovi.

Ovidius Epist. Briseid.

Bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis,
Et patriae rigida mente negavit opem.

& L. 1. Fastor.

Pax erat; & vestri, Germanice, caussa triumphi.
Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.

Florus L. 3. C. 21: *Minus est, quod apud Sacriportum, & apud Collinam portam, septuaginta millia Sylla concidit. bellum erat.* Justinus L. 6. C. 7: *neutris quidquam hostile facientibus, tum quasi tacito consensu induciae essent.* Suetonius Jul. C. 57: *Laboris ultra fidem patiens erat: in agmine non numquam equo, saepius pedibus, anteibat, capite detecto, seu sol seu imber esset.* Cicero L. 8. ad Attic. epist. 2. *poterisne igitur videre tyrannum? quasi intersit, audiam, an videam; aut locupletior mihi sit quaerendus auctor quam Socrates; qui cum triginta tyranni essent, pedem porta non extulit.* idem Orat. pro Quintio C. 4. *cum annos jam complures societas esset, & cum saepe suspectus Quintio Naevius fuisset.* Accusat. 1. in Verr. C. 13. *erat tum dissensio civium, de qua nihil sum dicturus quid sentire debueris.* pro P. Sextio C. 60. *Vim scilicet ego desideravi; qui, dum vis fuit, nihil egi, & quem, si vis non fuisset, nulla res labefactare potuisset.* de Provinc. Consular. C. 20. *Ego, si essent inimicitiae mihi cum C. Caesare, tamen hoc tempore reipublicae consulere, inimicitias in aliud tempus reservare deberem.* Philipp. 5. C. 14. *cum bellum civile maximum esset, cujus belli exitum omnes timeremus.*

Virgilius L. 3. Aen.

Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus aethra
Siderea polus: obscuro sed nubila coelo.

Cicero L. 16. ad famil. Epist. 12. *Sin autem erit bellum, video me castris & certis legionibus praefuturum.* sed exemplorum satis; ne fiat gargaridiatio, quae amaram bilem in nares cieat Lexiphani miniato. Hinc adducor ut credam, fuisse a manu poëtae,

Sunt mihi cum domina praelia dura mea.

ita Cicero Philipp. 10. C. 2. *Nam, ut superiora omittam, hoc certe, quod mihi maximam admirationem movet, non tacebo. Quod est tibi cum Brutis bellum?* ita senex ille Terentianus Andr. Act. 3. Sc. 3.

Irae sunt inter Glycerium & gnatum.

25. NEC TAMEN INVISO] Groninganus, *Non tamen.* quod propius inspectum non displicebit.

28. MISER AERA PETO CLASSE, CORINTHE, TUA] veram lectionem servavit bonus ille codex Groninganus, cum uno Colbertino,

Aera paro clade, Corinthe, tua.

τὸ *clade* revocaverat jam Palmerius; sed nihil monuerat de *paro.* quod non neglexit diligentissimi Modii industria Novant. Epist. 18. noster primus, & duo Regii, alterque Colbertinus, cum Borrichiano *ire pare classe*, habent: secundus vero noster, *ire pare clade.* τὸ *miser* omnino referri debet ad poëtam.

neque

O prima infelix fingenti terra Prometheo.
  Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
  Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum vento jactamur, & hostem
  Quaerimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas:
  Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebimur Indis.
  Consule cum Mario capte Jugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Croesus ab Iro.
  Optima mors, parca quae venit apta die.

Me

neque ego hoc monerem, nisi me cogeret Schoppii hallucinatio insignis. Qui Instit. Gram. p. 124, ubi hunc ipsum versum producit, ut evincat *Corinthus* esse generis masculini, *Vossius* (inquit) *putat miserum dici, qui Corinthi clade quasi gaudet. Sed quis dubitat, miseriorem esse Corinthum, quae cladem patitur?* nunc tu Vossium consule (nam tanti est) L. 1. de Analogia C. 12, ubi Schoppium saniora docet.

31. MENTEM NON VIDIT IN ARTE] Passeratius ac Gebhardus volunt, *mentem non vidit in arce*, quia scilicet mens habitet in capite, quod est quasi arx corporis humani. ajunt & aliam lectionem inveniri, *mentem non vidit inertem.* sibi habeant has matteas. *ars* Promethei est nova illa fabrica tum primum inventi, ut Phaedrus loquitur, vulgi fictilis. sic paullo post habebimus, *Pergama Apollinis artes.* Promethea noster ait valde circumspectum fuisse ac providentem in formandis & apte conjungendis corporis membris; de mente vero animi ne cogitasse quidem. quod tamen omnium praecipuum fuerat.

33. NUNC MARIS IN TANTUM VENTIS JACTAMUR] *vento* est in omnibus membranis, & editionibus priscis. quod quamvis pusillum, non debuit tamen negligi. qui hic *infandum* reposuerunt pro *in tantum*, idque e codice Posthiano, sive Groningano, abutuntur credulitate lectoris sui. in promtu est ille codex, & levi opera consuli potest.

36. NUDUS AB INFERNA, STULTE, VEHERE RATE] ita e suis libris Beroaldus ac Scaliger protulerunt. *ad infernas rates* habent nostri omnes, manifesto errore. Juvenalis Sat. 2.

Atque una transire vadum tot milia cymba.

Tibullus L. 3. Eleg. 3.

Nudus Lethea cogerer ire rate.

Seneca Herc. fur. ℣. 557.

Et, cum Mors avidis pallida dentibus
Gentes innumeras Manibus intulit,
Uno tot populi remige transeunt.

vide apud Lucianum Mercurii & Charontis dialogum.

37. VICTOR CUM VICTIS PARITER MISCEBITUR UMBRIS] Passeratius legebat, *miscebere Cimbris*, quia poeta Marium alloquitur in sequente versu. atqui Marius ibi jungitur cum Jugurtha, qui sane non erat Cimber. in Groningano est *miscebimur undis.* unde acutissimus Janus Gulielmius faciebat *Indis*; ut de iis, contra quos expeditionem adornabat Augustus, tamquam victis jam & superatis loquatur poëta. in Comelini quoque membranis *miscebimur* invenerat Gebhardus. priscae venustatis est *victor miscebimur*; nempe populus victor. amplector etiam lubens bellissimam Gulielmii emendationem.

40. OPTIMA MORS, PARCA QUAE VENIT APTA DIE] Plinius XXVIII. 1. *Qua propter hoc primum quisque in remediis animi sui habeat: ex omnibus bonis, quae homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiva morte.*

40. OPTIMA &c.] Cicero de Senect. C. 20. *Sed vivendi finis est optimus, cum integra mente*

Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
  Musarumque choris implicuisse manus.
Me juvat & multo mentem vincire Lyaeo,
  Et caput in verna semper habere rosa.
Atque ubi jam venerem gravis interceperit aetas,
  Sparserit & nigras alba senecta comas:
Tum mihi Naturae libeat perdiscere mores,
  Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:

Qua

mente ceterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit. Vt navem, ut aedificium idem destruit facillime, qui construxit: sic hominem eadem optime, quae conglutinavit, natura dissolvit. — Ergo, ut superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. quod cum evenit, satietas vitae tempus maturum mortis affert: ibidem cap. 23. *quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum.*

46. SPARSERIT INTEGRAS ALBA SENECTA COMAS] multi libri habent, *Sparsit & integras.* sed legendum, quod & Gebhardus vidit, *Sparserit & nigras.* erat enim trajectio literarum inversarum. *inte* est *& ni.* tum *nigrae comae* sunt juvenum, quibus opponitur *alba senecta.* & valde commendatus in juvenibus hic color. Tibullus L. 3. Eleg. 5.

Et nondum cani nigros laesere capillos.

Horatius L. 1. Od. 32.

Et Lycum nigris oculis nigroque
  Crine decorum.

& Epist. ad Pisones:

Spectandum nigris oculis nigroque capillo.

unice vero nostram lectionem firmat purissimus Ovidii locus L. 4. Trist. Eleg. 8.

Jam mea cygneas imitantur tempora plumas,
  Inficit & nigras alba senecta comas.

47. TUM MIHI NATURAE &c.] v. Huetius Magnete, ℣. 26. p. 11. Politianus Nutric. ℣. 269.

48. QUIS DEUS HANC MUNDI TEMPERET ARTE DOMUM] insignis locus, & quem expressisse videri potest Naso L. 15. Metam. ubi recenset Pythagorae doctrinam versibus multo luculentissimis:

Cumque animo & vigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat: coetumque silentum
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,
Et rerum caussas, & quid Natura, docebat:
Quis Deus: unde nives: quae fulminis esset origo:
Jupiter, an venti discussa nube tonarent:
Quid quateret terras: qua sidera lege mearent:
Et quodcumque latet.

nec non colorem hinc duxit Papinius L. 5. Silv. 3.

membris omissus in ardua tendens
Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses,
Quis Deus, unde ignes, quae ducat semita solem,
Quae minuat Phoeben, quaeque integrare latentem
Caussa queat, doctique modos expendis Arati.

& plenius etiam L. 6. Thebaid.

Interea cantu Musarum nobile mulcens
Concilium, cytharaeque manus insertus Apollo
Parnasi summo spectabat ab aethere terras.
Orsa Deûm (nam saepe Jovem Phlegramque, suique
Anguis opus, fratrumque pios cantaras honores)
Tunc aperit: quis fulmen agat; quis sidera ducat
Spiritus: unde animi fluviis, quae pabula ventis:
Quo fonte immensum vivat mare: quae via soles
Praecipites, noctem quae porrigat: imane tellus,

 An

Qua venit exoriens, qua deficit: unde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit.
Unde salo superant venti: quid flamine captet
Eurus, & in nubes unde perennis aqua.
Si ventura dies mundi quae subruat arces:
Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.
Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis.

Cur

An media, & rursus mundo succincta latenti.

egregie M. Minucius Felix, scriptor candidissimus, & fortissimus Christi miles: *Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temere cohaerentibus conglobatum; mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in coelum sustuleris, & quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur, Coelum ipsum vide, quam late tenditur, quam rapide volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur? jam scies quam sit in eo summi moderatoris mira & divina libratio. Vide & annum ut solis ambitus faciat, & mensem vide ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum & luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis & quietis alterna reparatio? quae singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis & perfectae rationis eguerunt; verum etiam sentiri, perspici, intelligi, sine summa solertia & ratione non possunt.* dabis veniam, si haec sunt longiora quam pro modulo hujus commentatiunculae. tanta suavitas facile redimet fastidium lectionis.

49. QUA VENIT EXORIENS] pariter Albinovanus dixit *extremos exorientis equos.* ceterum hoc distichon locandum videtur post eum versiculum,

Solis & atratis luxerit orbis equis.

sed tutemet statues, lector erudite: ego nihil definio.

51. UNDE SALO SUPERANT VENTI] in Groningano est *superent.*

53. SIT VENTURA DIES] Passeratius & Gebhardus recte viderunt legendum esse *Si.* idem mendum est infra, *Sub terris sint jura Deûm:* nam & ibi *si* restituendum docet versus qui sequitur,

Tisiphones atro si furit angue caput.

53. MUNDI QUAE SUBRUAT ARCES] unus Colbertinus habet *arcem*, quomodo & Gebhardus in Palatino invenerat. Virgilius L. 1. Aen.

Nos tua progenies, coeli quibus annuis arcem.

Statius L. 3. Thebaid.

Arcem hanc aeternam, mentis sacraria nostrae,
Testor, & Elysios etiam mihi numina fontes.

Claudianus L. 1. de raptu Proserp.

Viderat haec dudum summa speculatus ab arce
Jupiter, at Veneri mentis penetralia nudat.

vulgatam defendit Horatius L. 3. Od. 3.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas.

leviculum hoc est: & parum refert utro modo legatur.

54. PURPUREUS PLUVIAS CUR BIBIT ARCUS AQUAS] in quibusdam libris est *bibat.* exponunt hunc versum Ludovicus Caelius L. 22. Lect. Ant. C. 29, & Hadrianus Turnebus L. 29. Adverf. C. 31. ubi producunt ambo *Caeruleus* pro *Purpureus*, errore credo memoriae. nam neque in scriptis neque in cusis id vocis invenitur.

55. AUT CUR PERRHAEBI TREMUERE CACUMINA PINDI] historiam tradiderunt Herodotus & Strabo: noster statuit inquirere in caussas naturales, laudabili sane curiositate, quae multa olim exercuit ingenia praeclara. L. Seneca juvenis *de motu terrarum* volu-

Cur ſerus verſare boves, & plauſtra Bootes:
Pleïadum ſpiſſo cur coït imbre chorus.

volumen ediderat, quod temporum injuria invidit poſteritati. Ipſe tamen auctor quodammodo hoc damnum nobis reſarcivit egregio illo libro ſexto Quaeſtionum Naturalium, ubi cauſſas motuum terrae docte atque explicate enarrat, fortaſſe etiam melius quam fecerat antea, poſtquam aetas multa ad ſcientiam adjecerat. Et veterum quidem plurimi ventos ac ſpiritus terrae motores faciebant; quorum mentem & ſententiam exponit Lucretius L. 6. ℣. 534. ſqq. huic fere adhaeſit Marcellus Palingenius ipſo fine Aquarii, ſive libri undecimi, niſi quod ſtulta Manium infernorum, hoc eſt malorum daemonum, commemoratione rem omnem indecore collutulat, ut ſolet in his naeniis eſſe admodum ridiculus. nam quum in cavernis ſubterraneis ex vaporibus ignium & aquarum docuiſſet ingentes ventos creari, quorum violento conflictu terra concutiatur, ita finit diſputationem:

Hos agitant ventos qui ſubterranea regna
Dii Manes habitant, caeciſque morantur in antris.
Non etenim nugas prorſus, nec inania verba
Sunt, quae de Stygii rebus memorantur Averni.
Nempe locus nullus fruſtra eſt: habitatur ubique,
Sub terris, ſupra terras, inque aëre, & igni,
In coelo, & ſupra coelum: eſt ubi regia ſummi
Induperatoris, mundum qui poſſidet omnem.

iſta quo tendant, pulcre novimus. at quanto rectius Boreas ille Naſonianus L. 6. Metam.

Idem ego, cum ſubii convexa foramina terrae,
Suppoſuique ferox imis mea terga cavernis;
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.

& Viri incomparabilis Hoofdii noſtratis Diſcordia, in Velſio tragoedia Act. 1. Sc. 2.

De toorens ſchudden van het hooge Huis te Muiden,
Niet anders of de winds van tegens over 't Zuiden
In 's aardtryks holligheidt, benauwt met ongemak,
Om aâmtogt woelde, en al zyn' vinnen van zich ſtak.

Palingenium ſi minus ratio, certe ſapientiſſimi Senecae, ne ad machinam tam abſurdam decurreret, auctoritas movere debebat, L. 6. Nat. Quaeſt. C. 3. *illud quoque proderit praeſumere animo, nihil horum Deos facere; nec ira numinum, aut coelum concuti, aut terram. Suas ipſa cauſſas habent: nec ex imperio ſaeviunt, ſed ex quibuſdam vitiis, ut corpora noſtra, turbantur: & tunc, cum facere videntur injuriam, accipiunt. Nobis autem ignorantibus verum, omnia terribilia ſunt, utpote quorum metum raritas auget.*

57. Cur segnis versare boves et plaustra Bootes] omnes libri ſcripti, omneſque typis excuſi ante Scaligerum habent, *Cur ſerus.* quod non erat rejiciendum. Catullus Carm. 63.

Vertor in occaſum, tardum dux ante Booten,
Qui vix ſero alto mergitur Oceano.

Boëthius L. 4. Conſol. Philoſ. Met. 5.

Cur legat tardus plauſtra Bootes,
Mergatque ſeras aequore flammas.

58. Pleïadum spisso cur coït igne chorus] de aſtris ſuo ortu occaſuve tempeſtatem cientibus, cum cura ex veterum diſciplinis egit profundae vir eruditionis Jacobus Nicolaus Loënſis L. 8. Epiphyll. C. 21. ſed non eſt omittenda ingenioſa & felix reſtitutio Nic. Heinſii, *ſpiſſo* hic *imbre* legentis Not. ad Ovid. L. 10. Metam. ℣. 508. quem videre debes. ſane *imbres* & *ignes* ſaepe confunduntur in codicibus vetuſtis. apud Tibullum locus eſt multorum concertationibus nobilis, L. 1. Eleg.

Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auſter,
Securum ſomnos imbre juvante ſequi.

ibi quoque *igne juvante* multi libri habent; & multi item critici ſumma ope defendunt. quod quam non ſit verum, bonis (ut arbitror) rationibus aliquando oſtendemus, ubi eum poëtam perpurgandum ſumſerimus, parata in eam rem jam nunc materia non aſpernabili. adpoſite Valerius Flaccus

Curve suos fines altum non exeat aequor,
  Plenus & in partes quatuor annus eat.
Sub terris si jura Deum & tormenta Gigantum:
  Tisiphones atro si furit angue caput.
Aut Alcmaeoniae furiae, aut jejunia Phinei:
  Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas.
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
  Cerberus, & Tityo jugera pauca novem.
An ficta in miseras escendit fabula gentes,
  Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.

Exi-

L. 5. ℣. 416 ubi describit Solis templum:

Pone rota breviore soror, densaeque sequuntur
Pliades, & madidis rorant e crinibus imbres.

& hunc locum feliciter persanavit idem ille Heinsius; nam antea legebatur *rerantes crinibus ignes*, nullo sensu, sermone pravo. vide, si tanti est, Douzae F. notas ad nostrum p. 113.

67. AN FICTA IN MISERAS DESCENDIT FABULA GENTES] Passeratius putat proprie dici *fabula descendit:* quia e coelo capitibus hominum immineat superstitio, quae a super stando dicta sit. mihi secus videtur: nec puto proprie dici *fabulam descendere*, quae ex Erebo & imis Cocyti stagnis emergat ad superos. quales illae Menippeae apud Lucianum. opinor autem scribendum *escendit.* cujus verbi ignoratio saepe numero fraudi fuit priscis scriptoribus. Ego ne aliis observata recoquere velle videar, unam tibi qui sit omnium instar indicabo, incomparabilem Gronovium, qui Not. ad Livii Librum 2. Cap. 28, usum verbi probi, sed minus vulgo triti, liberali manu vindicavit. etiam Pareus aliquid dixerat in Lexico Critico. neque fraudandus est sua laude Ludovicus Carrio, qui praeiverat L. 1. Emend. C. 5. neque Hier. Grosiotius Lislaeus, cujus super hac voce epistolam legere est in Philologicis Goldasti. nunc unum Lucilii locum addo, pariter inquinatum, apud Nonium in *detrahere:*

Quum ipsi in locum escendant, quum alios detrahant.

v. Gulielmius III. Verisim. 16. haec mea sibi vindicavit Thomas Crenius p. 12. Animadv. p. 125. sq. exemplo parum salutari. *fictam* porro *fabulam* quod dicit, in eo suum sequitur Ciceronem, orat. pro Milon. C. 16. *Rumorem, fabulam falsam, fictam, levem, perhorrescimus: ora omnium atque oculos intuemur.*

69. EXITUS HIC VITAE SUPEREST MIHI] Groninganus, *superet.* sic L. 4. Eleg. 2.

Sex superant versus. te, qui ad vadimonia curris,
Non moror.

Virgilius L. 3. Aen.

Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur aura?

quo loco Maronis, τὸ *superet* nostri fulcum ivit Franc. Modius Novant. Epist. 18. sed valde improbavit Gebhardus, quia noster modo dixerat, *Unde salo superant venti.* verum Gebhardus non vidit alio istic significatu poni, & abundantiam notare: quum hic sit votum, idemque significet quod apud Virgilium *maneat* Ecl. 4.

O mihi tam longae maneat pars ultima vitae.

adde, quod hac ipsa elegia habuimus,

Ante meos obitus sit precor illa dies.

& quae fuerit ista stolida jactantia poëtae, longaevam sibi senectutem tamquam ex tripode promittentis? ut hic *exitus vitae*, ita *mortis exitus* legitur apud Lucium Septimium L. 4. C. 15. *Dein percontatus* [Pyrrhus] *exitum paternae mortis, doctusque; Myrmidonas, gentem fortissimam & inclytam bellandi, armis atque animis confirmat.*

Exitus hic vitae superet mihi. Vos quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

70. Crassi signa referte domum] scripta est igitur haec Elegia ante quam Parthi signa reddidissent. vide infra ad 4, 6, 80.

IV.

DIc mihi de nostra, quae sentis, vera puella:
Sic tibi sint dominae, Lygdame, demta juga.
Num me laetitia tumefactum fallis inani,
Haec referens, quae me credere velle putas?
Omnis enim debet sine vanis esse relator,
Majoremque metu servus habere fidem.

Nunc

3. Dum me laetitia] initiales versuum literae solebant primum adjici ductis ad umbilicum libris, idque vel rubrica vel alio aliquo colore, qui atramenti nigrorem non ingrato aspectu variegaret. quae res, saepe negligenter facta, magnas turbas dedit in poematis. uti ecce hoc loco. Passeratius (nescio an ex libro) edidit, *Num me laetitia*, &c. sensu probo, & erecto. id Gebhardus non destitit carpere, more illo suo solenni: interim illud suum *dum* quomodo sensum absolvat, noluit aperire. Passeratium juvat Q. Curtius L. 4. C. 10: *Num, quod & scire expeto & quaerere pudet, ausus est & dominus & juvenis?* & Petronius: *Dic Chrysi, sed verum. numquid indecens sum? numquid incomta? numquid ab aliquo naturali vitio formam meam excaeco? noli decipere dominam tuam.* est porro in his versibus suavissima imitatio Terentii, Heaut. Act. 2. Sc. 3. quem ubi videris, non te pigebit contulisse singula, non etiam, si addideris initium Act. 5. Hecyr. Sc. 4.

5. Sine vano nuntius esse] duo Regii, alterque Colbertinus, *sine vanis esse relator:* ducta similitudine a relationibus de republica, quae ad consules pertinebant. Cornelius Balbus Ciceroni L. 8. ad Attic. Epist. 15. *cum, quem ante me diligo, video in consulatu quidvis potius esse, quam consulem. quod si voluerit tibi obtemperare, & nobis de Caesare credere, & consulatum reliquum Romae peragere, incipiam sperare, etiam consilio senatus, auctore te, illo relatore, Pompejum & Caesarem conjungi posse. quod si factum erit, me satis vixisse putabo.* ita hic Lygdamus quasi consul refert ad Propertium, quasi ad senatum, de negotio Cynthiae, quasi de negotio reipublicae. vides quam docta, quam venusta amplificatione rei exiguae fuerit nobis carendum per inscitiam librariorum, qui perperam interpretabantur quod non intelligebant. apparet enim, credidisse, *nuntium* nihil differre a *relatore*. in quo eos decepit vernaculum idioma. tales autem servos relatores minime vanos esse oportebat. Cicero Orat. pro Cluentio C. 62. ubi de Sassia, Cluentii matre: *cum jus illud matrimonii castum atque legitimum damnatione viri sublatum arbitraretur; Nicostratus quidam, fidelis Oppianici servulus, percuriosus, & minime mendax, multa dicitur renuntiare domino solitus esse.*

6. Majoremque timens servus habere fidem] ita omnes libri. in Mureti antiquo codice erat, *Majoremque metuens.* unde faciebat vir ille disertissimus, *Majoremque metu:* ut dixerit poeta, plus in homine servo inesse fidei debere, quam metus. timere enim fere servos, ne malis nuntiis apportandis dominos ad iram incitent; ideoque saepe mentiri. haec sunt arguta, quamquam difficili Gebhardo non potuerunt placere. ac ego facile desero lectionem vulgatam.

Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima
  Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomtis vidisti flere capillis?
  Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
  Ornabat niveas nullane gemma manus?
Ac moestam teneris vestem pendere lacertis?
  Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus? & tristes sua pensa ministrae
  Carpebant? medio nebat & ipsa foco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana?
  Retulit & querulo jurgia nostra sono?

Haec

tus, propria vox in negotio servili. Cicero Catilinar. 1. C. 7. *Servi mehercle mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem.* lib. de Senect. C. 11. de Appio Caeco: *tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant.* Donatus ad Andr. Act. 3. Sc. 2. *veretur liber; metuit servus.* & clarius multo ipsa illa Venus Afra Adelph. Act. 1. Sc. 1.

Pudore & liberalitate liberos
Retinere satius esse crede, quam metu.

tum paullo post:

Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest. hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare liberis.

bellissime Afranius in Consobrinis, apud Gellium L. 15. C. 13.

Hem isto parentum est vita vilis liberis,
Ubi malunt metui quam vereri se ab suis.

noster opinor respexit ad illa Ciceronis, Orat. pro Roscio Amer. C. 11. *nulla res tanta exsistet, judices, ut possit vim mihi majorem adhibere metus, quam fides.* gaudebat enim quantum vix alius quisquam imitatione Tulliana.

16. MEDIO NEBAT ET IPSA LOCO] qui locus est honoratissimus, inquit Passeratius. mihi praeplacet haud vana conjectura Jani Douzae P. *medio nebat & ipsa foco.* *focus* ponitur pro Penatibus: & sic pro familia, atque domo ipsa. quo modo vetus interpres Horatium exponit L. 1. Epist. 14:

Villice silvarum & mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis,
&
Quinque bonos solitum Variam dimittere Patres.

mulieres autem in mediis aedibus solebant lanam facere. Livius L. 1. C. 57: *omnes citatis equis advolant Romam. Quo quum primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatiam: ubi Lucretiam, haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio lusuque cum aequalibus viderant tempus terentes: sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt.* sic Arete uxor Alcinoi ad focum sedens pensum trahit lanae purpureae, ancillarum grege circumfuso, L. 6. Odyss. ỷ. 52. 305. saepe hae voces, *focus* & *locus*, commutarunt. sic apud Ciceronem, orat. de Harusp. respons. C. 15. legitur: *adsunt vicini ejus loci: multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilia illo ipso in sacello, statuto loco, anniversarii factitarint.* ubi in veterum librorum oris *statuto foco* scribi, utiliter monuit Gruterus.

16. TORO] Heinsius ad Valer. Flacc. II. 138. p. 230. in membranis est *loco*: unde suspicor esse errorem memoriae.

18. RETTULIT] inepte has consonas geminaverunt, quibus timor erat ut staret versus. τὸ *re* saepe in compositione est anceps.

hoc

Haec te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
  Est poenae servo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
  Ac qualem nulla dicere habere domo?
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
  Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.
  Staminea rhombi ducitur ille rota.

Illum

hoc loco recte producitur. Horatius Art. Poët.

nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem referre pudor vetet, aut operis lex.

ita enim illic libri meliores: nam *proferre*, quod nunc vulgo obtinet, ab istis est qui metuebant syllabae.

22. AC QUALEM] omnes libri habent, *Equalem.* quod fortasse fuerit, *Et qualem.* mihi hic spissae sunt tenebrae. nec puto locum esse sincerum, qui tamen sine ope meliorum librorum vix poterit sanari. sed & sic Propertium facilius capio, quam Propertianam Philippi Silvii interpretationem, *habere* reddentis *nulla domo mihi parem dicere?* irascor coelo natali. tam crassos esse nos Batavos, ut nec Philippum Silvium intelligamus!

24. SI PLACET] formula acerbe corrigentis, atque increpantis. Cicero pro Cluentio C. 33. *condemnatus est C. Junius, qui ei quaestioni praefuerat. adde etiam illud, si placet: tum est condemnatus, cum esset judex quaestionis.* quo tempore minime poterat condemnari. ibidem subintelligitur, tamquam jam modo dictum, C. 35. *At etiam Bulbus est condemnatus. Adde majestatis: ut intelligas, hoc judicium cum illo non esse conjunctum.* in Carmine libero:

Quaedam, si places hoc tibi, Priape,
Ficosissima me puella ludit,
Et nec dat mihi, nec negat daturam.

25. NON ME MORIBUS ILLA, SED HERBIS IMPROBA VICIT] artificiose exprimit tertiata verba puellae plorantis, ac prae lacrimis singultantis. quod quum non caperent inficeti quidam mortales, & crederent versum elumbem corrigi posse interveniente caesura, totidem verbis ita deturparunt,

Improba non vicit me moribus illa, sed herbis.

videtur autem prima mali contages prorupisse ab Hieronymi Avantii confidente audacia. quod colligo ex epistola Aldi Manutii, praefixa editioni Venetae. A. MDXV. nam anteriores non discedunt a scriptis. paris artificii est illustris locus Lucretii L. 6.

Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utreque
Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.

itemque alter ejusdem libri:

ubi currus fortis equûm vis
Ferratos utrimque rotarum succutit orbeis.

Maro L. 9. Aen. ỳ. 333.

Tum caput ipsi aufert domino, truncumque reliquit,
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra torique madent.

26. STAMINEA RHOMBI DUCITUR ILLE ROTA] illustratum dederunt hunc versum, praeter Passeratium, Jacobus Nicolaus Loensis L. 7. Epiphyll. C. 23. Math. Raderus ad Martial. L. 9. Epigr. 30. Torrentius ad Horat. Epod. ult. Gonsalius de Salas ad Petron. p. 390. 391. Nic. Heinsius ad Ovid. L. 2. Fastor. ỳ. 575. & August. Buchnerus Oratione de Statuis Magicis, quae est prima tomi secundi: atque his omnibus prior Lucianus in dialogo Melissae & Bacchidis.

Illum turgentis ranae portenta rubetae,
Et lecta exsectis unguibus ossa trahunt.

Et

27. TURGENTIS RANAE PORTENTA RUBETAE] elegans est correctio Nic. Heinsii Castigat. in Vellej. Paterc. L. 2. C. 87, *turgentis fame portenta rubetae.* nam *sanies* saepe venenum notat, praesertim poëtis. Verumtamen quod τὸ *ranae* ex interpretamento profluxisse contendit, in eo sibi adversantem habet Plinium L. 8. C. 31: *Ranae quoque rubetae, quarum & in terra & in humore vita, plurimis refertae medicaminibus, deponere ea quotidie ac resumere a pastu dicuntur, venena tantum semper sibi reservantes.* & L. 32. C. 5: *Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum succus contra venena bibitur, & contra ranae rubetae venenum, & contra salamandras.* ac paullo post: *Eadem vis* [cancrorum fluviatilium] *contra venenatorum omnium morsus: privatim, scytalen, & angues, & contra leporem marinum, ac ranam rubetam.* elegans, inquam, est ac perquam ingeniosa illa Heinsii correctio: sed quo minus inducar, ut certam arbitrer, facit idem ille naturae mystes, eodem quem modo laudavi loco. non enim a sanie rubetae amorem concitari scribit, sed ab officulo quodam lateris sinistri. Ecce verba. *Mira de his certatim tradunt auctores. illatis in populum silentium fieri. Officulo, quod sit in dextro latere, in aquam ferventem dejecto, refrigerari vas, nec postea fervere, nisi exemto id inveniri objecta rana formicis, carnibusque erosis: singula in folium addi. Et aliud esse in sinistro latere, quo dejecto fervere videatur, apocynon vocari. Canum impetus eo cohiberi, amorem concitari, & jurgia addito in potionem. Venerem adalligatum stimulare.* vides ad amorem concitandum usas fuisse mulierculas isto officulo: quod *portentum* vocat noster: nam *saniem* inter venena praesentanea haberi suadere videtur Juvenalis Sat. 1.

Procedit matrona potens, quae molle Calenum
Porrectura, viro miscet sitiente rubetam.

pulmo quoque inter pharmaca letalia, eodem auctore Sat. 6.

Occurrens multae tibi Belides, atque Eriphylae:
Mane Clytemnestram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam & fatuam dextra laevaque tenebat.
At nunc res agitur tenui pulmone rubetae.

atque huc opinor ibat Lucilius L. 4.

Tisiphone tinctis pulmonibus atque adipe unguen
Excoctum attulit Eumenidum sanctissima Erynnis.

etiam rubetae jecur perniciosissimum. gaudere autem bino jecinore, altero letifero, altero salubri, ex Timaeo & Neocle medico tradit Aelianus L. 17. de Animal. C. 15. ex Aeliano Phile C. 29.

28. ET LECTA EXSECTIS ANGUIBUS OSSA TRAHUNT] locus obscurus, & haud dubie corruptus. nam angues, auctore Plinio, L. 29, C. 4, non sunt venenati: & quae iis inesse remedia credebantur, erant innocua. Nic. Heinsius, Castigat. Vellejanis, reponit.

Et lecta e feris ignibus ossa trahunt.

ubi *feri ignes* de rogalibus intelligendi. in Addendis mutavit mentem, legitque

Et secta e foetis anguibus exta trahunt.

correctionem priorem facile admitterem: nam de ossium usu in veneficiis ac sacris magicis passim produnt veterum monumenta. sed latet aliud quiddam praeter ossa: quod erutum habebis, si legeris,

Et lecta exsectis unguibus ossa trahunt.

ossa cum praesegminibus unguium. nec te terrere debet praepositionis ellipsis, tam frequens poëtae nostro, omnibusque adeo antiquis. qua de re diligenter egit Servius ad L. 4. Geor. ℣. 484. & L. 1. Aen. ℣. 194. L. 8. ℣. 216. unguium autem resegmina in ea re valde efficacia habebantur. Apulejus L. 2. Metam. *Oppido formido caecas & inevitabiles latebras magicae disciplinae. nam ne mortuorum quidem sepulcra tuta dicuntur: sed & bustis & rogis reliquiae quaedam, & cadaverum praesegmina, ad exitiabiles viventum fortunas petuntur.* has reliquias atque haec praesegmina, cum aliis damnatae artis arcanis, apertius etiam in lucem protrahit L.

9.

Et strigis inventae per busta jacentia plumae,
Vinclaque funesto lanea vitta toro.

Si

3. *Apparatu solite instruit feralem officinam, omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis literatis, & infelicium avium durantibus damnis defletorum, sepultorum etiam cadaverum expositis multis admodum membris. hic nares, & digiti, illic carnosi clavi pendentium; alibi trucidatorum servatus cruor, & exterta dentibus ferarum trunca calvaria.* Quintilianus Declam. 15. *Facinus quod dicitur inquietare superes, sidera diris agitare carminibus, tumulos, busta scrutari, & amputatis cadaveribus ipsas in scelus armare manus.* Lucanus L. 6. ubi tanto cum ambitu describitur Erichto Thessala:

Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, & tracta durescunt tabe medullae,
Corpora; tunc omnes avide desaevit in artus,
Immersisque manus oculis, gaudetque gelates
Effodisse orbes; & siccae pallida rodit
Excrementa manus.

recte *excrementa*, nam crescunt ungues, & augescunt, etiam mortuis, non aliter ac pili. quocirca vetustas cautum voluit Flamini Diali, ne quid imprudens de suo tribueret in scelera magica. Fabius Pictor apud Gellium L. 10. C. 15. *unguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur.* nam & e vivis quoque hominibus haec colligebantur, auctore Apulejo Metam. L. 3. & Luciano in laudato Bacchidis ac Melissae dialogo. de cadaveribus carorum, ut eorum animas & manes eliciant, unguium praesegmina etiam hodie obrodunt Afri in Guinea, apertissimo indicio traditionis antiquae. alia ex unguibus remedia commemorat Plinius L. 27. C. 7.

29. ET STRIGIS INVENTAE PER BUSTA JACENTIA PLUMAE] *busta jacentia* sunt collapsa, vel diruta & eversa. in Groningano est *rotantia*; quod non placet. Passeratius conjicit *latentia*, id est, devia & occultata. felicius nonnihil Palmerius, *tacentia*. quod firmare videntur ista Horatianae Canidiae Epod. 5.

o rebus meis
Non infideles arbitrae,
Nox, & Diana, quae silentium regis
Arcana cum fiunt sacra.

de stantibus monumentis, non collapsis aut jacentibus, apud eumdem poëtam hortorum Deus capiendus L. 1. Sat. 8.

Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen. serpentes, atque videres
Infernas errare canes: Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.

itaque τὸ *tacentia* non plane rejiciendum videtur: quamquam & in altera lectione sensus est rectus ac commodus. ceterum *strigis plumas* cur ad philtra sive amoris pocula referrent interpretes, nulla caussa erat. tam infausta avis, tamque abominata gentibus omnibus, & jam ante Plinii aetatem in maledictis antiquis habita, nihil poterat conferre ad amorem: nisi si misetra, sive odii potiones, etiam ad hoc genus revocamus. nam sane ad odium, vel certe ad oblivionem valuisse medicamenta e strigibus confecta ostendunt passim poetae, ubicumque strigum fere meminerunt. ita hic Cynthia se derelinqui conqueritur malis artibus pellicis, quae poëtae sui mentem fascinaverit, atque ab suo amore vi magica abalienaverit, cum aliis rebus noxiis ac perniciosis, tum vel maxime plumis infaustae strigis in sepulcreto inventis. ita & Canidia, apud Horatium Epod. 5, Varum suum a complexu veneficae potioris abductura,

Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranae sanguine
Plumamque nocturnae strigis,
Herbasque, quas Iolcos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunae canis
Flammis aduri Colchicis.

haec, inquam, in primo quasi actu sacrimagici parat saga ad avertendam mentem sui Vari ab amore odiosissimae rivalis, desiderii poculum deinde temperatura ex jecinore ac medulla pueri in terra defossi. Utque hic

 ova

Si non vana canunt mea, Lygdame, somnia, testor
Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes.

Putris

ova strigis cum plumis, ita ipsa viscera ad scelus suum adhibet Medea, in cognomine tragoedia ℣. 733.

Mortifera carpit gramina, & serpentium
Saniem exprimit; miscetque & obscoenas aves,
Moestique cor bubonis, & raucae strigis
Exsecta vivae viscera.

nimirum hoc illa Colchis nuptiale munus Iasoni parabat & Creusae. Erat & divinatio quaedam ex strigis visceribus, magica illa sane atque hostilis, quam in usu habebant meretrices atque aniculae lenae, indicium faciente nostro poëta L. 4. Eleg. 5.

Consuluitque striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes foetae semina legit equae.

Caussa vero, cur tam potentes putarentur striges in odio exsuscitando, videtur fuisse frigus, quo validissimo viros pertentare credebantur. id nos docet pessima anicula, sed hujus palaestrae satis prudens, apud argutum nequam: *Quae striges comederunt nervos tuos? aut quod purgamentum nocte calcasti in trivio, aut cadaver? mollis, debilis, lassus, tamquam caballus in clivo, & operam & sudorem perdidisti: nec contentus ipse peccare, mihi deos iratos excitasti.* Seneca Med. ℣. 736. *His gelida pigri frigoris glacies inest.*

30. CINCTAQUE FUNESTO LANEA VITTA VIRO] versus obscurus, & haud dubie corruptus. nam quid est *vir funestus* hoc loco? sane neque Beroaldi, neque Passeratii expositio satis plana est. & praeplacet correctio Nic. Heinsii Castig. Vellejanis,

Vinclaque funesto lanea vitta toro.

tori & *viri* vocabula saepe confundi in vetustis membranis, jam ostenderat ad Nasonem felicissimus ille poëtarum Latinorum sospitator, plurimis in eam rem prolatis exemplis. vittis autem ac taeniis e lana ornabatur lectus feralis. Caecilius in Androgyno, apud Festum in *Taenias*: *Sepulcrum plenum taeniarum, ita ut solet.* istae autem taeniae, ut & reliquus apparatus lecti mortualis, in veneficiis habebantur. Laevius apud Apulej. Apolog.

Philtra omnia undique eruunt.
Antipathes illud quaeritur,
Trochilisci, iynges, taeniae.

Lucanus L. 6. qui locus valide adstruit Heinsii emendationem:

ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
Quam tenuere, facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes
Colligit in cineres, & olentes membra favillas.

huc facit quod scribit Artemidorus Oneirocr. L. 1. C. 79, in coronis eas, quae lana confectae sunt, si in somniis animo appareant, venena aut veneficia ac vincula significare.

31. SI NON VANA CANUNT MEA SOMNIA] nihil mutant scripti. tamen Passeratius ac Gebhardus, & Schoppius, praeferunt *cadunt*. frustra. *canere* dicuntur vates, & quicumque futura praedicunt. Somnia vero quum credantur semper aliquid portendere, recte *canere* perhibentur. Virgilius L. 11. Aen.

Nulla salus bello. capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis;

Servius: CANE, *pro divina: & bene hic male ominantem canere dicit, ut vatem.* Claudianus de bello Gildonico:

Per somnos mihi, sancte pater, jam saepe futura
Panduntur, multaeque canunt praesagia noctes.

quem locum quum ipse quoque Gebhardus huc adduxerit, miror potuisse haerere in re tam clara. noster secundus ita exhibet,

Si non vana canunt mea, Lygdame, somnia;

quod nescio quo modo gratius accidit ad aures: si tamen mihi sunt aures satis poëticae. id quod aegre largietur Hymnorum ille farcinator Lugdunensis. qui homo certius me nosse videtur atque exploratius, quam suum ipsius parentem.

32. POENA ERIT ANTE MEOS SERA, SED AMPLA,

Putris & in vacuo texetur aranea lecto.
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quae tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via:
Et

AMPLA, PEDES] Schoppius, Verisimil. L. 3. C. 20, reponit, *Poena erit ante ejus, &c.* quia, nimirum istic nondum loquitur Propertius, sed Cynthia de Propertio & novis ejus amoribus. quis negat? sed an illi non venit in mentem, locutionem tam solennem non posse bene mutari? ecce, L. 3. Eleg. 9.

Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.

L. 4. Eleg. 8.

Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni:
Quum vix tangendos praebuit illa pedes.

L. 2. Eleg. 21.

Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit.

Ovidius L. 11. Metam.

Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis,
Ante pedes jacuit.

Cicero Orat. post reditum ad Quirites C. 5. *cum & cunctus ordo, & multi eum summi viri orarent, & Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes ejus flens jaceret.* pro Sextio C. 69. *Pertuli poenarum satis: eversa domus est, fortunae vexatae, dissipati liberi, raptata conjux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorum.* sic Achemenides ille L. 3. Aen.

Dixerat: & genua amplexus, genibusque volutans
Haerebat.

veram lectionem vindicaverat jam olim Gebhardus. neque abludunt superbae istae mulierum minae, in hodiernis idiotismis, apud poëtas dramaticos.

33. PUTRIS ET IN VACUO TEXETUR ARANEA LECTO] pergit inibi nugari Schoppius: *ait lectum eorum desertum fore & vacuum. jam vero vacua quae sunt, aranearum plena esse dicimus.* idque firmatum it Catulli, Plauti, atque Afranii auctoritate. sed praeter mentem poëtae. non enim ita capiendus noster L. 2. Eleg. 19.

Putris & in vacua requiescis navis arena.

non Horatius L. 2. Epist. 2.

fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragoedos,
In vacuo laetus sessor plausorque theatro.

non Maro L. 4. Georg.

Verum ubi ductores acie revocaveris ambo;
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci: melior vacua sine regnet in aula.

debebat dicere, esse proverbii speciem, ac de istis rebus usurpari quae pro derelictis habentur, & quae inusu & squallore ac situ pereunt. ita sane Catullus Carm. 22.

mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido senis, situque araneoso.

Tibullus L. 4.

Araneosus obsidet forem situs.

est autem ab Homero tractum L. 16. Odyss. ubi queritur apud Eumaeum Telemachus, cubile Ulyssis penuria incubantium malis araneis obsitum jacere: *aranea* hic loci notat ipsam telam, neque aliter apud Afranium, Plautum, Catullum, Petronium. Servius ad L. 4. Geor. ℣. 247. *laxos suspendit aranea casses*] *Virgilius quidem confundit: tamen scientum majores animal ipsum masculino genere appellasse, hic araneus; retia vero quae faciunt, feminino. araneam* pro reti extulit Phaedrus L. 2. Fab. 8.

cur frondis parum est?
Stramenta desunt. tollere haec aranea
Quantum est laboris!

est autem vox adjectiva, ut vocant, *araneus, aranea, araneum.*

34. NOCTIBUS ILLORUM DORMIET IPSA VENUS] iners erit, languebit. festive allusum ad illud vetus iturorum in bellum ducum, *Mars vigila*, observante Turnebo L. 26. Advers. C. 33. lepide Secundus noster, dulcissimus ille Cupidinum pullus, L. 2. Eleg. 9.

Qui dormit, secum non habet ille suam.
O nunc, o vigiles: illud ne protinus addam:
Quae dormis, secum non habet illa suum.

Tibullus *quiescere* dixit, in carmine Ityphallico:

Venus fuit quieta, nec viriliter &c.

Et mea cum multis lacrimis mandata reporta:
  Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni
  Jurabo; & bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
  Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

V.

ERgo sollicitae tu caussa, pecunia, vitae es:
  Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes:
  Semina curarum de capite orta tuo.

5 Tu

1. ERGO SOLLICITAE TU CAUSSA, PECUNIA, VITAE ES] in duobus libris est *Ergone*; quod in sua editione expressit Douza F. contra morem nostri, & aliorum, ubicumque haec particula stomachantis est, aut conquerentis. L. 2. Eleg. 7.

Ergo jam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum.

& Eleg. 13.

Ergo muneribus quivis mercatur amorem?

tum hujusce libri Eleg. 19.

Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar aequoris hospes.

& Eleg. 21.

Ergo tam doctae nobis periere tabellae.

Tibullus L. 3. Eleg. 6.

Ergo qui toties fallacis verba puellae
Conqueror.

Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 7.

Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper?

istis adjice duos non tam vetustate, quam clarissima poëticae facundiae gloria censendos; Sincerum Sannasarium, L. 3. Eleg. 1.

Ergo ego fallaci semper servire puellae
Natus, & adverso semper amore queri?

ac nostratem Secundum, L. 1. Eleg. 8.

Lrgo dies venit, qua se formosa mariti.
Dedet in aeternum Julia servitium.

neque est cur Augusti Caesaris auctoritatem obtendat aliquis,

Ergone supremis potuit vox impia verbis
Tam dirum mandare nefas?

nam & illi versus non sunt Augusti, sed poëtae alicujus scholastici; & peccant praeterea in legem pedariam. Vix enim usquam reperies apud castos illos veteres alteram in *ergo* correptam. quod & nitidissimum Secundum fefellit. est tamen fatendum, in hoc errore non sine venia peccari, & praeivisse posteris omnes eos qui post Augusti aetatem scripserunt. vide insignem Vossium L. 2. de Art. Grammat. C. 27, super modulo ejus vocis. eodem modo corruptus olim erat M. Coelius, apud Ciceronem L. 8. ad famil. Epist. 17. *Ergo me potius in Hispania fuisse tum, quam Formiis, cum tu profectus es ad Pompejum?* in libris minus castigatis scribebatur, *Ergone potius fuisset*: quod miror Bernardinum Rutilium, virum, ut istis temporibus, bene literatum, potuisse probare ob similitudinem energiae quae esset in versiculis hujus, si Musis placet, umbratici Octaviani. inter Augustaei temporis poëtas solus repertus est Naso, qui corriperet, Epist. Oenon. ÿ. 59. *Votis ergo meis, alii rediture redisti?* nam Ennii versus, *Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret*, (quem laudat Cato apud Cicer. lib. de Senect. cap. 4.) est controversae lectionis.

4. SEMINA CURARUM DE CAPITE ORTA TUO]

Tu Paetum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit aevo,
Et nova longinquis piscibus esca natat.
Flens tamen extremis dedit haec mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor:
Di maris, Aegei quos sunt penes aequora, Venti,
Et quaecumque meum degravat unda caput:

Quo

TUO] valde hic hallucinatur Passeratius. *de* non sine elegantia ponitur pro *ex*, vetus poëta in carmine libero:

Non soror hoc habitat Phoebi, non Vesta, sacello;
Nec quae de patrio vertice nata Dea est.

Ovidius Remed. Amor.

Flumina pauca vides de magnis fontibus orta.

6. OBRUIS INSANO TERQUE QUATERQUE MARI] sic Balthasar Castilionus, utriusque Minervae aeternum decus, Carm. 7. de monstris marinis, sive Tritonibus:

Semineces rapiunt, prensosque volumine caudae
Affligunt saxis terque quaterque suis.

Valerius Flaccus L. 1. in catalogo Argonautarum:

Insequeris, casusque tuos expressa Phalere
Arma geris; vacua nam lapsus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis:
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.

noster infra Eleg. 10.

Ter quater in casta felix, o Postume, Galla.

valde ridiculus est in mysteriis hujus locutionis Macrobius l. in Somn. Scip. 6. p. 24. nescio quam dilogiam hic somniavit Passeratius; ut sit, *terque quaterque obruis*; & *terque quaterque insano*. quod posterius membrum terque quaterque frigidum est, ne dicam ineptum. numerus finitus positus est pro infinito, more poëtis usitatissimo. quem optime exposuit Franciscus Floridus Sabinus L. 2. Lect. subsiciv. C. 10. neque abhorrent ipsi scriptores sacri. Genes. C. 4. ℣. 15. *Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* & C. 33. ℣. 3. *Et ipse pregrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.* Jobi C. 5. ℣. 19. *in sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Proverb. C. 9. ℣. 1. *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* & C. 24. ℣. 16. *Ne insidieris, & quaeras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus. Septies enim cadet justus, & resurget: impii autem corruent in malum.*

11. DII MARIS, AEGEI QUOS SUNT PENES AEQUORA PONTI] nescio unde istud *ponti* irrepserit in Scaligeri editionem: nam omnes antiquiores, etiam omnes scripti, magno consensu habent *venti*. quod non erat loco movendum, quum & venti quoque sint Dii, & aras suas habeant, & votis damnent Seneca L. 5. Natur. Quaest. C. 17. *Divus Augustus templum illi [Circie vento] cum in Gallia moraretur, & vovit & fecit.* Lucretius L. 5.

Summa etiam cum vis violenti per mare venti
Endoperatorem classis super aequora verrit
Cum validis pariter legionibus, atque elephantis;
Non Divûm pacem votis adit, ac prece quaesit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas?

Virgilius L. 3. Aen.

meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo,
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Horatius Epod. 10.

Libidinosus immolabitur caper,
Et agna, Tempestatibus.

lapis antiquus Firmi in Piceno repertus, a-

Quo rapitis miseros primae lanuginis annos?
Adtulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser, Alcyonum scopulis adfigar acutis.
In me caeruleo fuscina sumta Deo est.

At

pud Reinesium Epist. ad Rupert. & Hofman. p. 298. & in Opere Inscriptionum p. 186.

HORITHYAE
L. BARBIVS. L. LIB.
THEOPOMPVS
NAV. MERKAT.
V. S.

illa Orythyia est Aquilonis Thracii conjux, eo nomine post confectam ventis secundis navigationem a navicularío mercatore culta ex voto. videndus Aelianus L. 12. Var. Hist. C. 61. & quae istic nuper notavit eruditissimus Kuhnius. recte itaque *Venti* hic junguntur cum Diis marinis: illorum enim imperium est in mare. praeterea *Aegeum pontum* numquam puto dixisset noster. neque ita solent Romani. Virgilius L. 12. Aen.

Edoni Boreae cum spiritus alto
Insonat Aegeo, sequiturque ad litora fluctus.

Horatius L. 2. Od. 16.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Aegeo.

neque alia ratio *Ionii*. Virgilius L. 2. Georg.

Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.

& L. 3. Aen.

Strophades Grajo stant nomine dictae,
Insulae Ionio in magno.

noster infra Eleg. 9.

Caesaris in tuto sis memor Ionio.

Ovidius L. 4. Metam. versu longe artificiosissimo:

Jactari quos cernis in Ionio immenso.

Papinius L. 1. Teb.

cur non expaverit ingens
Ionium, socio casura Palaemone mater.

& L. 1. Achill.

video jam mille carinis
Ionium Aegeumque premi.

Claudianus Praefat. in Rapt. Proserp.

Jam vagus irrupit pelago, coelumque secutus
Aegeas hiemes Ioniumque domat.

14. ATTULIMUS LONGAS IN FRETA VESTRA MANUS] Borrichianus, *in freta longa*: Regii, & Colbertini, *in freta vasta*. quorum neutrum videtur admittendum, quum nihil ad rem faciat. aliam lectionem Passeratius exhibet, ac praefert,

Attulimus longas in freta vestra moras.

Ego nihil caussae video, cur minus cum illustri Scaligero *longas manus* capiam pro non debilitatis perjurio, quae veterum fuit religio. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 3.

Quam longos habuit, nondum perjura, capillos,
Tam longos, postquam numina lusit, habet.

& mox:

Longa decensque fuit: longa decensque manet.

Janus Douza P. numquam sine laude loquendus, putabat innuere Paetum, reciproca fluctuum ac scopulorum collisione manus digitosque sibi breviores factos, admutilatumque se unguibus & extremis corporis partibus derasis avulsisque, quas integras attulerat in mare. Marollius hunc versiculum non fuit ausus interpretari: ideoque omisit. Verum id damni egregie sarcit nuperi interpretis interpretatio valde interpretativa: *in vestros fluctus venimus cum longis manibus* atque ita rem factam habemus.

15. HALCYONUM SCOPULIS ADFIGAR ACUTIS] variant libri. Borrichianus, *affigat*. noster primus, *ego figar*: alter, *affligar*. Regii, *affligar*. Colbertini, cum Groningano, *affigar*. Codex Palat. Gebhardi, *infigar*. Douzae F. ac Gebhardi editiones retinuerunt *affligar*. quod tamen verbum est nihil hoc quidem loco: qui postulat *infigar*, vel *adfigar*. Virgilius L. 1. Aen.

Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

Ti. Donatus: *Hic etiam illud intelligi potest, idcirco eum infixum scopulo, ne delatus fortassis ad litus sepulturae saltem beneficium reperiret.* nempe hoc ipsum erat, quod metuebat Paetus noster. Cicero L. 1. Tuscul. Quaest. C. 44. *Exsecratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum ut naufragio pereat*

A-

At ſaltem Italiae regionibus evehat aeſtus.
Hoc de me, ſat erit, ſi modo matris erit.
Subtrahit haec fantem torta vertigine fluctus:
Ultima quae Paeto voxque dieſque fuit.
Paete, quid aetatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi eſt? non habet unda Deos.

Nam

Atreus. durum hoc ſane: talis enim interitus non eſt ſine gravi ſenſu. illa inania;
ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis
Eviſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabo,
Sanie, & ſanguine atro.
L. Attius Prometheo:
Titanum ſoboles, ſocia noſtri ſanguinis,
Generata coelo, adſpicite religatum aſperis
Vinctumque ſaxis; navem ut horriſono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitae.
Saturnius me ſic infixit Jupiter.
plura exempla jam pridem dedit Nic. Heinſii foecundum pectus Not. ad Ovid. L. 3. Faſtor. ẏ. 599. & ſagaciſſimus Gronovius L. 4. obſerv. C. 8.

17. ITALIAE REGIONIBUS ADVEHAT AESTUS] ſeptem ſcripti, & primitus cuſi, habent *evehat*. quod non erat mutandum. Livius L. 25. C. 27. *Duae claſſes infeſtae circa promontorium Pachynum ſtabant; ubi primum tranquillitas maris in altum evexiſſet, concurſurae.* Quintilianus L. 6. C. 1. ſub finem: *ex his, ſi bene diximus reliqua, poſſidemus jam judicum animos: & confragoſis atque aſperis evecti, tota pandere poſſumus vela.* parem Paeto affectum oſtendit Ceyx, jam jam facturus naufragium, apud Naſonem L. 11. Metam.
patriae quoque vellet ad oras
Reſpicere, inque domum ſupremos vertere vultus
Verum ubi ſit neſcit: tanta vertigine pontus Fervet.
& mox;
ſed plurima nantis in ore
Halcyone conjux. illam meminitque refertque:
Illius ante oculos ut agant ſua corpora fluctus,
Optat; & exanimis manibus tumuletur amicis.

20. ULTIMA QUAE PAETO NOXQUE DIESQUE FUIT] noſter ſecundus, *voxque*. optime. & ſic jam olim ex ingenio reſtituerat Douza P. receptam vulgo lectionem firmare conniſus eſt Paſſeratius; verum ex intricata reddidit multo intricatiorem. quod quum animadvertiſſet Palaemon Gallicanus, media incedere via voluit: *iſta ſive nox, ſive dies fuit, ſuprema Paeto fuit.* nimirum Douza fuit homo Batavus: ideo non debuit admitti certiſſima ipſius reſtitutio. quod ipſum etiam crimini fuit P. Scriverio, qui quum, poſt Scaligerum in Manilianis, erudite explicaſſet hunc verſiculum Martialis L. 10. Epigr. 24. *Sed vitae tribus areis peractis*; non dubitavit Tho. Farnabius, quo erat candore, amplecti ſententiam Scriverianam, laudato ſimul Jo. Meurſio, qui τὸ *tribus areis*, una cum recepta expoſitione Aurei Romani viginti quinque denariis aeſtimati, rejecerat. Et tamen exſtitit nuper alius interpres Gallicanus, qui quum haec ignorare non poſſet, (nam Raderum ac Farnabium auctores ſuos nominat) adeo altum ſiluit de Meurſio deque Scriverio, ac ſi eorum neuter numquam fuiſſet in rerum natura. praeterea tam non intellexit quae exſcribebat, ut iſtam de *aureo Romano* expoſitionem Farnabio imputaverit. tamen his ipſis ignorantiae theſauris homines invenuſti regiam ſibi liberalitatem promeruerunt: & magno venduntur volumina ſcombris ac piperi veſtiendo prognata.

22. QUID CARA NATANTI MATER IN ORE TIBI EST] in noſtro primo non apparet τὸ *eſt*. minus recte. ſunt autem carorum nomina fere in ore moribundis. pulcerrime magnus magiſter L. 4. Geor.
Tum quoque marmorea caput a cervice revolſum,
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipſa & frigida lingua,

Ah

Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.
Et mater non justa piae dare debita terrae,
  Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinae.
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.

In-

Ah miseram Eurydicen anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripae.
Papinius L. 9. Theb. de Crenaeo:
Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore:
Mater: in hanc miseri ciciderunt flumina vocem.
& L. 12.
Prima per attonitas nigrae regina catervae
Tristibus illabens famulis, iterumque resurgens,
Quaerit inops Argia vias. non regia cordi,
Non pater: una fides, unum Polynicis amati
Nomen in ore sedet.
Ovidius L. 11. Metam.
subeunt illi fratresque parensque;
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique relictum est.
Halcyone Ceyca movet: Ceycis in ore
Nulla nisi Halcyone est.
. . . .
tenet ipse manu, qua sceptra solebat,
Fragmina navigii Ceyx: socerumque patremque
Invocat heu frustra. sed plurima nantis in ore
Halcyone conjux.
. . . .
Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus,
Nominat Halcyonem, ipsisque immurmurat undis.
Idem ille Pelignus olor L. 3. Trist. Eleg. 3.
Lassus in extremis jaceo populisque locisque:
Et subit affecto nunc mihi, quidquid abest.
Omnia cum subeant; vincis tamen omnia, conjux:
Et plus in nostro pectore parte tenes.
Te loquor absentem: te vox mea nominat unam:
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.
Quin etiam sic me dicunt aliena locutum,
Ut foret amenti nomen in ore tuum.
Dido Maronis L. 4. Aen. quamquam sensu non nihil diverso:
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido
Saepe vocaturum.
ab eadem mente noster L. 2. Eleg. 20.
At tu vix primas extollens gurgite palmas
Saepe meum nomen jam peritura vocas.
accedat elegans superiorum temporum poëta, Jo. Baptista Amaltheus, de Orpheo:
Solus inaccessas rupes, Scythiaeque pruinas
Lustrat, & assiduis fletibus ora rigat.
Crudelesque Deos conquestus, & irrita dona,
Ingemit Euridicen nocte dieque suam.
Quin etiam cum avulsum humeris caput abstulit Hebrus,
Illi extrema quidem vox fuit, Euridice.
sic & Casperia, a crudeli patre trucidata, in nomine carissimi Filardi deficiens supremam animam exhalat apud Petrum Michaëlium, Guidonis Silvestris cantu 4.
Passo la spada à la donzella il seno,
E l'alma in un de l'amator trafisse.
Langue qual fior reciso, e solo a pieno
Ne l'estremo morir, Filardo, disse.
habuit ille ab Areosto XXIX. del Furioso, 26. urbanissime hunc tam tenerum affectum psittaco dedit ingeniosissimus poëtarum Naso Amor. L. 2. Eleg. 6.
Septima lux aderat, non exhibitura sequentem:
Et stabat vacua jam tibi Parca colo.
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato.
Clamabat moriens lingua, Corinna vale.
25. ET MATER] Groninganus, *At mater.*

Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
  Quae ſpolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
  Portabat ſanctos alveus ille viros.
O centum aequoreae Nereo genitore puellae,
  Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit laſſo ſubponere brachia mento.
  Non poterat veſtras ille gravare manus.
Reddite corpus humo, poſitaque in gurgite vita
  Paetum ſponte tua vilis arena tegas.
Ut, quoties Paeti tranſibit nauta ſepulcrum,
  Dicat: Et audaci tu timor eſſe potes.
Ite, rates curvas & leti texite cauſſas.
  Iſta per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas:
  Naturae miſeras auximus arte vias.

45 An-

29. RAPTAE TIMOR ORITHYÏAE] Paſſeratius e libro vetere producit, *memor Orithyïae.* perperam, & nullo hic ſenſu. Orithyïa quum raperetur, non leviter timebat iracundi ac trucis venti violentiam. Ovidius L. 6. Metam.

Haec Boreas, aut his non inferiora locutus,
Excuſſit pennas. quarum jactatibus omnis
Afflata eſt tellus, latumque perhorruit aequor.
Pulvereamque trahens per ſumma cacumina pallam,
Verrit humum: pavidamque metu caligine tectus
Orithyïan amans furvis amplectitur alis.

in ultimo verſu male *fulvis* habent vulgatae editiones, reclamante ipſo verborum contextu. Porro Paſſeratii librario, quiſquis ille fuit, ſua impoſuit memoria, ob oculos habens illud Naſonis L. 1. Amor. Eleg. 6.

Si ſatis es raptae, Borea, memor Orithyiae.

34. ET TU NOCTURNO TACTA DOLORE] repone, auctoribus membranis, *materno.* quod corruptum videtur de vicino iſto,

Nam tibi nocturnis ad ſaxa ligata procellis.

39. UT] ita Douza Schediaſm. ſuccidan. p. 68.

41. ITE, RATES CURVAE, ET LETI TEXITE CAUSSAM] nihil certius correctione Paſſeratii,

Ite, rates curvas & leti texite cauſſas.

quam eleganter & docte, ut omnia, explicavit atque adſeruit doctiſſimus Gronovius L. 2. Obſerv. C. 9. quem videre debes. Ite, mortales, & navigia contexite, totidem cauſſas leti. Petronius: *Ite nunc, mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos diſponite. Nempe hic proxima luce patrimonii ſui rationes inſpexit: nempe diem etiam, quo venturus eſſet in patriam, animo ſuo finxit. Dii Deaeque, quam longe a deſtinatione ſua jacet!* Scaligeri eſt τὸ *cauſſam:* nam omnes libri *cauſſas* habent. neque *cauſſa leti* eſt letum ipſum. Gebhardus hic terribiliter detonat in magiſtellos, ipſe nullo magiſtello ſapientior. Silvius autem *texite cauſſas* interpretatur *quaerite occaſiones.* Videlicet hoc eſt Latine ſcire.

43. TERRA PARUM FUERAT. FATIS ADJECIMUS UNDAS.] ita omnes omnium libri. unde ſuſpicari licet τὸ *terris*, quod primum in Aldina apparuit, profluxiſſe ex Hieronymi Avantii officina. poſſet tamen non inepte defendi, ſi per membranas liceret. certe homo ex terra conditus, in terra natus,

Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas cui sua terra parum est?

For-

videtur non debere mori nisi in terra. Seneca Med. ў. 303.

Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris

est magna emphasis in vocula *suas*. inde *terrestre animal* homo dicitur Columellae Praefat. L. 1. *An bellum perosis, maris & negotiationis alea sit optabilior, ut rupto naturae foedere terrestre animal homo, ventorum & maris objectus irae, se fluctibus audeat credere, semperque ritu volucrum, longinqui litoris peregrinus ignotum pererret orbem?* inde *terrenum* vocat Lucanus L. 6.

Prima fretum scindens Pagasaeo litore pinus
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.

quem locum non satis perpendit popularis noster Lambertus Hortensius, suis in eum poetam Explanationibus. *Multis*, inquit, *supra retulimus Argo navium longarum primam, ad Pagasas in ora Magnesiae structam, tentasse mare, in qua Argonautae Colchos vecti fuerunt: quare poeta* terrenum hominem, *id est, Iasonem cum magna horum manu in undas projectum, hoc est, mare ingressum primum miratur ex Thessalia.*

44. FORTUNAE MISERAS AUXIMUS ARTE VIAS] qui hunc versum tamquam sanum atque integrum interpretati sunt, debuerant nos docere quibus viis Fortuna homines interemerit ante inventam navigationem, & inde secuta cum mille discriminibus bella ac caedes. Verum hae a librariis natae sunt turbae, qui loco non suo collocarunt cum Fortuna Naturam. Noli enim ambigere, quin hic fuerit scriptum,

Naturae miseras auximus arte vias.

M. Seneca L. 7. Controv. 1. *multas rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt.* Cicero Orat. pro Sextio C. 21. *Nesciebam vitae brevem esse cursum, gloriae sempiternum: cum esset omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, quae necessitati deberetur, patriae potius donata, quam reservata naturae videretur?* ad naturae incommoda accesserunt casus fortuiti, quos solent homines fortunae imputare. Serv. Sulpicius ad Ciceron. L. 4. Epist. 12. *Etsi scio non jucundissimum nuntium me vobis allaturum, tamen quoniam casus & natura in nobis dominatur; visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores facere.* ibi quoque scripserant *casus & fortuna:* quod pulcre correxit Petrus Victorius. adeo haec duo solebant confundi. Manilius III. 88. ut quidem olim edebatur:

In quibus omnis erat Naturae ac condita summa.

recte Lud. Carrio ex vetere libro emendavit,

In quibus omnis erat Fortunae condita summa.

L. 1. Ant. Lect. C. 15. ibidem Manilius ў. 176.

Et ne forte vagus Naturae quaerere sedem
Incipias.

optime Carrio: *Fortunae quaerere sedem.* sed ad rem. primi isti mortales, finibus patriis contenti, ignoto maris usu, fato suo naturali fungebantur, post longaevam corporis salubritatem senio aut morbo aliquo paullatim fatiscentes. Has vias ad mortem, quas solas Natura noverat, in immensum auxit atque multiplicavit hominum furor atque avaritia, trajectis maribus vastissimis, spretisque penitus omnibus periculorum casibus. L. Seneca L. 5. Nat. Quaest. C. 18. *Non depopulatur nos casus incurrens: emetiri cuique annos ex commodo licet, & ad senectutem decurrere. Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata cessantia.* Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 8.

Non freta demissi verrebant eruta remi,
Ultima mortali tum via litus erat.
Contra te sollers, hominum Natura, fuisti;
Et nimium damnis ingeniosa tuis.
Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses.

Horatius L. 1. Od.

Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia?

Seneca Med. ў. 335.

Bene dissepti foedera mundi

Tra-

Fortuna insidias pontum substravit avaris.
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.

Ven-

Traxit in unum Thessala pinus,
Jussitque pati verbera pontum;
Partemque metus fieri nostri
Mare sepositum.

Lucanus L. 3. ubi de Thessalia:

Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato litore gentes,
Primaque cum ventis pelagique furentibus undis
Composuit mortale genus, fatisque per illam
Accessit mors una ratem.

Neptunus apud Val. Flaccum L. 1. Argon.

Non meus Orion, aut saevus Pliade Taurus
Mortis caussa novae. miseris tu gentibus, Argo,
Fata paras.

Papinius L. 3. Silv. 2.

Imus in abruptum gentilesque undique terras
Fugimus, exigua clausi trabe, & aethere nudo.
Inde furor ventis, indignataeque procellae,
Et coeli fremitus, & fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant aequora somno,
Nec spumare Thetis, nec spargere nubila fluctus
Audebant: visis tumuerunt puppibus undae,
Inque hominem surrexit hiems.

atque hoc est, cur noster dicat, augere nos arte vias Naturae. nec sane praeter rationem. videndus Seneca Medea, elegante illo choro,

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit.

fuit quum *feras* mallem, quam *miseras*: ut *ferae viae* essent ultimi illi ac supremi naturae exitus. & sane hae voces crebro permiscentur. Sed reprimit me auctoritas Ciceronis, *fragilitatem communis naturae* appellantis has ipsas *miseras naturae vias*, orat. pro M. Claudio Marcello C. 7. *Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus dumtaxat humanos, & incertos eventus valitudinis, & naturae communis fragilitatem extimesco, doleoque, cum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere.*

47. NATURA INSIDIANS PONTUM SUBSTRAVIT AVARIS] jam puto liquido patet, has duas voces fuisse sedibus suis motas, & stolide trajectas. nam quis umquam homo sanus dicat, Naturam, illam optimam omnium parentem, insidias struere avaritiae mortalium ostenso tranquillo mari, quos illectos spe lucri piscibus paullo post & belluis marinis escam dare cogitet? aut quis poëtarum umquam somniavit, arbitrium maris esse penes Naturam? id illi semper adscribunt Fortunae. Horatius L. 1. Od. 35. quae est ad Fortunam:

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te DOMINAM AEQUORIS,
Quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

Acro: *Fortuna enim & aequori dominatur, ita ut a navigantibus invocetur.* quod firmat lapis antiquus apud Gruterum LXXII. 5. sagaciter scelestus ille apud Tacitum L. 14. Hist. C. 3. *nihil tam capax fortuitorum quam mare: & si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum ut sceleri assignet, quod venti & fluctus deliquerint?* Fortunam maris ac bellorum terrestrium dominam dixit Pindarus Olymp. 12. unde Horatius sua hausit, notante Joanne Benedicto. locum Pindari ita vertit Nic. Sudorius:

Alsi progenies Jovis,
Fortuna, atque hominum te venerantium
Servatrix, precor arduae
Defendas Himerae moenia: nam mari
Vectas pondera navium,
Terra bella geris saevaque praelia.

utrumque Fortunae numen junxit Seneca L. 5. Nat. Quaest. C. 18. *Quae nos dementia exagitat, & in mutuum componit exitium? Vela ventis damus bellum petituri, & periclitamur periculi caussa. incertam Fortunam experimur: vim tempestatum nulla ope humana superabilem, mortem sine spe sepulturae. Non erat tanti, si ad pacem per ista veheremur.* hujusmodi traiectiones crebro occurrunt in

Ventorum est quodcumque paras: haud ulla carina
Consenuit: fallit portus & ipse fidem.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quae notat Argyni poena natantis aqua.

Hoc

veterum libris. Cicero L. 7. ad Attic. epist. 1. *Haec enim cogitabamus; nec mihi, juncto cum Pompejo, fore necesse peccare in rep. aliquando; nec cum Pompejo sentienti pugnandum esse cum Caesare.* vidit hanc confusionem vir sagacissimus Leonardus Malaspina, ideoque reposuit, *nec cum Caesare sentienti pugnandum esse cum Pompejo.* & verissimam emendationem postea confirmarunt Simeonis Bosii membranae. neque ego dubito stabilituros aliquando codices vetustos hanc meam correctionem. porro *insidias* est in libro Groningano; non *insidians*; Modio pridem monitum Novant. Epist. 18. neque aliter habebant Palatinae Gebhardi membranae, & editio Beroaldi. quam elegantem lectionem omnino amplecti debemus. Valerius Flaccus L. 1. ℣. 416.

securus in aequor
Haud minus Erginus proles Neptunia fertur,
Qui maris insidias, clarae qui sidera noctis
Norit, & e clausis quem destinet Aeolus antris.

Lucretius L. 2.

naufragiis magnis multisque coortis
Disjectare solet magnum mare transtra, guberna,
Antemnas, proram, malos, tensasque natantes,
Per terrarum omnes oras fluitantia aplustra
Ut videantur, & indicium mortalibus edant,
Infidi maris insidias, viresque, dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant
Subdola quom ridet placidi pellacia ponti.

& L. 5.

Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

elegans est nostri adpositio, qua pontum vocat *insidias avaris substratas.* sic paullo ante habuimus, *rates texite caussas leti.* Virgilius L. 10. Aen.

Pallasque sinistro
Adfixus lateri jam quaterit sidera; opacae
Noctis iter, jam quae passus terraque marique.

Plancus Ciceroni L. 10. Epist. 4. *interim maximam hic sollicitudinem curamque sustineo, ne inter aliena vitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem.* Cicero L. 3. ad App. Epist. 10. *talia te cum studia videam habiturum esse innumerabilia, plane dubitare non possum quin tibi amplitudo ista sollicitudo futura sit.* Valerius Flaccus L. 1. Argon. ℣. 23.

Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis,
Jam gravis & longus populis metus.

ibidem ℣. 143.

Crateres mensaeque volant, araeque deorum,
Poculaque insignis veterum labor.

52. QUAE NOTAT ARGYNI POENA NATANTIS AQUA] vides hic Argynum fuisse submersum, dum nataret in amne Cephiso. quod & Stephanus testatur in Ἄργυνος. Athenaeus autem L. 13. C. 8, aliter statuere videtur, referens Agamemnona, quum vidisset Argynnum in Cephiso natantem, quod crebro faciebat, ejus amore fuisse correptum: eumdem vita functum ad Cephisum humasse, ibidemque Veneris Argynnidis templum aedificasse. Verum ex Plutarcho, libro quo contendit bruta animalia ratione uti, colligas periisse in mari. ait enim pastorem illum populorum Agamemnona falsis mare ac ventos onerasse criminibus, tandemque se in lacum Copaïdem demersisse, ut ibi amorem exstingueret. fabulam hanc exponens vir insignis Janus Parrhasius, Comment. in Claudiani librum 2 de raptu Proserpinae ℣. 136. legit,

Qua notat Argynni poena natantis aquas.

ubi *notat* sit *infamat.* sic noster hujus libri Elegia 9.

Nomine quem simili vita superba notat.

& L. 4. Eleg.

At nunc infames magno cum crimine Bajae.

verum tamen melior videtur, ac verior restitutio Scaligeri. quam non libenter deseruero: etsi non ignoro accessisse Parrhasio

Paul-

Hoc juvene amisso classem non solvit Atrides:
Pro qua mactata est Iphigenia mora.

55 Saxa

Paullum Leopardum nostratem, hominem profundae eruditionis, L. 4. Emend. C. 4.

54. PRO QUA MACTATA EST IPHIGENIA MORA] credidit itaque noster, occubuisse re vera Iphigeniam in sacrificio; non autem ereptam esse ac liberatam a Diana, supposita cerva. hinc invehitur in aruspices atque in aruspicinam L. 4. Eleg. 1.

Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene haerentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai.

credidit & Lucretius, cujus hi sunt suavissimi versus L. 1. complusculi quidem, sed minus taediosi quam vel unicum hemistichium Benedicti Aminis.

Aulide quo pacto Triviaï virginis aram
Iphianassaï turparunt sanguine foede
Ductores Danaum delecti, prima virorum:
Quoi simul infula virgineos circumdata comtus
Ex utraque pari malarum parte profusa est:
Et moestum simul ante aras adstare parentem
Sensit, & hunc propter ferrum celare ministros:
Adspectuque suo lacrimas effundere cives:
Muta metu, terram genibus summissa petebat.
Nec miserae prodesse in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem.
Nam sublata virûm manibus, tremebundaque ad aras
Deducta est, non ut solemni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari Hymenaeo:
Sed casta inceste nubendi tempore in ipso
Hostia concideret mactatu moesta parentis;
Exitus ut classi felix faustusque daretur.

itidem Virgilius L. 2. Aen. ubi Eurypylus hoc Apollinis oraculum reportat:

Sanguine placastis ventos; & virgine caesa,
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
Argolica.

nec non Horatius L. 2. Sat. 3.

Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide gnatam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? &c.

proxime ad similitudinem veri accessit Cicero L. 3. de Offic. C. 25. *Quid? Agamemnon cum devovisset Dianae, quod in suo regno pulcerrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulcrius. promissum potius non faciendum, quam tam taetrum facinus admittendum fuit.* ecce, vix anniculam facit, quam ceteri omnes jam bene grandem. tamen noster, sui oblitus, vulgi fabellam sequitur hoc ipso libro, Eleg. 21.

Nec solvit Danaas subdita cerva rates.

quod & Ovidius tradit initio L. 12. Metam.

sunt, qui parcere Trojae
Neptunum credant; quia moenia fecerit urbi.
At non Thestorides. nec enim nescitve, tacetve
Sanguine virgineo placandam virginis iram
Esse Deae. postquam pietatem publica caussa,
Rexque patrem vicit; castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris;
Victa Dea est: nubemque oculis objecit; & inter
Officium turbamque sacri, vocesque precantum,
Supposita fertur mutasse Mycenida cerva:

eam fabellam decoro artificio ad similitudinem veri refinxit L. Septimius, & luculenta facundia exposuit in fine L. 1. Ephemer. belli Trojani. sed ad plures alias machinas decurrere necesse habebant Graeculi, ad diluendam teterrimi facinoris impietatem. vide Servium in L. 2. Aen. ℣. 116. & Janum Parrhasium in L. 3. de raptu Proserpinae Claudiani.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
    Naufraga quum vasto Graecia tracta salo est.
Paullatim sociûm jacturam flevit Ulixes,
    In mare cui soliti non valuere doli.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno:
    Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Non tulit huic pectus stridorem audire procellae,
    Et duro teneras laedere fune manus:
Sed thyiae thalamo, aut Oriciae terebinthi
    Effulto pluma versicolore caput.
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues,
    Et niger invitam traxit hiatus aquam.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
    Verbaque duxisset pondus habere mea:
Viveret ante suos dulcis conviva penates,
    Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.

At

55. SAXA CAPHAREA] Horatius Epod. 10. Servius in L. 11. Aen. ℣. 260. Seneca Agam. ℣. 554.

57. PAULLATIM SOCIÛM JACTURAM FLEVIT ULYSSES] non amisit universos simul & semel. Seneca Epist. 53. *illud scito, Ulyssem non fuisse tam irato mari natum, ut ubique naufragium faceret.* in quinque libris est *flebat*; duo alii habent *Ulixes*, prisca & proba scriptura.

63. SED THYIAE THALAMO] libri fere, *Sed Chio calamo.* male. de arbore *thyia* deque operum ex ea precio, videndus Plinius L. 13. C. 16. qui an recte reprehendatur a Joanne Goropio, in Vertumno, dispiciant harum rerum peritiores.

63. ORICIAE TEREBINTHI] de hujusmodi lectis v. Salmasius ad Solin. p. 417.

65. HUIC FLUCTUS VIVO RADICITUS ABSTULIT UNGUES] adsentior Palmerio, *vivos* legenti. naufragis enim radicitus ungues auferuntur, id est, ad vivam usque carnem. etiam Theod. Marcilius *vivos* malebat, notis in Pers. Sat. 5.

66. ET MISER INVITAM TRAXIT HIATUS AQUAM] bene Lipsius, *niger*, L. 2. Ant. Lect. C. 10. sic supra,

Quum moribunda niger clauderet ora liquor.

invitam reposuit Palmerius, quod firmabat Scaligeri liber, itemque Borrichianus. & recte *invitam*: nam ne ipsa quidem aqua exitium Paeto festinabat. male Passeratius,

Et miseri vitam traxit hiatus aquae.

70. PAUPER, ET IN TERRA, NIL UBI FLERE POTEST] Regii & Colbertini habent, *at interea*; & *nisi* pro *ubi.* saepe in his verbis ita peccant libri scripti. v. Heinsius ad Valer. Flacc. I. 452. p. 202. quo modo & codices Gebhardi. τὸ *at* retinendum videtur, uti & *in terra*: haec enim opponitur tumultuoso mari. *pauper* dicitur qui non affluit opibus, nec tamen eget. Tibullus L. 1. Eleg. 1.

Me mea paupertas vitae traducat inerti.

Horatius L. 2. Epist. 2.

Res urget me nulla: meo sum pauper in aere.

Seneca epist. 87. *Paupertas est, non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet.*

72. ANTE FORES DOMINAE CONDAR OPORTET INERS] Passeratius τὸ *iners* exponit, nequam, turpi amore fractus. haud quaquam recte. *iners* est ignavus, mollis, fugitans laborum & militiae; animi demissi homo. Virgilius L. 9. Aen.

Teucrûm mirantur inertia corda;
Non aequo dare se campo, non obvia ferre

Ar-

At tu, saeve Aquilo, numquam mea vela videbis.
Ante fores dominae condar oportet iners.

Arma viros, sed castra fovere. Sic *inertem vitam* militiae opponit Tibullus loco proxime laudato: ad quem valde bona sunt quae adfert Gebhardus. velles ubique tam recto judicio fuisse.

VI.

DUlcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis & insanae tot maledicta tuae.
Dum furibunda mero mensam procellis, & in me
Projicis insana cymbia plena manu.

Tu

1. DULCIS AD EXTERNAS FUERAT MIHI RIXA LUCERNAS] ita est in codicibus septem. at illud librorum typis editorum *hesternas* Beroaldo debetur: neque prorsus malum est. Sed genuinam lectionem nobis servavit secundus noster codex, in quo clare legitur *extremas lucernas.* vocat autem *extremas,* quia in ipsam usque lucem protrahebantur. quod tempus *noctem ultimam* dixit Ovidius L. 2. Fastor. ubi de Caristiis:

Jamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos,
Parca precaturae sumite vina manus.

quas *extremas* noster, eas Martialis *seras* appellitavit L. 10. Epigr. 19.

Seras tutior ibis ad lucernas:
Haec hora est tua: cum furit Lyaeus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli.

adposite Petronius: *alii circa pedes discumbentium sparsi jacebant, alii parietibus adpliciti, quidam in ipso limine conjunctis marcebant capitibus. Lucernae quoque, humore defectae, tenue & extremum lumen spargebant.* de istis immodestis veterum conviviis non attinet multa coacervare. Verum ne solam Cynthiam credas cum viris pervigilasse; scito, adeo tum temporis ab antiquo rigore deflexisse mulieres, ut parum sibi placerent nisi sexus sui naevos etiam virilibus vitiis commacularent. insignis est locus Sapientis Romani Epist. 95. *Maximus ille medicorum, & hujus scientiae conditor, feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atqui hae jam & capillis destituuntur, & pedibus aegrae sunt. Non mutata feminarum natura, sed vita est. nam cum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque virilium vitia aequaverunt. Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant: aeque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: aeque nivem rodunt, solatium stomachi aestuantis.*

3. CUR FURIBUNDA MERO MENSAM PROPELLIS] in pluribus libris non *cur* est, sed *Cum:* de quo faciendum videtur *Dum,* sententia sic melius procedente. deinde *procellis* legendum, quod de libro Palatino deprompsit Gebhardus. Glossae Latino-Graecae: *Procello, is,* περιτρέπω. verbum est probae notae. Servius in L. 1. Aen. ℣. 89. *Procella est vis ventorum cum pluvia. dicta procella, quod omnia procellat, hoc est moveat.* ita recte editiones veteres. nam Fabricius, & Petrus Daniel, minus bene *percellat* ediderunt. Plautus Milit. Act. 3. Sc. 1.

neminem eorum haec asseverare audias:
Sed procellunt se, & procumbunt dimidiati, dum appetunt.

hic etiam intruserant *percellunt,* invitis membranis. vide quae magnus Vossius notavit in Etymol. L. L. verbo *Cello.* est autem istud *procello* idem quod *percello,* hoc est, interprete Nonio Marcello, *everto.* Varro Parmenone: *alius teneram abietem solus percellit.* Plautus Epid. Act. 4. Sc. 2.

Perii, plaustrum perculi.

h. e. everti. ut Donatus exponit ad Eunuch. A. 2. Sc. 3. & Festi mutilator Paullus. elegan-

Tu vero nostros audax invade capillos,
Et mea formosis unguibus ora nota.
Tu minitare oculos subjecta exurere flamma:
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore gravi femina nulla dolet.
Quae mulier rabida jactat convicia lingua,
Et Veneris magnae volvitur ante pedes:
Custodum gregibus seu quum se stipat euntem,
Seu sequitur medias Maenas ut icta vias:

Seu

gante tralatione Suetonius Neron. C. 35. *nullum adeo necessitudinis genus est, quod non scelere perculerit.* hic Cynthia mensam evertir, mero atque iracundia furens. apposite Seneca L. 1. de ira C. 16. *quid opus est mensam evertere? quid capillos vellere?* Suetonius Neron. C. 47. *Nuntiata etiam interim ceterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos gratissimi usus, quos Homericos a caelatura carminum Homeri vocabat, solo illisit.*

9. VERI DANTUR MIHI SIGNA CALORIS] ita Groninganus. in quibusdam est *coloris:* unde alii fecerunt *doloris.* sed nihil mutandum, sensu tam aperto.

11. RABIDA JACTAT CONVICIA LINGUA] omnes libri, *gravida:* quod corruptum fuit ex *ravida*, ut monitum jam olim illustri Scaligero. auctor est Passeratius in quibusdam exstare *rapida*, pari errore. Virgilius L. 6. Aen.

Ut primum cessit furor, & rabida ora quierunt.

ibi quoque pleraque exemplaria vetera habere *rapida* testatur vir harum literarum doctissimus Jo. Pierius Valerianus. iterum ille poetarum Deus L. 7.

geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque haec addidit ore.

& hic rursus idem hallucinata est librariorum natio.

12. ET VENERIS MAGNAE VOLVITUR ANTE PEDES] Thomas Demsterus Paralip. ad Rosin. L. 3. C. 33. ex libro MS. (ita ait) corrigit *vortitur.* saltem *vertitur*, ut tum scribere moris erat, legi jussisset. verum nos in septem aliis libris *volvitur* invenimus. quod non minus est rectum isto altero. Tibullus L. 1. Eleg. 5.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Papinius L. 9. Theb.

Illam Diva ferox etiamnum in limine sacro
Expositam, & gelidas verrentem crinibus aras
Linquit.

Apulejus L. 6. Metam. *Tum Psyche pedes ejus advoluta, & uberi fletu rigans Deae vestigia, humumque verrens crinibus suis, multijugis precibus editis veniam postulabat.* Arnobius L. 1. *cum Deorum ante ora prostrati, limina ipsa everrerent osculis.* neque id ipsas dedecuit Deas. de Aurora Ovidius L. 13. Metam.

crine soluto,
Sicut erat, magni genibus procumbere non est
Dedignata Jovis.

& haec quidem pro lectione recepta; quibus addere potes Passeratio notata. Ceterum in sequentibus aliquid excidisse, ostendit ipse orationis hiatus. Quae mulier convicia facit amatori suo, quae Veneris pedes advolvitur; quae custodes ponit; quae Bacchae more in publico lymphatur; quam sua terrent somnia; quam imago vel ignotae puellae in furorem dare potest: illa mulier haud dubie amat. ita credibile est cohaesisse quondam: nunc nihil tale.

13. CIRCUM SE STIPAT] alii *circa.* noster secundus, *ceu cum*; pro *seu quum.* quod pridem receptum non debebat effurcillari.

14. MAENAS UT ACTA] τὸ *acta* possis defen-

Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi sum verus aruspex.
Has certas didici saepe in amore notas.
Non est certa fides, quam non injuria versat.
Hostibus eveniat lenta puella meis.

In-

fendere illo Ovidii versu, Epist. Phaedrae:

Nunc feror ut Bacchi furiis Eleleides actae.

illo item Virgilii L. 5. Aen.

Proh scelus! ecce etiam Trojanis matribus actis
Exussit foede puppis; & classe subegit
Amissa socios ignotae linquere terrae.

sed praestat lectio libri Groningani, & nostri primi, *icta*; quod etiam in Palatino Gebhardus invenerat. adludit Maenadas, Liberi patris thyrso percussas. Ovidius Epist. Laodamiae:

Ut quas pampinea tetigisse bicorniger hasta Creditur.

& L. 2. Art. Amat.

In ferrum flammasque ruit, positoque decore Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.

plura Gebhardus exempla dedit. pulcre Lucretius L. 1.

Nec me animi fallit quam sint obscura: sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suavem mi in pectus amorem
Musarum.

14. MAENAS UT ICTA] v. Delrius Adv. in Senec. Med. ỳ. 382. p. 17.

16. SEU MISERAM IN TABULA PICTA PUELLA MOVET] id de se ipso fatetur Umber noster supra L. 2. Eleg. 5.

Me juvenum facies pictae, me numina laedunt.

festive Plautus, & ipse Umber, Asin. Act. 4. Sc. 1.

Ne epistola quidem ulla uspiam sit in aedibus,
Nec cerata adeo tabula. Et si qua inutilis
Pictura sit, eam vendat. ni quatriduo
Abalienarit, quo abs te argentum acceperit,
Tuus arbitratus sit, comburas, si velis.

18. NAM DIDICI CERTAS SAEPE IN AMORE NOTAS] nostri duo, cum Borrichiano, *Has didici certo.* Groninganus, *Has certo didici.* Vaticanus Livinejo inspectus, *Has certas didici*: rotunde, & ut opinor, vere.

19. NON EST CERTA FIDES, QUAM NON INJURIA VERSAT] nihil potes tibi polliceri de fide puellae tuae, nisi eam variis injuriis lacessiveris; nisi in omnem partem versaveris, ut solent converti res venales, explorandi pretii ergo. nam quae desistit ab amore simul ac laeditur, illa non amat vere. callidum praeceptum, & quo vel praecipue Amazonas suas instruxit peritus campi doctor Naso L. 3. Art. Amat.

Quamlibet extinctos injuria suscitat ignes.
En ego (confiteor) non nisi laesus amo.

est autem τὸ *versat* admodum efficax verbum. Valerius Flaccus L. 1. de Pelia, exitium timente sibi ab Iasone:

Ergo anteire metus, juvenemque exstinguere pergit
Aesonium; letique vias ac tempora versat.

tum deinde, comperta Acasti fuga:

simul aedibus altis
Itque reditque fremens, rerumque asperrima versat.

Cicero pro Cluent. C. 26. *cum domi suae miserrimus & inanissimus tantum nummorum positum videret, ad omnem malitiam & fraudem versare mentem suam coepit.* Virgilius L. 4. Aen.

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.

idem vir divinus L. 5.

Ante omnis stupet ipse Dares, longeque recusat:
Magnanimusque Anchisiades & pondus & ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.

& L. 8.

Inmorso aequales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem:
Sive meas lacrimas, sive videre tuas,
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua quum digitis scripta silenda notas.

Odi

Ille deae donis & tanto laetus honore
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus & brachia versat.

hinc noster transtulit aptissime, infra Eleg. 9.

Quid mirare, meam si versat femina vitam?

Cicero id aliis verbis *excutere*, & *in manibus jactare* vocavit, Orat. pro Muren. C. 12. *quae dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata, atque in manibus jactata, & excussa, inanissima prudentiae reperta sunt, fraudis autem & stultitiae plenissima.* etiam *excuti*, & *in manus sumere*, orat. pro Plancio C. 12. *facilis est illa occursatio, & blanditia popularis: adspicitur, non attrectatur: procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur.*

20. HOSTIBUS EVENIAT LENTA PUELLA MEIS] solennis deprecatio apud omnes antiquos. Horatius L. 1. Od. 1.

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem,
Pestemque, a populo & principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

& ejusdem libri Od. 28.

sic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae, te sospite.

formulam ipsam plene illustratam dederunt, magnus Erasmus adagio *Si quid mali, in Pyrrham*; Lambinus in Horat. L. 3. Od. 27. Passeratius h. l. & Brissonius Formul. L. 1.

21. IN MORSO AEQUALES VIDEANT MEA VULNERA COLLO] Nic. Heinsius, Castigat. Vellejanis, malebat *Inmorso*, unica voce. quod nolim sperni. nam cur minus *inmordere* dicatur, quam *admordere*, quam *praemordere*, quam *remordere*, *demordere*, *commordere*, dispicere non possum. Verum quod ibidem Vir ille summus correctionem suam stabilit auctoritate nostri poëtae, prolato hoc versiculo,

Et collum immorsi dentis habere notam,

in eo bis fallitur, memoriae vitio: neque enim is versiculus Propertii est; neque ita legitur. est autem Nasonis L. 3. Amor. Eleg. 14.

Cur plus, quam somno, turbatos esse capillos,
Collaque conspicui dentis habere notam?

itaque istic loci frustra quaeritur verbum *immordere*. at ego tibi alium sponsorem dabo, cui tuto credas. is est Papinius Statius L. 2. Theb. ℣. 628.

Stabat adhuc, donec transmissa morte per artus
Labitur, immorsaque cadens obmutuit hasta.

repetunt verbum Scholia antiqua, quae Barthius habuit: *moriens dentibus immordet hastam per adversum os infixam.* exponit & Glossa ibidem: *immorsa, fortiter morsa.*

25. TECTA SUPERCILIIS SI QUANDO VERBA REMITTIS] elegantissime *verba superciliis tecta* vocat mutuos illos amantium nictus & nutus, quibus pleni eroticorum scriptorum libri. Hinc oculi proprio quasi epitheto *loquaces* poetis dicti. Verum quum *supercilii* vox saepe pro fastu ponatur ac superbia; plane novam hujus loci nobis sententiam architectata est Marollii sagacitas: *Si quelquefois tu me renvoyes des paroles cachées sous une expression hautaine.* papae! ut saepe in abdito latet veritas!

Naso Epist. Helen. ℣. 81.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio paene loquente dari.

v. Columna ad Ennium p. 311.

26. DIGITIS SCRIPTA SILENDA NOTAS]

id

Odi ego quos numquam pungunt suspiria somnos.
Semper in irata pallidus esse velim.

Dul-

id est, si Passeratio credimus, compendio & breviter scribis. nihil ad Bacchum. superiore versu egerat de oculorum colloquio; nunc agit de eo, quod fit vario articulorum motu & composit. Hinc & manus *loquaces* passim & *argutae* poetis dicuntur, quorum loca congerere jam quidem nihil attinet. & viget etiam nunc mutus ille amantium sermo, ut qui maxime, apud Hispanos. tamen quid huc faciat τὸ *scripta*, ego quidem nusquam hodie divinabo. aptius esset *dicta*. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 5.

Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa, nec in digitis litera nulla fuit.

nam sane ex literis coalescunt *dicta*, sive verba. Ovidius quoque aperte *verba* vocat L. 3. Amor. Eleg. 11.

Quid juvenum tacitos inter convivia nutus,
Verbaque compositis dissimulata notis.

itemque Tibullus L. 1. Eleg. 2.

Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis abdere verba notis.

haec videntur juvare meam conjecturam: sed membranae nihil juvant. in nostro secundo est *scripta dolenda*; quod ego quale sit, adsequi non possum. Elingue hoc colloquendi artificium Hoofdius noster eleganter verbo *vingerspraak* vocavit:

Vaeke dacht z' ik raek,
Door de vingerspraek,
Zoo ver eens, dat hy 't vat.
Staegh wert de kneukel stram,
Wen 't 'er toe quam,
Als had zy ganssch geen hart gehadt.

credo ex Nasone, qui hoc ipsum *digitis loqui* vocat L. 1. Art. Amat. ỳ. 137.

Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris:
Nec tibi per nutus accipienda nota est.

v. Barthius ad Papin. T. 1. p. 507. sq.

27. ODI EGO, QUAE NUMQUAM PUNGUNT SUSPIRIA SOMNOS] sensus languidus, & pene dixerim ineptus. sed quem erigit alterius libri Colbertini lectio:

Odi ego, quos numquam pungunt suspiria, somnos.

viderat Passeratius, aut divinaverat. & Schoppius se divinasse dicit L. 4. Verisim. C. 4. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 10.

At mihi saevus Amor somnos abrumpat inertes.

idem mendum haeret in Caesare, Bel. Civ. L. 1. C. 76. *productos palam in praetorio interficiunt: sed plerosque ii quos receperant, celant, noctuque per vallum emittunt.* verissime correxit Dionysius Vossius, *hi qui receperant*. in notis bono publico nuper in lucem productis. etiam e Tullio nunc nuper sustulit praestantissimus Graevius, orat. pro Milon. C. 29. *quonam modo ille vos vivus afficeret, quos mortuus inani cogitatione percussit?* ante erat, *qui mortuus*. nec viderat cristatus ille ab Leida recensitor.

28. SEMPER IN IRATAM PALLIDUS ESSE VELIM] legendum *in irata*; quomodo semper loquuntur poetae Latini, ubi amoris aut desiderii res est. Ovidius Epist. Penelopes:

Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

L. 3. Amor. Eleg. 6.

Inachus in Melie Bithynide pallidus isse
Dicitur, & gelidis incaluisse vadis.

L. 1. Art. Amat.

Pallidus in Lyrice silvis errabat Orion:
Pallidus in lenta Naide Daphnis erat.

L. 8. Metam.

Si, quae te peperit, talis, pulcerrime rerum,
Qualis et ipse, fuit; merito Deus arsit in illa.

L. 3. Amor. Eleg. 6. ubi de Nilo:

Fertur in Evadne collectam Asopide flammam
Vincere gurgitibus non potuisse suis.

Epist. Phaedrae:

Arsit & Oenides in Maenalia Atalanta.

Catullus Epithal. Juliae:

Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera
A tuis teneris volet
Secubare papillis.

Terentius Eun. Act. 3. Sc. 5.

quaedam hodie est ei dono data
Virgo: quid ego ejus tibi nunc faciem praedicem, aut laudem, Antipho,..

Cum

Dulcior ignis erat Paridi, quum Graja per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suae.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector:
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit.

Aut

Cum ipsum me noris, quam elegans formarum spectator siem?
In hac commotus sum.
& prologo priore Hecyrae:
Ita populus studio stupidus in funambulo
Animum occuparat
Horatius Epod. 11.
Amore, qui me praeter omnis expetit
Mollibus in pueris,
Aut in puellis urere.
Ovidius L. 7. Metam.
quid in hospite, regia virgo,
Ureris, & thalamos alieni concupis orbis?
noster L. 1. Eleg. 13.
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis.

29. Cum grata per arma Tyndaridi poterat gaudia ferre suae] Jam plus quam saeculum est, postquam monuerunt docti viri legendum esse *Graja per arma.* tu vide Douzae P. elegantem notam; & Gebhardum adde. Sed quomodo *ferre gaudia* per *dare oscula* exponere potuerunt illi, qui legerant antiquos? eadem locutione in eadem re usus est Naso Remed. Amor.
Hoc & in abducta Briseide flebat Achilles,
Illam Plisthenio gaudia ferre toro.
ut nunc taceam de aliis centum. tamen alieni & dudum explosi erroris accessio fieri maluit, quam recte sapere, lacrimosus ille Enarrator Parisinus. cujus pannosos centunculos qui siccis oculis viderit, ne illi robur, & aes triplex circa pectus esse debet.

31. Dum restat barbarus Hector] sine caussa hic fluctuat Passeratius. *restare* est obniti, resistere, repugnare. Lucretius L. 1.
si certam finem esse viderent
Aerumnarum homines: aliqua ratione valerent
Religionibus atque minis obsistere vatum.
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas.
Cicero orat. de Provinc. Consular. C. 13. *Sed propter vim, ac multitudinem gentium illarum, numquam est antea cum omnibus dimicatum. restitimus semper lacessiti.* interpres vetus Horatii ad Epod. 17: *His Graeci ad Trojam euntes bellum intulerunt: Telephus restitit, & singulari certamine cum Achille conflixit.* Silius L. 7.
ceu nocte sub atra
Munitis pastor stabulis, per ovilia clausum
Impavidus somni servat pecus: effera saevit,
Atque impasta truces ululatus turba luporum
Exercet, morsuque quatit restantia claustra.
alia Barthius in Cirin Virgilii ℣. 533, ex Ovidio & Lucretio. Lucius Septimius L. 4. C. 2. *Interim Ajaces, & qui cum his aderant pedites contra quos steterant caedere, ac restantes detrudere umbonibus, moxque repulsos obtruncare.* elegans ibi oppositio τοῦ *stare* cum *restare.* utrumque est verbum militare. Virgilius L. 3. Georg.
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam cum carpit, & hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
inde compositum *restare.* quod bene illustravit vir insignis Ulricus Obrechtus ad laudatum Septimii locum; & Barthius loco modo indicato. vice versa *resistere* dixit Lucilius pro restare, superesse, apud Nonium:
Id solum adversae fortunae reique resistit.
id solum adversae fortunae & rei pauperculae superest, id unum restat.

31. Dum &c.] hunc versum memoriae vitio corrupit, atque insuper Tibullo dedit, Merula ad Ennium p. 444.

32. Ille Helenae in gremio maxima bella gerit] nec sine fructu, factus aliquot liberorum parens. Lucius Septimius L. 5. C. 5. *Paullo post ex his qui ex arce descenderant, cognoscitur Alexandri filios, quos ex Helena susceperat, casu camerae exstinctos: hique erant Bunomus, Corithus, atque Idaeus.* iis quartum addit Isacius Tzetzes *Agavum.*

Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude quod nulla est aeque formosa: doleres,
Si qua foret: nunc sis jure superba, licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer aeternum, nec sine matre domus.
Cui nunc si qua data est fraudatae copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

33. AUT TECUM, AUT PRO TE] Groninganus, *aut per te.* sed illud malim. Horatius L. 4. Od. 9.

non ferox
Hector, vel acer Deïphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus.

34. IN TE PAX MIHI NULLA PLACET] eleganter, ut omnia, politissimus ille moris aulici doctor Balthasar Castilionus, L. 1. del Cortegiano: *Ho poi conosciuti alcun altri* [innamorati] *in tutto contrarii a questi dolenti, i quali non solamente si laudano, e contentano de i grati aspetti, care parole, e sembianti suavi delle loro donne, ma tutti i mali condiscono di dolcezza, di modo che le guerre, l'ire, gli sdegni di quelle per dolcissimi chiamano: perche troppo piu che felici questi tali esser mi paiano, che ne gli sdegni amorosi, i quali da quell'altri piu che morte sono reputati amarissimi, essi ritrovano tanta dolcezza, penso che nelle amorevoli dimostrationi debban sentir quella beatitudine estrema, che noi in vano in questo mondo cerchiamo.*

37. QUI NOSTRO NEXISTI RETIA LECTO] omnes libri scripti habent *tendisti.* credo quod librarios terrebat insolentior flectio τοῦ *nexisti.* quo modo ex Charisio probe correxit Scaliger; ex Diomede Lucas Fruterius L. 2. Verisimil. C. 10; tamen Diomedes non recte citavit. vide eum L. 1. p. 366. ex Prisciano insignis Turnebus L. 16. C. 6. praestat autem in hoc negotio Grammaticis priscis credere, quam rudibus librariis. Lucilius etiam ita extulerat, L. 5. Sat. apud Priscianum L. 9.

hic solus vigilavit, opinor;
Et quum id mi visus facere est, tum retia nexit.

Paene exciderat, Diomedem pro Propertio Maecenatem laudasse, quo loco haec nostri verba profert: quamquam aliter legitur apud Fruterium, qui ante Puschium vixit.

39. SI QUA DATA EST FURANDAE COPIA NOCTIS] in Groningano est, *fraudatae copia noctis*, quod & in Comelini libro Gebhardus invenerat. amplector, & sequor. *fraudatam noctem* vocat, qua ipsum fraudaverat sua Cynthia.

40. OFFENSA ILLA MIHI] non intellexit vim τοῦ *offensa* Beroaldus: ideoque contra omnes libros intrusit istud suum *infensa*, h. e. inimica. male. *offensa* est laesa, atque eapropter irata ac dolens. vide sis Passeratium. sed & Muretus veram lectionem e libris reposuerat. Plancus ad Cicer. L. 10. Epist. 16. *tamen si quid Lepidus bene sentiens detrimenti cepisset, hoc omne assignatum iri aut pertinaciae meae, aut timori videbam, si aut hominem offensum mihi, conjunctum cum repub. non sublevassem, aut ipse a certamine belli tam necessarii me removissem.* & deinde Epist. 23. *Nam si uno loco essem, verebar, ne cui obtrectatorum viderer & nimium pertinaciter Lepido offensus, & mea patientia etiam alere bellum.* Cicero L. 1. ad Attic. Epist. 10. *Primum tibi de nostro amico placando, aut etiam plane restituendo polliceor . . . . . Hoc te intelligere volo, pergraviter illum esse offensum.* orat. pro P. Sextio C. 58. *aliusne est aliquis improbis civibus peculiaris populus, cui nos offensi invisique fuerimus.* male istic F. Ursinus ex antiquo libro *infensi* malebat. Apulejus Apolog. *an ut testamento, quod irato filio scribebat, filium potius, cui offensa eras, quam me, cui devincta, heredem relinqueret?*

VII.

MAecenas eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam:

Quid

1. MAECENAS EQUES ETRUSCO DE SANGUINE REGUM] C. Cilnii Maecenatis, laudatissimi viri, nomen quam varie exaretur, nemo ignorat. hodie fere obtinuit eruditorum consensu, ut diphthongus *ae* in prima syllaba ponatur. quo modo constanter exhibet codex Groninganus. neque aliter scribi in Romano Virgilii codice, inque monumentis quae in ipsis hortis Maecenatianis eruta sunt, locuples testis est vir elegantissimae doctrinae Joannes Pierius Valerianus Castig. in L. 1. Georg. ℣. 2. & Aldus Manutius Orthograph. p. 493: Lambinus, Dausquejus, alii. nummum argenteum, SCto in honorem ejus cusum, cum effigie & epigraphe, S. C. MAECEN. exhibet in suo Maecenate Henricus Meibomius C. 5. quo libro, docto sane atque elegante, vir industrius complexus est quidquid de genere, moribus, fortuna, rebusque gestis C. Cilnii Maecenatis hodie sciri potest. Andreas vero Dacerius nuper Maecenati status controversiam movit, in Notis ad Horat. L. 1. Od. 1. ubi contendit, omnes interpretes, qui Maecenati regium genus dederunt, esse lapsos; nec bene percepisse, *reges* apud optimum quemque scriptorem vocari optimates, aut etiam opulentos homines, eorumque uxores *reginas*. itaque *atavis regibus editum* debere exponi, natum ex illustri & antiqua familia equestri. De ea notione *regis*, & *reginae*, scimus abunde, neque nunc primum docendi eramus. Verùm de Maecenate tum credemus, ubi bonis rationibus ostensum erit, antiquos illos Etruriae reges non fuisse revera reges, sed tantum optimates, aut homines opulentos. Tum & hoc excuti debebit, utrum *prosapia equestris*, in sermone serio, recte dici possit *genus regium*. quod si rite atque ordine ita liceat loqui; jam ego contendam P. Ovidium Nasonem proavis regibus fuisse progeneratum. nam certe huc ipse ducat L. 3. Amor. Eleg. 15.

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis haeres,
Non modo militiae turbine factus eques.

& in Ponticis, L. 4. Epist. 8.

Si genus excutias, equites ab origine prima
Usque per innumeros inveniemur avos.

nemo tamen poëta ideo dixisset,

O Naso proavis edite regibus.

utque postquam in enumeratione prosapiae equestris quibus verbis sit utendum luculenter ostendisset Marcus Cicero, ortus & ipse loco equestri, orat. pro Plancio C. 13. *Sed cum sit Cn. Plancius is eques Romanus, ea primum vetustate equestris ordinis, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes equites Romani fuerint, summum in praefectura florentissima gradum tenuerint & dignitatis & gratiae:* &c. Clientes, asseclae, salutatores, parasiti, patronos ac dominos suos amicosque potentes vocitare *reges* solebant. exemplorum festiva copia est apud Plautum, Terentium, Martialem, ipsumque adeo Horatium. eleganter nitidissimus scriptor Columella Praefat. L. 1. *An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, somniumque regis sui rumoribus inaugurantis? neque enim roganti, quid agatur intus, respondere servi dignantur.* & credamus Horatium hoc verbo appellitasse majores Maecenatis, ubi extollere volebat antiquum generis ac natalium splendorem? esto itaque Maecenas *Tyrrhena regum progenies*; neque confundantur equites Romani cum regibus Etruscorum. quae Jesuita Rodellius contra Dacerium attulit *de Maecenatis stirpe vere regia*, qualia sint, tutemet ubi voles poteris arbitrari. ego potiora duco, quae doctissimus Meibomius disputat libri laudati cap. 2. quaeque vir summus Thomas Reinesius Epist. ad Rupert. 35. ceterum *Etrusco* scribendum est, sine adspiratione, docente Manutio Orthogr. p. 304, ex veteribus monumen-

Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus;
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex aequo ducitur una jugo.

Glo-

numentis: & ante eum Pierio Valeriano in L. 2. Geor. ℣. 533.

2. INTRA FORTUNAM QUI CUPIS ESSE TUAM] Livinejus legebat *infra*; &, quod miror, Nic. Heinsius, Not. ad Ovid. L. 3. Trist. Eleg. 4. ℣. 25. male uterque. *intra fortunam suam esse*, valet, citra limites fortunae consistere, gerere se modestiorem quam quidem per fortunam licere posset. Cicero L. 4. ad famil. Epist. 4. *Sed tamen quoniam effugi ejus offensionem, qui fortasse arbitraretur me hanc remp. non putare si perpetuo tacerem, modice hoc faciam, aut etiam intra modum: ut & illius voluntati & meis studiis serviam.* quae verba exponens A. Gellius L. 12. C. 13. ita scribit: *Modice dixerat, id est, cum modo aequo & pari; deinde, quasi hoc despiceret & corrigere id vellet*, aut etiam intra modum. *per quod ostendit minus sese id facturum esse, quam quod fieri modice videretur: id est, non ad ipsum modum, sed retro paullulum & citra modum.* apparet hinc error Joannis Passeratii, in Ciceronis loco adducto *infra* rescribentis, lib. Conject. C. 6, contra tam certam ipsius antiquitatis lectionem. Horatius L. 1. Sat. 1.

dic, quid referat intra
Naturae fines viventi, jugera centum, an
Mille aret.

Tacitus L. 3. Annal. C. 72. *Simul laudibus Sejanum extulit, tamquam labore vigilantiaque ejus tanta vis unum intra damnum stetisset.* & C. 75. *Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebrior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex injuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.* & L. 12. C. 53. *Adseveravit Claudius, contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere.* apud eumdem Germanicus L. 2. Annal. C. 71. *Si fato concederem, justus mihi dolor etiam adversus Deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae, intra juventam praematuro exitu raperent.* Florus L. 1. C. 3. de Horatio, qui occiderat sororem suam: *Citavere leges nefas: sed abstulit virtus parricidam: & facinus intra gloriam fuit.* Silius L. 14.

Hot inter Daphnis deductum ab origine nomen
Antiqua fuit infelix, cui linquere saltus,
Et mutare casas infido marmore visum.
At princeps generis quanto majora paravit
Intra pastorem sibi nomina! Daphnin amarunt
Sicelides Musae, &c.

Curtius L. 10. C. 5. de Alexandro: *modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale desiderium usus, nec ulla nisi ex permisso voluptas.* sed hic consistamus intra gargaridiationem.

8. FAMA NEC EX AEQUO DUCITUR ULLA JUGO] duo Regii, noster secundus, Groninganus, libri Gebhardi: *Flamma nec ex aequo.* primus noster:

Palma nec ex aequo clauditur ulla jugo.

Flamma & *clauditur* etiam in Borrichiano legitur. deinde Regii, *illa rogo*: Colbertini, *ulla rogo.* legendum cum Lipsio L. 3. Var. Lect. C. 17:

Fama nec ex aequo ducitur una jugo.

optime Lipsius: nam istud *una* erat in Passeratii libro. & crebro *illa* vel *ulla* scripserunt librarii pro *una*. Terentius Andr. Act. 4. Sc. 4.

verbum si mihi
Unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave.

ibi codices minus emendati habebant *verbum si mihi ullum*, observante viro laudatissimo Georgio Fabricio. tamen *unum* postulat Donati nota: *accommodate comminatur Davus: paene enim Mysis universa narrabat.* idem mendum Gruteri industria ex Floro sustulit

L.

Gloria Lysippo est animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi jactat equis.

In

L. 4. C. 2. *numquam uno loco tantum virium populi Romani, & tantum dignitatis Fortuna vidit.* & hic erat *ullo loco.* ex Cicerone Lambinus suffragantibus Grueteri libris, orat. de Provinc. Consular. C. 10. *C. Caesari supplicationes decrevistis, numero, ut nemini uno ex bello; honore, ut omnino nemini.* vulgatae *ullo ex bello* habebant. dicit ergo poëta, Non eadem gloria ex eadem arte quamlibet magnos artifices manet. Lysippus statuis humanis effingendis clarior est quam Calamis: qui tamen ipse meliores equos fecit quam Lysippus. &c. aliter Jo. Fred. Gronovio visum fuisse in Diatribe Statiana non ignoro. quem, qui volet, sequatur. Philippus Silvius suo more, hoc est plus quam pueriliter, reddidit, *neque ex eodem fonte laus omnis & nomen provenit.* videlicet Passeratius dixerat: *Idem nomen eademque laus non manat ex eodem fonte.* sunt igitur huic homini synonyma *idem* atque *omnis.*

9. GLORIA LYSIPPO EST ANIMOSA EFFINGERE SIGNA] recte *animosa*, animata quasi ac viventia. sic Myronis boves supra appellavit *vivida signa.* Quintilianus L. 12. C. 10. *ad veritatem Lysippum & Praxitelem accessisse optime affirmant.* & poterat de iis arbitrari Propertius, testis oculatus. Vellejus L. 1. C. 11. *Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus circumdatas duabus aedibus sine inscriptione positis, quae nunc Octaviae porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc turmam statuarum equestrium, quae frontem aedium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, ex Macedonia detulit. cujus turmae hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum, ut eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque iis interponeret.* Plinius L. 34. C. 8. *Alexandrum, amicorumque ejus imagines summa omnium similitudine expressit. Has Metellus Macedonia subacta transtulit Romam.*

10. EXACTIS CALAMIS SE MIHI JACTAT EQUIS] multa Calamidis opera passim celebrant antiqui: sed inprimis admirationi fuerunt quos fecerat equos. magnificum in Alti donarium celebrat Pausanias L. 6. *aereum currum, in quem vir adscendit; utrimque veredi singuli, pueris insidentibus. sunt autem monumenta de Olympicis victoriis Hieronis Dinomenis filii, qui fratri Geloni in Syracusanorum tyrannide successit. currus, Onatae Aeginetae; Calamidis, qui utrimque stant equi, & insidentes illis pueri, opera sunt.* Plinius L. 34. C. 8. *Calamis & alias quadrigas bigasque fecit, equis semper sine aemulo expressis.* Ovidius Pontic. L. 4. Epist. 1.

Vindicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum;
Ut similis verae vacca Myronis opus.

& hujus quidem opera prae Calamidis commendatiora habebantur. Cicero in Bruto C. 18. *Quis enim eorum, qui haec minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem sed tamen molliora quam Canachi. Nondum Myronis satis ad veritatem adducta; jam tamen quae non dubites pulcra dicere.* Fabius L. 12. C. 10. *Similis in statuis differentia. Nam duriora, & Thuscanicis proxima Calon atque Egesias, jam minus rigida Calamis, molliora adhuc supra dictis Myron fecit.* verum, quod in transcursu observo, hic Egesias, sive Hegesias, nescio quo modo non placet, & de mendo suspicio est. Philosophum eo nomine commemorat Cicero L. 1. Tuscul. Quaest. C. 34: *a malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus. Hoc quidem a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod multi his auditis mortem sibi consciscerent.* Valerius Maximus L. 8. C. 9. *Quantum eloquentia valuisse Hegesiam Cyrenaicum philosophum arbitramur?* ubi eadem refert quae Cicero. Strabo quoque L. 9. ubi Athenae describuntur, Hegesiae cujusdam fragmentum laudat, historici ut puto, & ab altero illo diversi. fuit fortasse idem ille, quem *fractum, minutum, & in ipsa concinnitate puerilem* vocat Cicero in Bruto C. 83. sed nos statuarium quaerebamus. itaque prope abest, ut credam scribendum

in

In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:
Parrhasius parta vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formae:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Jupiter ornat eburno;
Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.

Est

in Fabio *Hegias.* sane statuarii Hegiae bis meminit Plinius L. 34. C. 8. *eodem tempore aemuli ejus* [Phidiae] *fuere Alcamenes, Critias, Nestocles, Hegias.* ac deinde: *Hegiae Minerva, Pyrrhusque rex laudatur, & Celetizontes pueri, & Castor & Pollux ante aedem Jovis Tonantis.* Patriam indicat Pausanias L. 8. *Aetate floruit Onatas eadem qua Hegias Atheniensis, & Argivus Agalades.* de Hegia video Plinium ac Pausaniam laudari a Francisco Junio in laborioso illo artificum catalogo. qui liber nondum prodierat in lucem, quum hae commentatiunculae jam essent confectae. quod ideo dico, ut ne Palaemon aliquis furti me velit postulare, simul caluerit inverecondo deo.

12. PARRHASIUS PARTA] *Pyreicus* intruserat Beroaldus, inque eo facinore ultro etiam gloriatur. *Parrhasius* est in octo libris scriptis: quod rite atque ordine Scaliger restituit in suam sedem. idem felicissime *parta* emendavit ex corrupto *parva.* Sane *parere artem* ita dicitur, ut *parere laudem, gloriam, amicos, imperium, pacem, bellum,* & quae sunt id genus sexcenta tanta. Plinius L. 35. C. 10. *Parrhasius Ephesi natus, & ipse multa constituit. Primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus.* haec est illa ars, quam Parrhasius peperisse perhibetur.

15. PHIDIACUS SIGNO SE JUPITER ORNAT EBURNO] in Groningano, & Commeliniano Gebhardi, erat *se Jupiter armat:* quod aliquando multum se mihi commendabat. vide deinde verius esse vulgatum *ornat:* neque enim Jupiter ille Eleus tenebat fulmen, uti videre est ex illa diligentissima atque operosissima hujus nobilissimi operis descriptione apud Pausaniam in Eliacis prioribus, sive L. 5. passim quoque alii laudarunt a pulcritudine atque ab ornatu inimitabili. Quintilianus L. 12. C. 10. *Phidias in ebore longe citra aemulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset: cujus pulcritudo adjecisse aliquid etiam receptae religioni videtur. adeo majestas operis Deum aequavit.* Columella praefat. L. 1. *nec pulcritudine Jovis Olympii Minervaeque Phidiacae sequentis aetatis attonitos piguit experiri Bryaxim, Lysippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere, aut quousque progredi possent.* Juvenalis Sat. 8.

Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis,
Phidiacum vivebat ebur.

adde Valerium Maximum L. 3. C. 7. extern. 4. de Phidiae Minerva v. Cicero praefat. Paradox. p. 544. inibi Aldus p. 408. b.

16. PRAXITELEM PROPRIUS VINDICAT ARTE LAPIS] in octo libris scriptis, & editionibus primis, legitur, *propria vindicat urbe lapis.* quo modo & duo libri Gebhardi. τὸ *arte*, quod nullae membranae agnoscunt, videtur Hier. Avantii esse figmentum: nam primum comparuit in exemplaribus Aldinis. istud autem *propria* corruptum puto ex *Paria.* etenim *Parius* habere quosdam codices, testatur Beroaldus. Parium autem marmor prae ceteris marmoribus excelluisse, nusquam non produnt poetae. & notavit Acro in Horat. L. 1. Od. 19. ℣. 6. Fabius L. 2. C. 19. *Si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere, Parium marmor mallem rude: at si illud artifex expolisset, plus in manibus fuisset quam in artifice.* Praxitelem porro marmore quam aere feliciorem, ideo & clariorem, fuisse, auctor est Plinius L. 34. C. 8. quamquam fecerat etiam ex aere pulcerrima opera. sed marmoris gloria se ipsum superasse, idem Vir summus prodidit L. 36. C. 5. magnis quoque laudibus tulit Cicero pulcerrimum illud Cupidinis signum

signum

Est quibus Elaeae concurrit palma quadrigae,
  Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem; hic castrensibus utilis armis.
  Naturae sequimur semina quisque suae.
At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi,
  Cogor & exemplis te superare tuis.

Quum

gnum e marmore, propter quod Thespiae visebantur, quum alia visendi caussa nulla esset, Accus. 4. in Verr. C. 2. & Papinius L. 4. Silv. 6. praecipue extollit

laboriferi vivant quae marmora coelo Praxitelis.

ut jam taceam de tot aliis, quorum elogiorum finis nullus est. itaque scribendum opinor,

Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.

Parium marmor solum dignum est, in quo se exerceat Praxitelis artificium nulli imitabile. Paros, Cycladum una in mari Aegeo, habebat urbem sibi cognominem, patriam Archiloci poetae. vide Stephanum Byzantium. *lapis urbe Paria* sic dicitur ut *ficus Zacyntho*, *vinum Lesbo*, & quae sunt id genus multa veterum munditiarum. de quibus cum cura egit eruditus scriptor nostras Ausonius Popma L. 2. de usu Antiq. Locut. C. 11.

17. EST QUIBUS ELEAE CONCURRIT PALMA QUADRIGAE] τὸ *est* hic & in sequente versu habent nostri duo cum Groningano, alteroque Colbertino, ac Borrichiano. eleganter, & ad morem Atticorum, quod illustratum dedit Theodorus Marcilius ad Horat. L. Od. 1. reliqui libri, *sunt*, *sunt*. & sic fere editiones vulgatae. hunc bellissimum Atticismum jure civitatis Batavicae donavit nobilissimus scriptor, & saeculorum memoria dignissimus, Petrus Cornelius Hooftius, eo creberrime usus. sic Propemptico Laurentii Realii:

Daar was'er wel zoo week, dat d'oogen tranen droegen,
Tot tuigen hoe in 't hart de zielen lieflijk loegen,
Mits zy beleefden, dat hun Aemstel was geraakt
Aan eigen burger, die had Koningen gemaakt.

in Vita Henrici Magni: *Daar is'er van geveelen, dat het alle deze list te doen was, om vreede ende oorlog in der hand te hebben, met het handelen van zyn hart. —— —— Daar was'er die geloofden, dat hy zich zelven uit wanhoop verdronken had.* Epist. 39. *Der is'er niettemin, die honing en melk voor de twee lieflijkste lekkernyen des lands van beloften houden, en als ze gemengt zyn, zouden'er geenen mondt aan steeken.* atque ita saepe alibi: praesertim in opere aeterno Historiarum Belgicarum. tamen brevi ad has delicias obruduit infelix palatum hominum quorumdam inepte doctorum, quibus sordet & putet quidquid est Venerum transmarinarum.

20. NAT. SEQUITUR] non dubito, a poëtae manu fuisse *sequimur*; unde detritis paullatim duabus lineolis enatum fuit istud *sequitur*. nomina collectiva & partitiva, ut magistri vocant, singularia eleganter cum verbo plurali ponuntur. Virgilius L. 6. Aen.

Quisque suos patimur Manis.

L. Septimius L. 3. C. 12. *ita per distributionem officia sua quisque procurantes igni plurima in armis pernoctant.* & L. 4. C. 8. *collectos suos quisque igni cremant, & more patrio sepeliunt.* & ante eum locupletior auctor T. Livius L. 27. C. 51. *Tum enimvero aetas omnis currere obvii; primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudii cupientes.* sed in promptu sunt ubique exempla.

22. COGOR ET EXEMPLIS TE SUPERARE TUIS] marmor vetus Arimini in templo S. Bartoli, quod a Steph. Pighio descriptum Gruterus publicavit, CIↃXCIV. 2. QVOD. LIBERALITATES. IN. PATRIAM. CIVESQ. A. MAJORIBVS. SVIS. TRIBUTAS. EXEMPLIS. SUIS. SUPERAVERIT.

22. COGOR] libentius legam *Conor*. Horatius L. 1. Epist. 1. ỹ. 18.

Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor;
Et mihi res, non me rebus, subjungere conor.

Quum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Caesar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes:
Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos aequabunt ista Camillos
Judicia, & venies tu quoque in ora virum.

Cae-

25. MEDORUM PUGNACES IRE PER HOSTES] Groninganus, *pugnatos*. quod valeret, depugnatos, debellatos.

26. ONERARE TUAM FIXA PER ARMA DOMUM] proprio *figendi* verbo utitur, quo & saepe Livius in hac re usus est, & poetae complures. Pedo Albinovanus Consolat. ad Liviam Aug.

Moesta domus plangore sonat; cui figere laetus
Parta sua dominus voverat arma manu.

Horatius L. 1. Epist. 1.

Vejanius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.

Lucanus L. 1.

Deripiunt sacris adfixa penatibus arma,
Quae pax longa dabat: nuda jam crate fluentes
Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigrae morsu rubiginis enses.

C. Silius L. 6. de Attilio Regulo:

Adfixi clypei, currusque, & spicula nota
Aedibus in parvis, magni monumenta triumphi
Pulsabant oculos.

& L. 15.

Fatidicis Nabis veniens Ammonis arenis
Improba miscebat fiturus praelia fati,
Ceu tutante Deo, ac patriis spolia Itala templis
Fixurum vano tumidus promiserat ore.

Virgilius L. 3. Aen.

Aere cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo.

inibi Servius: *proprie.* FIGI *enim dona dicuntur, ut* Sacra ad fastigia fixi. *& sciendum, inter sacratas res etiam dona esse, sicut in libris sacrorum invenitur; quae tam diu dona dici possunt, quam diu non profanantur.* Plinius L. 35. C. 2. *Aliae foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, adfixis hostium spoliis, quae nec emtori refigere liceret; triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus.* vides morem & in sacris & in profanis aedibus celebratum, servato utrobique *figendi* verbo.

29. IN TENUES HUMILEM TE COLLIGIS UMBRAS] elegans est istud *colligis*, sed Marollio parum perspectum, ita vertenti: *Tu te renfermes en toute humilité sous de petites ombres.* tamen Passeratius ceperat non incommode. Apulejus Apolog. *Ego contra, quantulacumque haec tibi videntur, multa etiam & nimia arbitror, & cupio me ad pauciora coërcere, tanto beatior futurus, quanto collectior.* τὸ *umbras* opponit luci & splendori aulae. male hic Passeratius: *ita te astringis reducisque collecta cupiditate, ut non procul umbram jacias.* possis & ad studium hortorum referre, quo flagrabat Maecenatis animus. Pedo Albinovanus:

Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canentes,
Paucaque pomosi jugera certa soli.
Pieridas, Phoebumque colens in mollibus hortis
Sederat argutas garrulus inter aves.

Caesaris & famae vestigia juncta tenebis:
Maecenatis erunt vera tropaea fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi, nec semper praelia clade pari.
Nec referam Scaeas, & Pergama Apollinis artes,
Et Danaum undecimo vere redisse rates,

Moe-

33. CAESARIS ET FAMAE VESTIGIA JUNCTA TENEBIS] Palmerius corrigit, *fastigia*: quia scilicet *fastigia famae* recte dicatur; *tenere* autem *vestigia*, non recte. atqui Virgilius dixit L. 5. Aen.

Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo.

eleganter, & valde ad rem, *niti in vestigia majorum*, quod minus est quam *tenere*, apud Justinum legitur L. 29. C. 1. *His regibus pueris, etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in suorum quibusque majorum vestigia nitentibus magna indoles virtutis enituit.* Sed Palmerii temeritatem bene retudit Valens Acidalius ad L. 2. Velleji C. 88. qui tamen ubi in praecedente versu legit, *magnes aequabunt ista triumphos*, in eo adversantes sibi habet omnes libros antiquos, qui magno consensu praeferunt *Camillos.* nec video cur repudiemus.

36. TOTA SUB EXIGUO FLUMINE NOSTRA MORA EST] Groninganus, *Tuta sub exiguo est*, & deinde *nostra ratis.* Passeratii quoque libri habebant *rasis.* legendum videtur,

Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.

ita supra dixerat L. 2. Eleg. 3.

Tranquillo tuta descendis flumine cymba.

& hujus libri Eleg. 2.

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris: medio maxima turba mari est.

Ovidius Trist. L. 2.

Non ideo debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.

37. IN CINERES ARCEM SEDISSE PATERNOS] melius opinor *sidisse* scribemus. Virgilius L. 2. Aen.

Tum vero omne mihi visum considere in ignis
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troja.

& L. 9.

at non viderunt moenia Trojae
Neptuni fabricata manu considere in ignis?

Tacitus L. 3. Histor. C. 33. *Per quatriduum Cremona suffecit. Cum omnia sancta profanaque in igne considerent, solum Mephitis templum stetit ante moenia, loco, seu numine defensum.* Haec quidem ego sic mecum cogitaveram: sed quid respondebo Prisciano? (is L. 10, dicit: *ab eo quod est Sido praeteritum non inveni.*) nimirum, commutari crebro duo ista verba *Sidere* & *Sedere*, inprimis autem in compositis? hic vero loci nihil mutandum, idque auctore Papinio Statio? L. 5. Silv. 3:

sacrilegis lucent Capitolia taedis,
Et Senonum furias Latiae sumsere cohortes.
Vix requies flammis: necdum rogus ille Deorum
Sederat.

Nequaquam. inveniri ejus verbi praeteritum jam ex laudato Taciti loco vidimus, & firmavit pridem eximius ille Gronovius L. 4. Observ. C. 16. correcto simul Papinio, & verbo *Siderat*, quod male effurcillatum erat, in sedem suam reducto. Quinimo ipse Priscianus se retexit libro eodem, p. 893. *Sido praeteea Sidi facit.*

38. NEC SEMPER PRAELIA CLADE PARI] Lipsius L. 2. Ant. Lect. C. 10, suspicabatur emendandum *nec septem*, propter septem istos celebres duces. Passeratii libri, *nec fratrum.* nostri nihil mutant. & recte. erant enim clades semper pares, victoribus non minus quam victis exitiosae. vide Erasmum nostrum adagio *Cadmea victoria.*

39. PERGAMA APOLLINIS ARCES] leve mendum omnem sensus elegantiam evertit. scripserat poeta, *Apollinis artes.* tabula est notissi-

Moenia quum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus arcis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Dore poëta, tuis.

45 Haec

notissima, neque hic repetenda. Ovidius Epist. Oenonae:

Me fide conspicuus Trojae munitor amavit.

& Epist. Paridis:

Ilion adspicies; firmataque turribus altis
Moenia, Phoebeae structa canore lyrae.

quod quis fecit, aut condidit, id dicitur ejus *ars*. Virgilius L. 5. Aen.

risit pater optimus olli,
Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.

Ovidius L. 6.

Multa dabant animos: sed enim nec conjugis artes,
Nec genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuere illi, quamvis ea cuncta placebant,
Ut sua progenies.

Niobe istic appellat *conjugis artes* urbem Thebarum, quam vir suus Amphion lyrae canore construxerat, ut Trojam Apollo. quod noster paullo apertius L. 1. Eleg. 9.

Atque Amphioniae moenia flere lyrae.

Papinius L. 11. Theb.

O furor, o homines, dirique Prometheee artes,
Quam bene post Pyrrham tellus pontusque vacarent!

40. DANAUM DECIMO VERE] syllaba ultima vocis primae absorpsit primam sequentis: nam certe ratio temporis postulat *undecimo*. quod notius est, quam ut debeat operose probari. bene autem dixit *vere*. nam veris initio a Troade solverunt Graji victores. Servius ad L. 11. Aen. ℣. 259. *scit triste Minervae Sidus*] *he vera constat Graecos tempestate laborasse aequinoctio vernali, quando manubiae Minervales, id est fulmina, tempestates gravissimas commovent. unde perite dicendo SIDVS, utrumque complexus est. nam SIDVS & tempestatem significat, & re vera sidus. Haec autem numina, quae inter sidera non videmus, licet sua signa propria non habeant, cum aliis potestate sunt permista: ut Ophiucus ipse est Aesculapii: Gemini, Apollinis & Herculis esse dicuntur: sic Minervae Aries esse dignoscitur.*

42. VICTOR PALLADIAE LIGNEUS ARTIS EQUUS] putant adludi locum Virgilii L. 2. Aen.

Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant.

sed falluntur, qui ita putant. legendum est *arcis*: idque verum esse evincet ipse Virgilius, libro laudato:

Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae,
Et molem mirantur equi: primusque Thymoetes
Duci intra muros hortatur, & arce locari.

id quum impedisset Laocoon infelix, mox a duobus anguibus enectus una cum geminis filiis poenas dedit pii consilii, quia jam Trojae sic fata ferebant. cives autem ceteri, attoniti pavore monstrorum,

scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt; sacrum qui cuspide robur
Laeserit, & tergo sceleratam intorserit hastam,
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque Divae
Numina conclamant.

quod & factum magno molimine, narrante istic Aenea, & addente:

Instamus tamen inmemores caecique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.

unde post paullo descendentes Graji urbem ipsam invaserunt. Deiphobus de conjuge sua Helena, L. 6. Aen.

Illa chorum simulans, evantis orgia circum
Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.

recte itaque dicitur equus ille *victor arcis Palladiae*. legesis Demodoci cantilenam apud Homerum, sub finem L. 8. Odyss. & Hyginum cap. 108. Parisinus interpres illustri lumine perfudit hunc versiculum: *Equus abiegnus artis Palladiae victor*. id qui capit, non opus habet mea correctione.

44. PURE POETA] omnes omnium libri scripti

Haec curent pueri, haec curent scripta puellae,
  Meque Deum clament, & mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam, caeloque minantem
  Coeum, & Phlegraeis Oromedonta jugis:
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
  Ordiar, & caeso moenia firma Remo:
Eductosque pares silvestri ex ubere reges.
  Crescet & ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar & currus utroque ab litore ovantes,
  Parthorum astutae tela remissa fugae:
Claustraque Pelusi Romano subruta ferro,
  Antonique graves in sua fata manus.

Mol-

scripti habent, *dure poëta*; etiam ii, quibus Beroaldus usus fuit, ac Scaliger. illius est τὸ *Coë*, quod vulgatas jam olim insedit: hujus τὸ *pure*. sed legendum *Dore*, mutato *u* in *o*, ut recte atque eleganter observavit ingeniosissimus Petrus Scriverius Animadvers. in librum Spectaculorum, qui Martiali solet praefigi, Epigr. 31. *Dorus* autem est *Dorius*, vel *Doricus*. cujus metaplasmi insignia istic exempla. ceterum de commutatione literarum *o* & *u*, non est cur multa loquamur. obvia sunt passim exempla. Tamen haec observatiuncula, ut ut tenuis, neglecta in fraudem duxit viros alia excellentes. apud Valer. Flaccum locus est a multis vexatus, nullo suo merito, L. 2. Argon. ỳ. 573.

manet inmoris nox Dorica lustris,
Et genus Aeneadum, & Trojae melioris honores.

eum locum exponens Angelus Politianus, homo insigniter eruditus, Miscellaneorum Cap. 5, dicit se vidisse ac legisse in codice pervetere Taddaei Ugoleti *nox durica*. itaque maluit ad equum illum durateum Epei deflectere, quam cum libris vulgatis agnoscere τὸ *Dorica*. in qua voce vera mens est cultissimi poetae. nec tamen fallebat codex ille perveius: siquidem *durica* idem istic erat, quod vulgarium *Dorica*.

47. COELOQUE MINANTEM COEUM] in nostro secundo est *minacem*, quod ferri poterat. Horatius L. 2. Od. 12.

ductaque per vias
Regum colla minacium.

& L. 3. Od. 4.

Sed quid Typhoeus, & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu?

Coeus iste unus fuit eorum, qui contra Jovem steterunt; ideo apud inferos aeternis catenis religatus. Valerius Flaccus L. 3. ỳ. 224.

fundo veluti cum Coeus in imo,
Vincla Jovis, fractoque trahens adamante catenas,
Saturnum Tityonque vocat; spemque aetheris amens
Concipit: ast illum fluviis & nocte remensa
Eumenidum canis, & sparsae juba reppulit hydrae.

de ejus die natali insignis locus est Virgilii L. 1. Geor. ỳ. 279.

Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenidesque satae. tum partu Terra nefando
Coeumque Iapetumque creat, saevumque Typhoëa,
Et conjuratos coelum rescindere fratres.

perperam hunc nostri locum Ovidio dedit Lampertus Alardus, exscribens Scholia Valeriana Ludovici Carrionis; qui tamen Propertium diserte nominarat.

48. OROMEDONTA] ab hoc gigante nomen traxisse montem excelsum in insula Co, tradit eruditissimus Casaubonus Lection. Theocrit. C. 6. restat tamen ut amplius inquiratur: neque enim fuisse ignobilem, vel ex hoc uno loco palam est.

55. CASTRAQUE PELUSI] acuta est & capitalis

Mollia tu coeptae fautor cape lora juventae,
Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis: & a te est
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

pitalis Jani Melleri Palmerii emendatio, *Claustraque Pelusi.* quae tamen ipsa apud Lipsium legitur Com. in L. 2. Annal. Taciti C. 59. *Equitibus Romanis illustribus sepofuit* [Augustus] *Aegyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustra terrae ac maris, quamvis levi praesidio adversus ingentes exercitus insedisset.* A. Hirtius lib. de bel. Alexandr. C. 26. *tota Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio, velut claustris, munita existimatur.* Lucanus L. 10.

Tunc claustrum Pelagi cepit Pharon. insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Proteos: at nunc est Pellaeis proxima muris.

Valerius Flaccus L. 5.

Illum, post acies rubrique novissima claustra
Aequoris, hic resides thiasos, hic aera moventem,
Udaque pampinea nectentem cornua vitta,
Nunc etiam meministis, aquae.

& paullo post, ubi de Amazone:

Cum redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
Massageten Medumque trahens.

Florus L. 2. C. 7: *Flaminino duce invios antea Chaonum montes, Aoumque amnem per abrupta cadentem, id est, ipsa Macedoniae claustra penetravimus.* & Cicero Corinthum positu suo *claustra locorum Graeciae tenere* dixit Agrar. 2. C. 32. ita Symplegadas *maris claustra* vocat Seneca Med. ℣. 342.

cum duo montes,
Claustra profundi, hinc atque illinc
Subito impulsu velut aetherio
Gemerent sonitu.

57. MOLLIS TU COEPTAE FAUTOR CAPE LORA JUVENTAE] quis adeo mentis inops, aut Latini sermonis expers, ut patronum munificum ac benignum vocare sustineat *fautorem mollem?* concedamus id librariis, qui fortasse fando aliquid inaudiverant, taxari aliquando a L. Seneca mollitiem Maecenatis. unde & credere potuerint, cognomen ei adhaesisse *mollis.* quo modo ex ipsomet poeta *nautam* fecerant. mihi non est dubium, fuisse ab auctoris manu & calamo, *molha.* multoties errorem istum erratunt indocti homines, ut extrita vocali vocis ultima, intrusefrint inficetum fuum atque illepidum *s.* sic L. 2. Eleg. 25. habuimus,

Tristia ad Archemori funera victor equus.

lucumones isti scripserant *tristis.* altera abhinc Elegia legitur,

Conjugis obscoeni pretium Romana poposcit Moenia.

ubi *conjugii* legendum esse, haud vana conjectura ostenderunt viri docti. Ovidius in Ibin:

Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino.

olim *infantis* legebatur. Pedo Albinovanus in obitum Maecenatis:

Militis Eoi fugientia terga secutus.

& hic scripserant *fugientis.* tale quid ut in Marone ne fieret, cavit Servii industria, L. 8. Aen.

Aetherii spectant orientia solis Lumina.

pro (inquit) *orientis solis lumina.* plurima hujus generis menda etiam nunc deturpant non unum poëtam. *mollia* autem *lora,* ut in eadem re *mollia prata* dixit supra Eleg. 2.

Mollia sunt parvis prata terenda rotis.

& *mollia fata* L. 1. Eleg. 7.

Sint modo fata tuis mollia carminibus.

jussa haud mollia, Virgilius L. 3. Georg.

Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Maecenas, haud mollia jussa.

& L. 9. Aen.

aërium coelo nam Jupiter Irim
Demisit, germanae haud mollia jussa ferentem.

id autem deprecatur noster, ac Maecenatem orat ut liceat sibi deductum dicere carmen, quale scilicet conveniens erat aetati tenerae, cui ludum dare optat.

VIII.

VIII.

MIrabar quidnam misissent mane Camoenae,
Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostrae signum misere puellae,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
Ponat & in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobae lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis:
Increpet absumtum nec sua mater Ityn.

Tu-

1. QUIDNAM MISISSENT MANE CAMOENAE] *jussissent*, quod maluerunt quidam, auctori suo Antonio Volsco libens redono. Nic. Heinsius Not. ad Claudian. Epithal. Pall. & Celer. ℣. 56, scribit, *visissent*; uti & versu tertio,

Natalis nostrae signum visere puellae.

in primo si quid mutandum, potior mihi fuerit Passeratii ac Livineji conjectura, *risissent*. quod non male cum plausu manuum facit. Sed *signum mittere*, est, signum dare. quare sustinebo adsensum, donec prodierint dudum promissae in nostrum poëtam Notae Viri summi, quem certus sum nihil in hoc literaturae genere tentasse sine bonis rationibus. Eas vero brevi, ut auguror, debebit orbis eruditus beneficio Caroli Crucii, Viri Amplissimi, quem honoris caussa nomino, atque amicitiae. interim moneo, in omnibus libris scriptis inveniri lectionem vulgo receptam; ne uno quidem aliorsum eunte.

2. ANTE MEUM STANTES SOLE RUBENTE TORUM] magnus Heinsius loco laudato, reponit *sole oriente*. sed & hic sustinebo. expendamus interea si τὸ *rubente* defendi queat, auctore Claudiano in Prob. & Olyb. Cons.

Sol, qui flammiferis mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia saecula motu,
Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandius elato rubeant temone jugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem.

& Marone L. 7. Aen.

Jamque rubescebat radiis mare, & aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

ac Lucano (ne infinitam sumamus operam) L. 2.

jam Phoebum urgere monebat
Non idem Eoi color aetheris, albaque nondum
Lux rubet, & flammas propioribus eripit astris.

8. ET NIOBAE LACRIMAS SUPPRIMAT IPSE LAPIS] haec est lectio libri Groningani, quam nolim sollicitari. auctor est Callimachus, Hymno in Apollinem, Thetidem, etsi miseram matrem atque orbam, non plorare amissum Achillem quoties *Io Paean, Io Paean*, audiverit: Nioben quoque in lacrimosum saxum induratam, intermittere tum aeternos suos dolores. id noster urbanissime transtulit ad natalem suae Cynthiae. de vocabulo *lapis* vide notata ad Callimachum illustri Spanhemio p. 60. 61.

10. INCREPET ABSUMTUM NEC SUA MATER ITYN] Procnen intellige, sive hirundinem, inamabile trinsantem. eam fabellam aliter atque aliter apud veteres narrari non ignoro: sed nunc luscinia locum hic habere nullum potest. pulc e poëta praestantissimus Petrus Angelius Bargaeus, de hirundine quae pullos suos strangulaverat:

Proh scelus infandum! quis jam te, barbara Progne,
Credat Ityn manibus non lacerasse tuis?

Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
  Surge, & poscentes justa precare Deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
  Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein qua pridem oculos cepisti veste Properti,
  Indue; nec vacuum flore relinque caput.

Et

11. FELICIBUS EDITA PENNIS] volunt τὸ *pennis* hic poni pro avibus, notante primum Gulielmo Cantero L. 6. Novar. Lect. C. 12. mihi secus videtur, & positum ajo pro avium volatu. unde auguria atque omina captasse priscos scimus. Cicero L. 1. de Divinat. C. 1. *Cilicum autem, & Pisidarum gens; & his finitima Pamphilia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus avium, cantibusque, certissimis signis, declarari res futuras putant.* Virgilius L. 3. Aen.

Trojugena interpres Divûm, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & praepetis omina pennae.

Valerius Flaccus L. 1.

contra Phoebeïus Idmon,
Cui genitor tribuit monitu praenoscere Divûm
Omina, seu flammas, seu lubrica cominus exta,
Seu plenum tertiis interroget aëra pennis.

Papinius *alas* vocat, apto ad mentem nostri vocabulo, L. 3. Theb.

Jupiter omnipotens, nam te pernicibus alis
Addere consilium, volucresque implere futuri,
Ominaque & caussas coelo deferre latentes
Accipimus.

Servius ad L. 1. Aen. ỳ. 397. *in auguriis considerandae sunt non solum aves, sed etiam volatus.* commode jam olim distinxerat Ovidius L. 1. Fastor.

Sed nihil ista juvant: quia linguae crimen habetis,
Diique putant mentes vos aperire suas.
Nec tamen id falsum. nam, Diis ut proxima quaeque,
Nunc penna veras, nunc datis ore, notas.

Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 19. *Et Plotinus quidem in libro, qui inscribitur* SI FACIUNT ASTRA, *pronuntiat nihil vi vel potestate eorum hominibus evenire; sed ea, quae decreti necessitas in singulos sancit, ita per horum septem transitum statione recessuve menstrari, ut aves seu praetervolando seu stando futura pennis vel voce significant nescientes.* vide sis Festum in *Alites*, itemque in *Oscines.* apud nostrum de prioribus istis sermo est: haud quaquam de pennis Cupidinis. quod miror quomodo Passeratio in mentem venire potuerit.

13. AC PRIMUM PURA SOMNUM TIBI DISCUTE LYMPHA] proprium in ea re verbum *discutere.* noster L. 2. Eleg. 20.

Quum mihi discussit talia visa metus.

Lactantius de Mort. persecut. C. 46. *Discusso deinde somno, notarium jussit acciri, & sicut audierat, haec verba dictavit.* Minucius Felix: *cum discussa caligine, de tenebrarum profundo in lucem sapientiae & veritatis emergerem, non respuit comitem, sed, quod est gloriosius, praecucurrit.* Boëthius L. 1. de Consol. Philos.

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebrae,
Luminibusque prior rediit vigor.

Apulejus L. 2. Metam. *Ut primum nocte discussa Sol novus diem fecit, & somno simul emersus & lectulo,* &c. idem L. 11. *Confestim discussa pigra quiete, alacer exsurgo, meque protinus, purificandi studio, marino lavacro trado.*

15. DEIN QUA PRIMUM OCULOS CEPISTI VESTE PROPERTI] altero abhinc versu τὸ *primum* habuimus, quod segniter & odiose hic repetitur. noli dubitare, quin scriptum fuerit *pridem.* sic L. 2. Eleg. 7.

Eripitur nobis jam pridem cara puella.

in fraudem duxit nasutos librarios initium libri 1.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

vestis ea fuit tunica ostrina. meminit ipse L. 2. Eleg. 22.

Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis:
  Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
  Luxerit & tota flamma secunda domo:
Sit mensae ratio, noxque inter pocula currat,
  Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
  Et sint nequitiae libera verba tuae.
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos.
  Publica vicinae perstrepat ora viae.

Sit

Obstupui. non illa mihi formosior umquam
Visa, neque ostrina quum fluit in tunica.

in secundo nostro est *dehinc*, pro *dein*.

18. INQUE MEUM SEMPER STENT TUA REGNA CAPUT] noster primus *stent tibi regna*, minus recte. infra L. 4. Eleg. 7.

Longa mea in libris regna fuere tuis.

20. LUXERIT &c.] Seneca Oedip. ℣. 309. sqq.

22. ET CROCINO NARES MURRHEUS UNGAT ONYX] *crocinum* unguentum non est idem cum *crocomagmate*, quod Passeratius putabat, deceptus prava scriptura apud Plinium L. 21. C. 22. ubi nunc recte legitur, praeeunte Salmasio Exercit. p. 108. *Faex quoque expressi unguento crocino, quod crocomagma appellant, habet suas utilitates contra suffusiones oculorum.* emendavit locum & Jo. Harduinus, sed tacito Salmasio. & tamen jam ante duo saecula occupaverat Marcellus Vergilius Annot. in Dioscorid. L. 1. C. 26. *Onyx* (inquit Acro in Horat. L. 4. Od. 12.) *metallum gemmae simile. de hoc ad unguenta odorata parva fiebant vasa.* rectissime lapidem onychem distinguit ab onyche gemma. Plinius L. 36. C. 8. *hunc* [onychem] *aliqui lapidem alabastritem vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur.* quare vero *murrheum*, sive *myrrheum* noster vocaverit, admodum mirifice Beroaldus ac Passeratius exposuerunt. quibus ego non insultabo. dicitur *myrrheus* a colore flavo, qui in hoc lapide laudatissimus perhibetur. Plinius L. 36. C. 8. *Probatur quam maxime mellei coloris, in verticem maculosi atque non translucidi.* myrrha autem probatissima talem habet colorem. inde *fulvam* Ovidius vocat L. 15. Metam.

Quo simul ac casias, & nardi lenis aristas,
Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha.

talemque describit Plinius L. 12. C. 16. *in plenum autem probatio est minutis glebis, nec rotundis, in concretu albicantis succi & tabescentis, utque fracta candidos ungues habeat.*

25. [DULCIAQUE INGRATOS ADIMANT CONVIVIA SOMNOS] capitalis ille Hispanus, qui Petronium insigni opera illustravit, τὸ *ingratos* nostri interpretatur *coactos & quodamodo necessarios*, p. 67. haud vidi magis. semper ingratus est somnus atque intempestivus inter convivia: neque ulli homines liberalius ridentur, quam qui istic obdormiscunt. eratque hoc ipsum, quod narrabat Petronius: *vino Falerno inundamur, excepti etiam pluribus ferculis, quum laberemur in somnum.* —— *Quum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa, quae injuria depulsa fuerat, ancilla totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra humerosque sopionibus pinxit.* Suetonius Claud. C. 8. *quoties post cibum obdormisceret, quod ei fere accidebat, olearum ac palmularum ossibus incessebatur: interdum ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis. Solebant & manibus stertentis socci induci, ut repente expergefactus faciem sibi confricaret.* apud Horatium Nereus L. 1. Od. 15.

Ingrato celeres obruit otio.
Ventos.

25. CONVIVIA] mensae rationem jam ante habuit. itaque nihil huc faciunt *convivia*.

credo

Sit sors & nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Quum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus:
Annua solvamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

credo scriptum a poëta *convicia*, h. e. cantus amoebaeos juvenum ac puellarum; quales ferme in nuptiis fuerunt Fescennini. ideo *dulcia* vocat *convicia*, sicut *festa* Tragicus Romanus Med. ỳ. 113.

Festa dicax fundat convicia Fescenninus.

v. Horat. II. Epist. 1. ỳ. 145. Certe de cantu agi, clarissime ostendit pentameter proxime sequens, Favet etiam ipse noster versu praecedente,

Et sint nequitiae libera verba tuae.

nimirum ut Cynthia, mensae praeses, ad verborum licentiam ceteros convivas exemplo suo provocaret. Dicteria autem & joci inprobiores *convicia* dicebantur, nec non cantilenae prurientes. Papinius L. 5. Silv. 5. ỳ. 66.

Non ego mercatus Pharia de pube loquaces
Delicias, doctumve sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul salibusque protervum
Dilexi.

quae *convicia* tetigit quoque L. 2. Silv. 1. ỳ. 74.

Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compositosque sales, meditataque verba locutus,
Quaesisti lascivus herum.

pulcre Petronius: *Ut intellexit Chrysis, me perlegisse totum convicium: Solent, inquit, haec fieri*, &c. vide istic epistolam Circae. haec enim epistola *convicium* vocatur. Pulcre ad rem nostram Macrobius VII. Saturn. 3. p. 483.

26. PUBLICA VICINAE PERSTREPAT AURA VIAE] in sex libris *aura* legitur; in duobus Regiis *ara*. atque hoc Passeratio placuit. melius ac verius *ora* rescripsit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 12. Metam. ỳ. 430. de quo nec ambigendum. certe *ara* quid huc faciat, non video. Cicero pro Roscio Amer. C. 46. *animi & aurium caussa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, & nervorum, & tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas personet.*

28. QUEM GRAVIBUS PENNIS VERBERET ILLE PUER] illustris translatio a dimicatione avium generosarum. Laevinus Torrentius hunc locum laudans ad Horat. L. 1. Od. 27. *torqueat* scripsit, pro *verberet*, perspicuo errore memoriae.

32. NATALISQUE TUI SIC PERAGAMUS ITER] Groninganus habet *ter peragamus*. quam infulsam lectionem spurcidica interpretatione fulcire conatus est Passeratius. *peragere iter natalis* valet, celebrare diem natalem, quam longus est. vide sis notam ad L. 2. Eleg. 24. ỳ. 22. *iter* autem *natalis* dicitur, ut *iter lucis*, *iter mortis*, *iter vitae*. noster infra Eleg. 18.

Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.

& supra Eleg. 5.

Per te inmaturum mortis adimus iter.

Minucius Felix: *ut qui viam terit, eo felicior, quo levior incedit: ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat.* & alibi idem ille castissimus scriptor: *Fortunae male creditur, & magno viatico breve vitae iter non instruitur, sed oneratur.* Ausonius Idyll. 15.

Quod vitae sectabor iter?

IX.

QUid mirare, meam ſi verſat femina vitam,
  Et trahit addictum ſub ſua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
  Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius praeſagit navita noctem:
  Vulneribus didicit miles habere modum.

Iſta

1. VERSAT FEMINA VITAM] gravi verbo eſt uſus atque inmiti. Plautus Ciſtell. Act. 1 Sc. 1.

Inde in amicitiam inſinuavit cum matre & mecum ſimul,
Blanditiis, muneribus, donis. GY. *mihi iſtum hominem vellem dari,*
Vt ego illum vorſarem!

Virgilius Eclog. 9.

Nunc victi, triſtes, quoniam Fert omnia verſat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hoedos.

Hortorum Eſquilinorum cuſtos apud Horatium L. 1. Sat. 8.

Quum mihi non tantum fureſque, feraeque ſuetae
Hunc vexare locum, curae ſunt, atque labori:
Quantum, carminibus quae verſant atque venenis
Humanos animos.

noſter Aurelius L. 1. Eleg. 14.

Et miſerum toto juvenem verſare cubili.

Catullus LXI. 80.

Quis anguſta malis quum moenia verſarentur.

ita enim iſtic loci habent codices Achillis Statii.

3. CRIMINAQUE IGNAVI CAPITIS] in duobus Gebhardi erat *Carminaque.* ſed vulgatam defendit ipſe Propertius L. 1. Eleg. 12.

Quid mihi deſidiae non ceſſas fingere crimen?

5. VENTURAM MELIUS PRAESAGIT NAVITA MORTEM] miror eorum pertinaciam, qui lectionem non nauci, *mortem*, tam ſtudioſe fovent. jam plus quam duo ſunt ſaecula, poſtquam monuit Beroaldus in priſcis codicibus legi *noctem*, id eſt, tempeſtatem, ſive hiemem, ut poetae loquuntur, quam peritus nauta non difficulter e coeli facie praeſagit, ſaepe eam expertus nimirum, non autem ſaepe mortuus. *nox* pro tempeſtate L. Attius dixit Prometheo:

Titanum ſoboles, ſocia noſtri ſanguinis,
Generata Coelo, adſpicite religatum aſperis
Vinctumque ſaxis; navem ut horriſono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitae.

pulcre Lucretius L. 4.

modo quom fuerit liquidiſſima coeli
Tempeſtas, perquam ſubito fit turbida foede
Undique, uti tenebras omneis Acherunta rearis
Liquiſſe, & magnas coeli compleſſe cavernas.
Uſque adeo taetra nimborum nocte coorta
Inpendent atrae formidinis ora ſuperne.

Virgilio quoque frequens vox eſt. ecce locum adprime huc facientem L. 3. Aen.

Tum mihi caeruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens; & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque ſurgunt
Aequora. diſperſi jactamur gurgite vaſto.
Involvere diem nimbi, & nox humida coelum
Abſtulit. ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur curſu, & caecis erramus in undis.

& alterum L. 1.

Eripiunt ſubito nubes coelumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.

videre autem omnino debes initium L. 5. diviniſſimi operis. Crebrae ſunt apud bonos ſcri-

Ista ego praeterita jactavi verba juventa:
 Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
 Egit, & armigera praelia sevit humo:
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
 Iret ut Aesonias aurea lana domos.

Ausa

scriptores hae tralationes a rebus maritimis desumtae. Cicero orat. pro Sextio C. 9. *qui non modo tempestatem impendentem intueri temulentus, sed ne lucem quidem insolitam adspicere posset.* C. 34. *magna rerum permutatione impendente, declinasse me paullulum, & spe reliquae tranquillitatis praesentes fluctus tempestatemque fugisse.*

6. MILES HABERE METUM] miles pessime commendatur a metu. mihi certum est, a poëtae manu fuisse *habere modum.* elementa *t* & *d* millies inter se commutant; nec minus *e* atque *o.* *habere* autem *modum* Latinissime dicitur. noster L. 2. Eleg. 12.

Verus amor nullum novit habere modum.

Plautus Curcul. 2, 3, 21. *ita nunc mos viget, ita nunc servitium est: profecto modus haberi non potest.*

Horatius L. 2. Sat. 3.

e here, quae res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult.

Cicero L. 2. de Finib. *Ergo & avarus erit, sed finite: & adulter, verum habebit modum: & luxuriosus, eodem modo.* Terentius Andr. Act. 1. Sc. 1.

Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi,
Neque commovetur animus in ea re tamen,
Scias posse habere jam ipsum suae vitae modum.

itaque sensus erit: Miles pugnarum vetus, & saepe vulneratus, didicit ardoris sui modum habere, cautiusque pugnare quam fecerat tiro, neque periculis quibusvis objicere injussum caput. ad rem summus imperatorum Caesar L. 3. B. C. cap. 93. *nostri milites, dato signo, cum infestis pilis procucurrissent, atque animadvertissent non concurri a Pompejanis, usu periti, ac superioribus pugnis exercitati, sua sponte cursum represserunt.* h. e. ardoris sui habuerunt modum. quae res neglecta magnae fraudi fuit equitibus Rhemis, Bellovacum peditem cupidius insequentibus. A. Hirtius L. 8. Bel. Gal. C. 11. *nostri detrimento admonentur, diligentius exploratis locis stationes disponere, ac moderatius cedentem insequi hostem.* sapientissime, ut omnia, M. Tullius L. 1. de Off. C. 24. *Numquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine caussa: quo nihil potest esse stultius.*

10. ARMIGERA PRAELIA SEVIT HUMO] Livinejus conjiciebat *armifera*; quod tamen eodem redit, ac tantumdem valet. nam *gerere* & *ferre* promiscue usurpantur. ita noster Parnasum vocat *laurigerum* Eleg. 11. quum altero verbo utatur Plinius L. 15. C. 30. *spectatissima in monte Parnaso* [laurus]: *ideoque etiam grata Apollini, adsuetis eo dona mittere jam & regibus Romanis, teste L. Bruto. Fortassis etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruisset, lauriferam tellurem illam osculatus ex responso.* Virgilius L. 2. Georg.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos.

Papinius L. 9. Theb.

armigerum ni protinus, improba, campum
Deseris, huic aequam nosces nec Pallada dextrae.

praelia serere non probat Barthius ad Papin. T. 2. p. 11. verba sunt Martis ad Dianam. *sevit praelia* eleganter dixit. & ad eam faciem Plinius Panegyr. C. 12: *qui sciant te adsedisse ferocissimis populis, eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis: cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.* & Florus L. 4. C. 12. *Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non posset ascendere.*

12. IRET UT AESONIAS AUREA LANA DOMOS] nihil hac fabula decantatius. si tamen aliquid ultra vulgares naenias scire desideras,

ras,

Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
  Maeotis Danaum Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
  Vicit victorem candida forma virum.
Omphale in tantum formae processit honorem,
  Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut qui pacato statuisset in orbe columnas,
  Tam dura traheret mollia pensa manu.

Per-

ras, adi Hadrianum nostrum Junium L. 5. Animad. C. 12. Petr. Bellonium L. 1. Observ. C. 52. Mart. Ant. Delrium Comment. in Senecae Medeam ℣. 365. & If. Vossium Observ. in Catull. p. 190.

13. QUONDAM OPPUGNARE SAGITTIS] *contra oppugnare*, noster secundus, & unus Colbertinus. quam ego lectionem non insuper habendam reor. Graeci oppugnabant urbem Trojanam: Penthesilea ut vicem redderet, injectis sagittis oppugnabat naves Graecorum. vide Cointum Smyrnaeum Paralip. L. 1.

14. MAEOTIS] omnes fere libri habent *injectis*; nisi quod in Regiis, & in margine alterius Colbertini legitur *Maeotis*. vere, atque adeo Propertiane.

15. AUREA CUI POSTQUAM NUDAVIT CASSIDA FRONTEM] Sosipater Charisius L. 1. *Cassidem dicimus nos ab eo quod est cassis: sed multi cassida dicunt, ut Propertius, Aurea cui postquam*, &c. *& Virgilius, aurea vati Cassida*. is locus legitur L. 11. inmortalis operis ℣. 775.

16. VICIT VICTOREM CANDIDA FORMA VIRUM] mirum unde hoc hauserit noster. Hyginus quidem ab Achille interfectam commemorat Penthesileam, Fab. 112. Ptolemaeus autem Hephaestio, apud Photium, auctor est, occisum a Penthesilea Achillem, Thetidis matris precibus in vitam revocatum, & Penthesilea interemta rursum ad Orcum rediisse. nulla hic amoris mentio. Sed juvare aliquid videri potest Servius, ad L. 1. Aen. ℣. 494. PENTHESILEA, inquiens, *Martis & Otreres filia fuit, quam Achilles cum adversum se pugnantem peremisset, post mortem ejus adamavit, eamque honorifice sepelivit*. tum ad L. 2. ℣. 661. *seu cum se Martia curru Penthesilea refert*] MARTIA. *aut bellicosa, aut Martis filia; quae ab Achille occisa, ac mortua adamata est. ut nonnulli vero adserunt, cum Achille concubuit, & ex eo Caystrum filium edidit, a quo flumen Lydiae ita appellatur*. Cointus autem Smyrnaeus Paralip. L. 1, pulcerrimis versibus ejus cum Achille certamen describens, primo quidem vulneratam ait supra papillam dexteram, deinde etiam transfixam hasta una cum ipso equo, cui insidebat. mortuae galeam lucentem quum detraheret Achilles, adeo obstupuit egregio formosissimi vultus decóre, ut gravissime animo excruciaretur, quod eam necasset, ac non potius divinitus oblatam uxorem duxisset. cadaver quoque & arma & equum reddiderunt Atridae petenti Priamo; qui eam cum equo & armis crematam intulit in monumentum Laomedontis. noster contra indicare videtur, Achillem eam in pugna victam captamque deinde in deliciis atque in amoribus habuisse. Lucius vero Septimius, satis ferociter ab Achille occisam quum narrasset, L. 4. C. 3. addit: *Placitum omnibus, uti, quoniam naturae sexusque conditionem superare ausa esset, in fluvium, reliquo adhuc ad persentiendum spiritu, aut canibus dilanianda jaceretur. Achilles interfectam eam sepelire cupiens, mox a Diomede prohibitus est. Is namque percontatus circumstantes, quidnam de ea faciendum esset, consensu omnium pedibus attractam in Scamandrum praecipitat; scilicet poena postremae desperationis atque amentiae.* adeo frustra in fabulis ullam quaeras constantiam.

16. VICIT] Ovidius Epist. Deïanir. ℣. 2. l'Ariosto XIV. del Furioso 52.

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
  Ut solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in adversum immissi per moenia currus,
  Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit & Eufratem medium, qua condidit arces,
  Jussit & imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimine divos?
  Jupiter infamat seque suamque domum.
Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis,
  Et famulos inter femina trita suos,
Conjugii obscaeni precium Romana poposcit
  Moenia, & addictos in sua regna patres.

Noxiæ

21. STATUIT BABYLONA SEMIRAMIS] Mela L. 1. C. 2. de Syria: *Olim, ac diu potens: sed cum eam regno Semiramis tenuit, longe potentissima. Operibus certe ejus, insignia multa sunt: duo maxime excellunt: constituta urbs mirae magnitudinis Babylon, ac siccis olim regionibus Euphrates & Tigris immissi*, etiam haec duo noster potissimum commemoranda duxit.

23. ET DUO IN ADVERSUM MISIT PER MOENIA CURRUS] Gebhardi codices, cum uno nostro, ac Borrichiano & Groningano, *missi* habent. scripserat omnino poëta *immissi*, cujus vocis primam syllabam absorpsit ultima τοῦ *adversum*. frequens id in libris, & quotidianum. Vide sis Jo. Pierium Valerianum Castig. in L. 4. Aen. ℣. 669. Cicero orat. de Harusp. respons. C. 22. *nisi exercitum C. Caesaris, in quo fallebat, sed eum nemo redarguebat, nisi eum, inquam, exercitum signis infestis in curiam se immissurum minitaretur.* in re curuli noster usus est supra Eleg. 7. ℣. 58. Galba ad Cicer. L. 10. ad famil. Epist. 30. *repente equum immisi ad eam legionem tironum, quae veniebat ex castris.* Hinc ad ignem transtulit Maro L. 5. Aen.

Furit immissis Volcanus habenis
Transtra per & remos, & pictas abiete puppis.

ad aquam Albinovanus:

Vade, age, & immissis labere pronus aquis.

27. NAM QUID EGO HEROAS] elegans formula loquendi. Cicero orat. de Harusp. respons. C. 12. *Nam quid ego de illis ludis loquar; quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Matris Magnae conspectu fieri celebrarique voluerunt?* C. 19. *Nam quid ego de P. Sulpicio loquar?* &c.

27. QUID RAPTEM IN CRIMINA DIVOS] libri meliores legunt, *in crimine*; quod Palmerius e Posthiano observaverat. adi notam ad Eleg. 7. ℣. 50, libri secundi.

28. JUPITER INFAMAT SEQUE SUAMQUE DOMUM] eleganter Lactantius in aureo libello de mortibus persecutorum, cap. 9. *Exinde insolentissime agere coepit,* [Maximianus] *ut ex Marte se procreatum & videri & dici vellet, tamquam alterum Romulum; maluitque Romulam matrem, stupro infamare, ut ipse Diis oriundus videretur.*

29. QUAE NOSTRIS OPPROBRIA VEXERIT ARMIS] in nostro secundo, inque Groningano, est *vexerat*; quod probo, ita exigente sensu.

31. CONJUGIS OBSCAENI PRETIUM ROMANA POPOSCIT MOENIA] Florus L. 4. C. 2. *Haec mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petiit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus.* ex hoc loco Flori nuper Andreas Dacerius, Not. in Horat. L. 1. Od. 37, collegit, emendandum esse in Propertio, *Conjugii obscaeni pretium.* aptissime, ac verissime. Sed ex eopse Flori loco id docuerat jam pridem optimus nostri interpres Joannes Passeratius; atque etiam Philippus Rubenius L. 2. Elect. C. 2. quos fortasse Dacerius non

vi-

Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,

Tres

vidit. Pedo Albinovanus, in obit. Maecen.

Hic modo miles erat, ne posset femina Romam
Dotalem stupri turpis habere sui.

ad eam formam Naso loquitur L. 2. Metam.

Sideraque in coelo stupri mercede recepta
Pellite: ne puro tingatur in aequore pellex.

& Epist. Oenonae:

Nec pretium stupri gemmas aurumve poposci.

& Justinus L. 1. C. 7. *brevi post tempore caedes Candauli nuptiarum pretium fuit.* Cicero pro domo sua C. 9. *nonne, cum ab eo merces tui beneficii pretiumque provinciae meo sanguine tibi esset persolutum, tamen aerarium cum eo partitus es?* Seneca Phoeniss. ỷ. 275.

abjecti necis
Pretium paternae sceptrum, & hec iterum manus
Armavit alias.

idem Oedip. ỷ. 634.

Sed rex cruentus, pretia qui saevae necis
Sceptrum, & nefandos occupat thalamos patris,
Invisa proles.

Octav. ỷ. 132.

Inimica, victrix, imminet thalamis meis;
Odioque nostri flagrat, & pretium stupri
Justae maritum conjugis poscit caput.

recte autem noster *obscaenum conjugium* vocat: nam conjugii nomine culpam praetexebat Antonius in Epistola ad Augustum, cujus nobis particulam Suetonius servavit C. 69. *Quid te mutavit? quod reginam ineo? uxor mea est.* urebat id nomen populum Romanum haud leviter. & vel unus Maro dixerit, Aen. L. 8.

Hinc ope barbarica variisque Antonius armis
Victor ab Aurorae populis, & litore rubro
Aegyptum, viresque Orientis, & ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Aegyptia conjunx.

nimirum matrimonium petere e gente devicta, foedum antiquis visum atque indecorum. & notarunt in Alexandro Macedones sui. Justinus L. 12. C. 10. *Filiam post haec Darii regis, Statiram, in matrimonium recepit: sed & optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, ut communi facto crimen regis levaretur.* notavit & in L. Pisone Tullius orat. post reditum in senatu C. 7. *is me quidem minime, cognoram enim propter Pisonum affinitatem, quamquam longe hunc contagio materna transalpini sanguinis abstulisset, sed vos populumque Romanum rugis supercilioque decepit.*

33. NOXIA ALEXANDRINA] omnes editiones insedit hic error: in libris est *Alexandria*, Passeratio jam monitum. Ei. autem Graecorum nunc in I vertebant Romani, nunc in *E*. tamen in hujus urbis nomine videntur *E* maluisse. v. Abramus in Cicer. orat. P. 1. p. 608. b. edit. major. sic in argenteis denariis M. Aemilii Lepidi, apud Steph. Vin. Pighium, ab uno latere est urbis Alexandrinae facies, cum corona murali turrita, cui subscriptum ALEXANDREA. sic in lapide Neapolitano, apud Gruterum CCCLXXVI. 3.

PROCVR. LVDI. FAMIL
GLAD. CAESARIS. ALEXANDREAE. AD
EGYPTVM.

item in altero DXXV. 2.

T. AVFIDIO. T. F. AN. BALBO
FR. SUO. TR. MIL
ALEXANDRE. AD. AEGYPT
LEG. XXII. AN. XVIIII.

in optimis illis membranis Horatii, quae sunt penes principem in his literis virum, Jo. Geor. Graevium, *Alexandrea* legitur, L. 4. Od. 14. etiam apud Ciceronem sic habet liber Vaticanus eximiae bonitatis, Philipp. 8. C. 8. quam scriptionem esse veterem, locuples testis est Priscianus L. 2. monens tamen, in nominibus urbium talibus variare auctores. quamquam Servius pro *E* regulam quasi perpetuam sancit, ad L. 1. Aen. ỷ. 257. *omnia quae apud Graecos* Ei *diphthongum habent, apud Latinos in* E *productum convertuntur.* Κυθέρεια, *Cytherea:*

Ai-

Tres ubi Pompejo detraxit arena triumphos.
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
Issent Phlegraeo melius tibi funera campo;
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Una Philippeo sanguine inusta nota,
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;

Ro-

Amlas, *Aenéas*: *Mdua*, *Medéa*. porro Alexandriam cur peculiari titulo *noxiam* vocaverit noster, optime tibi exponet imperator idem & scriptor optimus Julius Caesar L. 3. Bel. Civ. C. 110. cui addere potes commentarium A. Hirtii de bello Alexandrino, passim quidem, tamen vel praecipue C. 24.

35. TRES UBI POMPEIO DETRAXIT ARENA TRIUMPHOS] signanter Vellejus L. 2. C. 40. *Hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, ut primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet: & quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriae suae.*

39. MERETRIX REGINA] argute, ut solet, Plinius L. 9. C. 35. *Haec, cum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix, lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectans*, &c.

40. UNA PHILIPPEO SANGUINE ADUSTA NOTA] bene repositum est a Scaligero *inusta*, etiamsi libris invitis. neque Passeratium hic audio; Maronem potius L. 3. Georg.

Continuoque notas & nomina gentis inurunt.
& Paterculum L. 2. C. 64. *Haec sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inussit notas.* ipsumque illum Tullium Orat. pro Cluent. C. 46. *qui pretio adductus eripueris patriam, fortunas, liberos civi innocenti, is censoriae severitatis nota non inuretur?* Catilin. 1. C. 6. *Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae?* pro P. Sulla C. 31. *Neque enim nunc propulsandae calamitatis suae causa supplex ad vos, judices, confugit: sed ne qua generi ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur.* pro Cn. Plancio C. 12. *Atque haec sunt indicia solida, judices, haec expressa signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis.* de Provinc. Consular. C. 7. de T. Albutio, atque A. Gabinio: *itaque hanc ejus temeritatem senatus supplicatione denegata notavit. Sed fruatur sane hoc solatio: atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni praeter se inusta est, putet esse leviorem.* pro Milon. C. 36. *Nullum umquam, judices, mihi tantum dolorem inuretis; etsi quis potest esse tantus? sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis.* Philipp. 1. C. 13. *maximum autem illud, quod dictaturae nomen sustulisti. haec inusta est a te, a te, inquam, mortuo Caesari nota ad ignominiam sempiternam.* Philipp. 2. C. 46. *Sed ex plurimis malis, quae ab illo reipublicae sunt inusta, hoc tamen boni est.* Philipp. 13. C. 19. *Pergit in mea maledicta, quasi vero ei pulcerrime priora processerint: quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriae sempiternae.* Philipp. 14. C. 3. *quae sunt urbanarum maledicta litium, non inustae belli internicini notae.*

41. AUSA JOVI NOSTRO LATRANTEM OPPONERE ANUBIN] pulcre Minucius Felix, disertissimus scriptor: *Isis perditum filium, cum Cynocephalo suo & calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit: & Isiaci miseri caedunt pectora, & dolorem infelicissimae matris imitantur: mox invento parvulo gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur: nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt.* Gallus Confessor Serm. C. 5. ubi loquitur de transitu maris rubri: *Quod cernentes cultores simiarum, & caniformis Anubis,*

Nep-

Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi;
Foedaque Tarpeio conopea tendere saxo,
Jura dare & statuas inter & arma Mari.
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat,
Si

Neptunum jam supervacue placandum sibi putabant, sic undis in partes divisis. notabis ibi *supervacue* poni pro extra ordinem: more istorum temporum. Anubis cum canino capite omnique apparatu mystico exhibetur apud Janum Jacobum Boissardum Parte 6. Ant. Rom. p. 78. ex pulcerrimo marmore in hortis Julii tertii P. M.

44. BARIDOS ET CONTIS ROSTRA LIBURNA SEQUI] non satis convenit inter eruditos, quae & quales fuerint Barides. ex Herodoti Euterpe, sive L. 2. C. 6. colligas, fuisse quidem magnorum ponderum capaces, sed Nilo dumtaxat arando idoneas. Neque vero abire alio videtur noster, dum Anubin Jovi Romano comparatum insectatur, & conopeum in saxo Tarpejo tendendum, sistrumque Isiacum velut tubam imbellium eunuchorum, tam mordaciter irridet. extenuata omnia, ad infamandam Antonii memoriam. At res ipsa longe aliter se habuit, prodente L. An. Floro L. 4. C. 11. *Nobis quadringentae amplius naves; ducentae non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe a senis in novenos remorum ordinibus: adhoc turribus, atque tabulatis allevatae, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur.* non igitur poterant contis propelli, quod noster invidiose admodum finxit. de *Liburnis* consulendus P. Victorius L. 10. Var. Lect. C. 9. & Lambinus ac Torrentius, nobiles illi Horatii interpretes, ad L. 1. Od. 37. & ad Epod. 1. interim monendus es, minus bene apud Victorium *nostra Liburna* legi, vitio opinor typothetarum. nam omnes libri scripti claris literis exhibent *rostra*.

46. JURA DARE STATUAS] excidit vocula &; legendumque, *Jura dare & statuas.* quod quanto sit alacrius ac vividius, nemo non intelligit. frustra Orbilius aliquis mihi objiciet posteriorem in *dare* produci propter duas sequentes consonas, idque magno exemplorum numero probatum ibit, confusis diversissimarum aetatum auctoritatibus. Non tam veternose deliciabantur Augustaei temporis poëtae. Tu qui aliter censes,

Nolo irascaris, libere si dixero:
Phoebo est irato natus, qui est similis tibi.

48. NOMINE QUEM SIMILI VITA SUPERBA NOTAT] Cicero Philipp. 3. C. 4. *Atque ille Tarquinius, quem majores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius sed superbus habitus est & dictus. quod nos vitium in privatis saepe tulimus, id majores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt.*

48. NOMINE QUEM SIMILI VITA SUPERBA VOCAT] omnes libri habent *notat*, quod rectum est, & jam aliis monitum plus semel. signanter Florus L. 1. C. 7. *Postremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbe ex moribus datum.* & paullo post: *ipse in Senatum caedibus, in omnes superbia, quae crudelitate gravior est bonis, grassatus, quum saevitiam jam domi fatigasset, tandem in hostes conversus est.* Pacatus Paneg. C. 20: *ipsum illum Tarquinium exsecratione postrema hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine praecipitem, avaritia caecum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocaverunt* Superbum, *& putaverunt sufficere convicium.* erat sane convicium, & quidem validum atque efficax: tamen τὸ *notat* apud nostrum simpliciter capiendum est pro nominat, vel pro designat. Ovidius L. 1. Fastor.

Africa victorem de se vocat: alter Isauras,
Aut Cretum domitas testificatur opes.
Hunc Numidae faciunt, illum Messana superbum:
Ille Numantina traxit ab urbe notam.

& L. 2.

Forsitan & quaeras, cur sit locus ille Lupercal;
Quaeve diem tali nomine caussa notet.

Lu-

Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuae Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris:
Et trahere occultum membra soporis iter.

Non

Lucanus L. 5. de Caesare victore:

Addidit & fasces aquilis, & nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna
Moesta nota. nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit?

50. LONGAM AUGUSTO SALVA PRECARE DIEM] in quibusdam libris est *longum*, quod eodem tendit: tamen poëtae *diem* fere notant genere sequiore. cujus rei exempla nihil attinet coacervare.

51. TIMIDI VAGA FLUMINA NILI] pars librorum praeferunt *tumidi*; quod interpretum non nulli retulerunt ad Nili inundationem; alii ad veterem Aegyptiorum superbiam. quid facias istis hominibus, si malunt sequi ductum futilis alicujus librarii, quam bonam mentem ipsius poëtae? qui recte Nilum vocavit *timidum*, i. e. fractum & consternatum post decretoriam cladem apud promontorium Actium. in eadem re *trepida Nili ostia* dixit divinus poëta L. 6. Aen. ubi de Caesare Augusto:

Hujus in adventum jam nunc & Caspia regna
Responsis horrent divum, & Maeotia tellus,
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

clarius etiam L. 8.

Contra autem magno moerentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, & tota veste vocantem
Caeruleum in gremium latebrosaque flumina victos.

idem mendum in eadem voce Statium foedabat olim L. 5. Theb. ℣. 676.

saxo omnis fabula Lemni,
Et pater, & tumidae generis mendacia sacri
Exciderint.

& L. 1. Achill. ℣. 155.

ipsi mihi saepe queruntur
Centauri raptasque domos, abstractaque coram
Armenta, & campis semet fluviisque fugari.
Insidias, & bella parant, tumidique minantur.

nunc utrumque sublatum Barthii sagacitate.

53. BRACHIA SPECTAVI SACRIS ADMORSA COLUBRIS] talem Cleopatrae effigiem in triumpho traduxit Augustus. eleganter Papinius L. 3. Silv. 2.

Duc & ad Aemathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblaeo perfusus nectare durat:
Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno
Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

clarius loquitur Solinus C. 27. *Plures diversaeque aspidum species, verum disparis effectus ad nocendum: dipsas siti interficit: hypnale; quod somno necat, teste etiam Cleopatra, emitur ad mortem. Aliarum virus, quoniam medelas admittit, minus famae meretur.* sed eum nugari, & *hypnalem* esse epitheton aspidis, non speciem, luculenter ostendit CL. Salmasius. interim non satis constat de certo Cleopatrae exitu; veneno periisse constat. memorabile est quod refert Dio, acu comatoria veneno infecta, quod ejus fuerit naturae, ut, sanguine tacto, ilico hominem sine ullo dolore perimeret, sibi brachia pupugisse. quam opinionem secutus est Vir & genere, & literis, & rebus fortiter gestis nobilissimus Janus Douza L. 2. Salinar. Epigr. 13.

--- fidae clam servitio usa ministrae
Saucia crinali brachia punxit acu,
Sed quae somnifero fuerat medicata veneno.
Hinc trahere occultum membra soporis iter.

altera illa receptior de aspide sententia placuit duobus illustribus inter Italos poëtis; Balthasari Castilioni, & Augustino Favorito: quorum utriusque CLEOPATRAM, me indice, non invitus leget, quisquis Romanas Musas merito honore dignatur. ipsa Cleopatrae statua, quam illi celebrarunt,

Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.

Septem

est hodie in *Belvedere.* v. Montfaucon T. I. Diar. Ital. p. 278.

53. Brachia &c.] v. Vigneul-Marville T. I. des Melang. p. 187. 188.

54. Et trahere occultum membra soporis iter] pulcerrima imago rei funestae. *soporem* vocat venenum illud aspidis somniferum, quo occultis viis per venas meante sic quasi somno soluta est regina. ita & medicamenta soporifera vocant optimi scriptores. Corn. Nepos Dion. C. 2. *quo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit. Hoc aeger sumto, ut somno sopitus diem obiit supremum.* Seneca Epist. 83. *licet colligas, nec veneno poto moriturum, nec sopore sumto dormiturum.* & L. 5. de Benef. C. 13. *ita & qui veri beneficii specie fefellit, tam ingratus est, quam veneficus, qui soporem, cum venenum crederet, miscuit.* M. Fabius Declam. 246. *Veneficam dico, quae soporem dedit. unde tibi in hos usus venena?*

55. Non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda,
Dixit et assiduo lingua sepulta mero.]

Interpretes tantum non omnes putant haec fuisse verba Antonii semper ebrii, Non est, o Roma, quare timeas tibi ab Cleopatra, dum quidem tantus civis superest. Atque iste tantus civis quibusdam est Antonius ipse; quibusdam Augustus. Sed quo tandem modo Antonius ita senserit & locutus fuerit de Augusto? ultra historiam sapiunt, qui sic censent. Tu cum Passeratio, & virorum maximo Daniele Heinsio, in minore versu repone, *Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.* Jam omnia habes plana. verba sunt ipsius Propertii, Neque tibi Cleopatra, o Roma, neque ebrius imperator Antonius timendi erant, incolumi Octaviano Augusto, tanto cive. Noli autem mirari, cur Augustum noster *civem* vocet. nihil gratius apud Romanas aures, nihil popularius. Vellejus L. 2. C. 99. *Tribunitiae potestatis consortione aequatus Augusto,* [Tiberius] *civium post unum eminentissimus.* & L. 2. C. 40. ubi describit reditum Pompeji in Italiam: *plerique non sine exercitu venturum in urbem, adfirmabant, & libertati publicae statuturum arbitrio suo modum. Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior civilis tanti imperatoris reditus. omni quippe Brundisii dimisso exercitu, nihil praeter nomen imperatoris retinens, cum privato comitatu in urbem rediit:* de eodem Pompejo Cicero orat. de harusp. respons. C. 18. *homines tibi arma alii in me, alii post in illum invictum civem dederunt.* quinimo Julium ipsum Caesarem Antonius in illa sua miserabili, ut Tullius loquitur, laudatione *civem* vocabat. L. 14. ad Attic. epist. 11. *cum equidem concionem lego, de tanto viro, de clarissimo civi, ferre non queo.* ab his exemplis Claudianus in sextum Cons. Honorii:

Haec sibi cura senum, maturaque comprobat aetas:
Idque inter veteris speciem, praesentis & aulae
Judicat, hunc civem, dominos venisse priores.

Justinus L. 13. C. 1. *Contra Macedones versa vice, non ut civem, ac tantae majestatis regem, verum ut hostem amissum, gaudebant.* *civis* autem appellari Antonius neque poterat, nec volebat: quippe cui, referente Floro, L. 4. C. 11, *aureum in manu baculum; ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis; diadema, adoratio, ut regina rex ipse frueretur.* talis & omnium hominum sacerrimus Caligula. Suetonius C. 49. *Edixit & reverti se, sed iis tantum qui optarent, equestri ordini, & populo. nam se neque civem, neque principem senatui amplius fore.* ubi & haec congeruntur ejusdem monstri, C. 52, *fuisse vestitu, calceatuque, & cetero habitu, neque patrio, neque civili.* plane ut novum agnoscas Antonium. noster porro satis mordaciter *ducis linguam* exagitat, quasi qui tantum minis inanibus & poculis plenis bellum faceret populo Romano. sane & Cicero, prius quam eo ventum foret, *epularum magis rationem habere, quam quidquam mali cogitare,* arbitrabatur L. 14. ad Attic. epist. 3.

Septem urbs alta jugis, toto quae praesidet orbi,
  Femineas timuit territa Marte minas.
Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?
  Et modo Pompeja Bospora capta manu?
Hannibalis spolia? & victi monumenta Siphacis?
  Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes?
Curtius expletis statuit monumenta lacunis:
  Admisso Decius praelia rupit equo.

Co-

57. TOTO QUAE PRAESIDET ORBI] ita membranae, non *toti.* vide Not. ad L. 1. Eleg. 20. ỳ. 35.

58. FEMINEAS TIMUIT TERRITA MARTE MINAS] quod erat indignissimum ferocia ac virtute populi Romani, gentium omnium domitoris. hunc noster colorem duxit de suo Cicerone, orat. pro M. Fontejo C. 11. *tamen esset vobis magnopere providendum, ne quos ita afflictos a vestris patribus majoribusque accepissetis, ut contemnendi essent, eos pertimuisse, & eorum minis & terrore commoti esse videremini.*

59. NUNC UBI SCIPIADAE] huc revocandi erant hi duo versus, qui valde alieno loco legebantur. Poëta insectatur Romanorum inertiam, qui imbellem mulierem expaverint, immemores avitae virtutis, & tot victoriarum de hostibus formidolosissimis reportatarum. eò spectant sequentia exempla. de trajectione etiam Passeratius monuerat. est autem valde patheticum istud, *Nunc ubi Scipiadae classes? ubi signa Camilli?* & quae adduntur deinceps. non aliter ac si omnino evanuerint clarissima fortissimorum virorum facinora, & sint nusquam. pari affectu signatus est lapis apud Gruterum LXXIII. 8. quem cur ille spurium quid resipere pronunciet, ego, qui stupor meus est, non satis adsequor.

FORTUNAE
AUG
OMNIPOTENT
UBI. ERAS
RHAMNU
SIA
UBI. ERAS
QUANTUM. ABFUIT
NE. ROMA. LUGERET
SED. VIVIT. TRAIANUS
VE. TIBI. DECEBALE
MILSS. LEG. VI. ET. XIII. G.
DEVOTIS. CAPITIBUS

61. VICTI MONUMENTA SIPHACIS] mediam in nomine hujus regis pariter extendunt Ovidius, Juvenalis, Silius. quare est quod mireris, corripi post exempla tantorum nominum a Claudiano, lib. de bello Gildonico:

haurire venena
Compulimus dirum Siphacem, fractumque Metello
Traximus immanem Marii sub vincla Jugurtham.

velim te videre considerantissimi Barthii ad eum locum Notam. putat enim legendum *dirum Hannibalem*, ita poscente Historia. & sane vix est credibile, poëtam nobilissimum tanta socordia prosodiam neglexisse. quod soli licet Jacobo Gronovio.

63. CURTIUS EXPLETIS] Minucius Felix: *Testis ludorum offensi Jovis de somnio plebeji hominis iteratio: & Deciorum devotio rata. Testis & Curtius, qui equitis sui vel mole vel onere hiatum profundae voraginis coaequavit.* Plinius L. 15. C. 18. *eadem* [ficus] *fortuito satu vivit in medio foro, qua sidentia imperii fundamenta ostento fatali Curtius maximis bonis, hoc est virtute, ac pietate, ac morte praeclara expleverat.*

64. AT DECIUS MISSO PRAELIA RUPIT EQUO] Scaliger legebat, *Admisso Decius*, ex inversis ac praepostere positis vocibus. optime. Cicero L. 2. de Finib. C. 19. *Num etiam P. Decius, princeps in ea familia consulatus, cum se devoveret, & equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de volupta-*

tibus

Coclitis abſciſſos teſtatur ſemita pontes.
  Eſt cui cognomen corvus habere dedit.
Haec Dii condiderunt, haec Dii quoque moenia ſervant:
  Vix timeat ſalvo Caeſare Roma Jovem.
Leucadius verſas acies memorabit Apollo.
  Tantum operis belli ſuſtulit una dies.
At tu ſive petes portus, ſeu, navita, linques;
  Caeſaris in tuto ſis memor Ionio.

tibus ſuis cogitabat? Valerius Maximus, in eadem hiſtoria, *concitandi* verbo eſt uſus, L. 5. C. 6. *Decius, qui conſulatum in familiam ſuam primus intulit, cum Latino bello Romanam aciem inclinatam & paene jam proſtratam videret, caput ſuum pro ſalute reipublicae devovit: ac protinus concitato equo, in medium hoſtium agmen, patriae ſalutem, ſibi mortem petens, irrupit.* Cicero *incitandi*, lib. de Seneċt. C. 20. *cum recorder, non ſolum Brutum, qui in liberanda patria eſt interfectus: non duo Decios, qui ad voluntariam mortem curſum equorum incitaverunt:* &c. Gruterus autem, L. 7. Suſpic. C. 11, tentabat, *Ad Decius miſſo*, ut ſit tmeſis, & voces diſpeſcantur. non audio: neque placent hae tmeſes.

66. ET CUI COGNOMEN] mendum leve, levi quoque opera tollendum. ſcripſerat poeta, *Eſt cui cognomen*, tamquam in re praeſente. nihil verius. Suetonius Aug. C. 31. *Proximum a Diis immortalibus honorem memoriae ducum praeſtitit, qui imperium populi R. ex minimo maximum reddidiſſent. itaque & opera cujuſque, manentibus titulis, reſtituit: & ſtatuas omnium triumphali effigie in utraque Fori ſui porticu dedicavit.* inter eas non incelebris M. Valerii Corvini. Gellius L. 9. C. 11. *Statuam Corvino iſti Divus Auguſtus in Foro ſuo ſtatuendam curavit. in ejus ſtatuae capite corvi ſimulacrum eſt, rei pugnaeque, quam diximus, monumentum.*

72. CAESARIS IN TOTO SIS MEMOR IONIO] Petrus Francius, vir & literarum & utriuſque eloquentiae laude florentiſſimus, felici conjectura *in tuto* reponebat. nihil certius. v. Cicero pro Flacco. C. 12. 13. ſane hoc de ſe ipſe praedicat Auguſtus, in Breviario rerum a ſe geſtarum: MARE PACAVI A PRAEDONIBVS. Vellejus L. 2. C. 126. *Diffuſa in Orientis Occidentiſque tractus, & quidquid meridiano aut ſeptemtrione finitur, pax Auguſta per omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu ſervat immunes.* Suetonius Aug. C. 98. *Puteolanum ſinum praetervehenti vectores nautaeque de navi Alexandrina, quae tantum quod appulerat, candidati, coronatique, & tura libantes, fauſta omina, & eximias laudes congeſſerant; per illum, ſe vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.* multoties peccatum fuit in vocibus his *tutum* ac *totum.* Corn. Nepos Themiſt. C. 2. *primum Corcyraeos fregit, deinde maritimos praedones conſectando mare tutum reddidit.* Ovidius Epiſt. Deïanirae.

Se tibi pax terrae, tibi ſe tuta aequora debent.

Cicero Accuſ. 5. in Verr. C. 1. *provinciam Siciliam virtute ejus & vigilantia ſingulari, dubiis formidoloſiſque temporibus, a fugitivis atque a belli periculis tutam eſſe ſervatam.* Phaedrus L. 2. Carm. 4.

Hunc quoque timore poſtquam complevit locum,
Doloſa tuto condidit ſeſe cavo.

Valerius Flaccus L. 1.

Tempus adeſt. age, rumpe moras: dumque aequore tuto
Currimus, incertus ſi nubila duxerit aether,
Jam nunc mitte metus, fidens ſuperiſque mihique.

Florus L. 1. C. 17. *ille per noctem paſtorio habitu ſpeculatur omnia: refert tutum iter.* in ſingulis iſtis locis turbatum erat: nunc autem recte habent beneficio virorum doctorum. plura talia congeſſit Heinſius ad Valer. Flacc. L. 5. ℣. 39.

X.

POstume, plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari;
Et quisquis fido praetulit arma toro.
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Haec tua ne virtus fiat amara tibi.
Neve tua Medae laetentur caede sagittae,
Ferreus armato neu cataphractus equo.

Neve

3. SPOLIATI GLORIA PARTHI] id bellum dumtaxat incogitatum est Parthis: nam ii Armeniam vindicanti Augusto ultro cesserunt, ac signa militaria M. Crasso & M. Antonio ademta, poscenti reddiderunt. igitur *spoliati* positum intelligemus pro *spoliandi*. qua de re aliquid dictum est supra ad L. 2. Eleg. 10.

8. POTABIS GALEA FESSUS ARAXIS AQUAM] morem eum castrensem venustissime ad Liberum patrem transtulit insignis poëta Pedo Albinovanus:

Bacche, coloratos postquam devicimus Indos,
Potasti galea dulce jubante merum.

10. HAEC TUA NE VIRTUS FIAT AMARA TIBI] *sibi*, malebat P. Francius; quae & Livineji mens fuit, locum adducentis ex Epist. Herus Ovidianae:

sic tu temerarius esto,
Ne miserae virtus sis tua flenda mihi.

12. FERREUS AURATO NEU CATAPHRACTUS EQUO] errant, qui *aerato* reponunt: nam quomodo equites illi *ferro* sint contecti, equi autem *aere*, quum contra stet veterum scriptorum fides? Servius ad L. 2. Aen. ℣. 770. *Cataphracti equites dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius, Equis paria operimenta erant, quae linteo ferreis laminis in modum plumae adnexuerant.* & ipse Crispus Histor. L. 4. *Qui praegrediebantur equites cataphracti ferrea omni specie.* Justinus L. 41. C. 2. de Parthis: *Munimentum ipsis equisque loricae plumatae sunt, quae utrumque toto corpore tegunt.* Claudianus L. 2. in Rufinum:

Hinc alii saevum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit formatque chalybs, conjuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis visu. credas simulacra moveri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo.
Par vestitus equis. ferrata fronte minantur,
Ferratosque levant securi vulneris armos.

Valerius Flaccus L. 6.

saevior, ecce, juventus
Sarmaticae coïere manus, fremitusque virorum
Semiferi: riget his molli lorica catena;
Id quoque tegmen equis.

accedat praeclarus superiorum temporum poëta, Janus Pannonius, Quinqueeclesiensis Episcopus, meliore vir sorte ac fato dignissimus, Eleg. 10.

Nec nisi auratum Lambro thoraca volebam,
Nec nisi ferrato ferreus ire fero.

ipse nos ductus literarum veram lectionem do-

Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla:
Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sis luxuriae norma magistra tuae?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,
Duritiaeque tuae non erit illa memor.
Nam quocumque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.

Po-

docet, quae est *armato*, proprium his talibus equis vocabulum. Auctor libri de Rebus Bellicis, in Balista quadriroti: *Subjecta rotarum quatuor facilitas, duobus subjunctis armatis equis ad usus hanc belli cos trahit.* idem ille scriptor equos istos *munitos* vocat, in Currudrepano: *Hujusmodi pugnacis vehiculi genus, quod armis praeter morem videtur instructum, reperit Parthicae pugnae necessitas: sed hoc singulis bene munitis invecti equis duo viri, vestitu & armis ferro diligenter muniti, citato cursu in pugnam rapiunt.* pariter & noster L. 4. Eleg. 3.

Te modo munito Sericus hostis equo.

sane & Cicero has voces conjunxit, quamquam in sermone translato, orat. pro P. Sextio C. 64. *Etiamne ejus, quem sua lege & suo beneficio ornatum, munitum, armatum, solet gloriari, C. Caesaris legem de pecuniis repetundis non putat esse legem?*

13. NEVE ALIQUID DE TE FLENDUM REFERATUR IN URNA] summa haec votorum peregre morientibus. Polynices apud Statium L. 11. Theb.

Jamque vale conjux, dulcesque valete Mycenae.
At tu care socer, (nec enim omnis culpa malorum
Me penes, & Superi mecum Parcaeque nocentes)
Sis lenis cineri, neque haec post praelia raptum
Alitibus fratrique tegas, urnaque reportes.

L. Septimius L. 4. C. 8. *ita collectos suos quisque igni cremant, & more patrio sepeliunt; seorsum ab ceteris cremato Memnone: cujus reliquias urna conditas per necessarios regis remisere in patrium solum.* & C. 18. *Igitur postquam fusis hostibus ad naves revertére Graeci, ex consilii sententia, Eurypyli cremata ossa, atque urna condita permittunt, scilicet memores beneficiorum atque amicitiae.*

18. QUUM SIS LUXURIAE NORMA MAGISTRA TUAE] ita recte Scaliger, emendato librariorum errore, (frustra enim incusat correctores, nihil hic commeritos) qui *Roma* fecerant ex *norma*. Valerius Cato Dir. ℣. 159.

Istius atque uternam facti mea culpa magistra
Prima foret! letum vita mihi dulcius esset.
Non mea, non ullo moreretur tempore fama:
Dulcia cum Veneris furatus gaudia primus
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.

Horatius L. 2. Sat. 2.

Post hoe ludus erat eulpa potare magistra.

Ovidius Epist. Sapphus:

Sive abeunt studia in mores artesque magistrae.

Passeratius non debebat tam bellam correctionem vellicare.

21. SANUM TE FATA REMITTENT] *salvum* nostri libri; Groninganus; & Vaticanus Livinei cum Borrichiano. recte. ita infra L. 4. Eleg. 3.

Armaque quum tulcro portae votiva Capenae,
Subscribam, Salvo grata puella viro.

Cicero L. 5. ad Attic. Epist. 21. *Te in Epirum salvum venisse, &, ut scribis, ex sententia navigasse, vehementer gaudeo.* Terentius Hecyr. Act.

Poſtumus alter erit miranda conjuge Ulyxes.
  Non illi longae tot nocuere morae:
Caſtra decem annorum, & Ciconum mons, Iſmara, Calpe,
  Exuſtaeque tuae mox, Polypheme, genae.
Et Circae fraudes, lotoſque, herbaeque tenaces,
  Scyllaque, & alternas ſciſſa Charybdis aquas.
Lampeties Ithacis verubus mugiſſe juvencos,
  (Paverat hos Phoebo filia Lampetie)
Et thalamum Aeaeae flentis fugiſſe puellae,
  Totque hiemis noctes, totque nataſſe dies.
Nigranteſque domos animarum intraſſe ſilentum;
  Sirenum ſurdo remige adiſſe latus:

Et

Act. 3. Sc. 2. *gaudeo veniſſe ſalvum. ſalvane Philumena eſt?* ibidem Sc. 5. *bene factum te adveniſſe Pamphile, Atque adeo quod maximum eſt, ſalvum, atque validum.* Phorm. Act. 4. Sc. 1. *ſet veniſſe eas Salvas audivi ex nauta, qui eas vexerat.* Cicero Accuſ. 5. in Verr. C. 58. *quem non ille ſummo ſtudio ſalvum incolumemque ſervavit?* de Provinc. Conſular. C. 18. *idem ille tum me ſalvum eſſe voluit, cum vos me ut cariſſimum filium deſiderabatis.* in talibus formulis numquam dicebant *ſanum*; eſtque ea vox idiomatum recentiorum, hac quidem notione.

27. CIRCAE] recte *Circae*, declinatione Latina. Sic & apud Horatium ſcribi debet, auctoritate optimarum membranarum, L. 1. Epiſt. 2. *Sirenum voces, & Circae pocula noſti.* tum paullo poſt: *Sponſi Penelopae, nebulones, Alcinoique.*

29. LAMPETIES] v. Homerus XII. Odyſſ. 127. 265. qui locus eſt admodum longus.

31. ET THALAMUM AEAEAE FLENTIS LIQUISSE PUELLAE] ajunt *Aeaeam puellam* eſſe Circen, de qua jam dictum; hic vero agi de Calypſone; itaque videri Propertium humani aliquid paſſum fuiſſe. At Propertius eos ſequitur, qui Aeaeten Calypſus fratrem faciunt, & ambos Sole progenitos dicunt. Noli committere quin legas notata viro longe eruditiſſimo Ferdinando Nonio (a patria vulgo *Pintianum* vocant) ad iſta Pomp. Melae L. 2. C. 7, *Circa Siciliam in Siculo freto eſt Aeaee, quam Calypſo habitaſſe dicitur.*

34. SIRENUM SURDO REMIGE ADISSE LACUS] nonnihil languet τὸ *lacus.* rectius *latus* reponas, quod oram notat ſcriptoribus Romanis. atque ita ſcripſiſſe Propertium non dubius teſtis eſt floridi oris poëta Cl, Claudianus, L. 3. de Raptu Proſerpinae, ℣. 255.

rapidis Acheloïdes alis
Sublatae Siculi latus obſedere Pelori.

vox ipſa in creberrimo eſt uſu. Virgilius L. 3. Aen.

venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaque & urbis
Litore diductas anguſto interluit aeſtu.
Dextrum Scylla latus, laevum inplacata Charybdis
Obſidet.

& L. 8.

Inſula Sicanium juxta latus Aeoliamque
Erigitur Liparen fumantibus ardua ſaxis.

Ovidius L. 13. Metam.

Scylla latus dextrum, laevum irrequieta Charybdis
Infeſtant.

Valerius Flaccus L. 5. ℣. 103.

Altius in ventos recipit ratis; & fugit omne
Crobiali latus, & fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium.

 eo-

Et veteres arcus leto renovasse procorum.
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra: quia casta domi persederat uxor.
Vincet Penelopes Aelia Galla fidem.

eodem libro, ỷ. 166.

Horruit inmensum Ponti latus: horruit omnit
Armeniae praetentus Hiber.

tum L. 8. ỷ. de Histro:

Illius adversi nunc ora petamus & undam,
Quae latus in laevum Ponti cadit.

ibidem ỷ. 375.

latus inde sinistrum
Adversamque procul Peuces desertur in oram.

Seneca Herc. fur. ỷ. 376.

Pax ante fida nivibus & flammis erit:
Et Scylla Siculum junget Ausonio latus.

& Herc. in Oet. ỷ. 80.

Siculus Hesperium latus
Jungat Pelorus; una jam tellus erit.

Papinius L. 12. Theb.

Qualis ab Aetnaeis accensa lampade saxis
Orba Ceres magnae variabat imagine flammae
Ausonium Siculumque latus.

Claudianus in Prob. & Olyb. Conf.

sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
Sic Rhenus per utrumque latus.

Rutilius Itiner. L. 1.

Assurgit ponti medio circumflua Gorgon,
Inter Pisanum Cyrnaïcumque latus.

Solinus C. 56. de Taprobane insula: *latus ejus mare alluit perviridi colore fruticosum, ita ut jubae arborum plerumque gubernaculis atterantur.* hoc vero latus Siciliae Ulyxes surdo remige praetervectus est. hunc totum nostri locum pulcerrimis versibus quasi certabundus extulit facundissimus Claudianus, in Laude Serenae Reginae:

Anne aliud toto molitur carminis actu
Maeonii mens alta senis? quod flagna Charybdis.
Armavit, quod Scylla canes, quod pocula Circe;
Antiphatae vitata fames, surdoque carina
Remige Sirenum cantus transvecta tenaces;
Lumine fraudatus Cyclops, contemta Calypso;
Penelopae decus est: atque uni tanta paratur
Scena pudicitiae. terrae pelagique labores,
Et totidem saevi bellis, quot fluctibus, anni
Conjugii docuere fidem.

35. ET VETERES ARCUS LETO RENOVASSE PROCORUM] in quatuor libris est *revocasse:* quod quum idem significare possit cum *renovasse,* (Passeratius jam pridem monuit ad L. 1. Eleg. 15. ỷ. 25.) tamen propter epitheton *veteres* non videtur admittendum.

38. VINCIT PENELOPES LAELIA GALLA FIDEM] Gul. Canterus malebat *Vincet*, quod & ego malo, ita exigente sensu. porro *Aelia* scribendum, pro *Laelia*, dudum est quod monuerunt Passeratius, Livinejus, ac Gulielmius Quaest. in Plauti Pseudol. C. 6. vide si ad rem nostram faciat Plinius L. 6. C. 28. *Romana arma solus in eam terram adhuc intulit Aelius Gallus ex equestri ordine. nam C. Caesar Augusti filius prospexit tantum Arabiam. Gallus oppida diruit non nominata ab auctoribus, qui ante scripserunt. Laelia* Glandorpius Onomast. p. 516. male.

XI.

X I.

QUaeritis unde avidis nox ſit precioſa puellis,
Et Venere exhauſtae damna querantur opes?
Certa quidem tantis cauſſa & manifeſta ruinis:
Luxuriae nimium libera facta via eſt.
Inda cavis aurum mittit formica metallis;
Et venit e rubro concha Erycina ſalo.

Et

3. Certa quidem tantis caussa est manifesta ruinis] & habent meliores membranae, non *eſt*. cauſſa certa & manifeſta tantis ruinis eſt luxuria nimis libera.

4. Luxuriae nimium libera facta via est] luxuria nimis libere graſſatur, nemine prohibente. *libera via*, ut Horatii *liberum iter* in Carm. Saecul.

Cui per ardentem ſine fraude Trojam
Caſtus Aeneas patriae ſuperſtes
Liberum munivit iter.

in Groningano eſt *lubrica*. male, & contra mentem poëtae. alium enim ſenſum habent iſta L. 4. Eleg. 4.

Lubrica tota via eſt, & perfida.

6. Et venit e rubro concha Erycina salo] eſt quidam epithetorum abuſus etiam apud probatiſſimos poëtas. Venerem e mari enatam ajunt concha marina ad Cypri litus delatam: inde conchas Veneri ſacras. eamdem Venerem ex Buta filium Erycem ſuſcepiſſe fama eſt, eumque Erycem apud Siciliae Drepanum matri templum exſtruxiſſe in monte ſibi cognomine, titulo Veneris Erycinae. vides quam parum apte maris rubri conchae margaritiferae dicantur *Erycinae*. Sibylla Cumana recte *Apollinea* vates dici poteſt, quia non niſi Apollinis ſpiritu plena vaticinabatur, atque oracula fundebat. tamen Virgilio aliter viſum eſt, L. 6. Aen.

Quae contra breviter fata eſt Amphryſia vates.

Apollo ab irato Jove relegatus, apud Theſſaliae fluvium Amphryſum Admeti regis armenta pavit. hinc vates *Amphryſia* tantumdum valet atque *Apollinea*. certe hac ratione poterat & *Patarea* dici, & *Grynea*, & *Actia*, & *Palatina*, & *Delphica*, & *Claria*, & *Leucadia*, &c. quibus omnibus in locis clariſſima eſt Apollinis memoria. paria fere ſunt quae de paſtoribus Libyae tradit L. 3. Geor.

omnia ſecum
Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,
Armaque, Amyclaeumque canem, Creſſamque pharetram.

& Horatius quum dixit *Memphim carentem Sithonia nive*, rem dixit non miram: multo majus mirum foret, ſi nix Thracia caderet in Aegypto. quae a locis ducuntur epitheta, non recte aliis locis adplicantur: & commode Servio grammatico *longe petita* nominantur. tale eſt illud Papinii L. 7. Theb.

adhuc ripis animoſus gurges anhelis
Fulmineum cinerem, magnaeque incendia poenae
Gaudet, & Aetneos in coelum efflare vapores.

ecce, Aſopus fluvius Boeotiae eructat Siculos vapores. nam nihil hic agunt, qui ad comparationem confugiunt. ea aliter erat inſtituenda. idem poëta I. Silv. 3. ℣. 8. Tiburtino Manlii Vopiſci:

Talis hiems tectis, frangunt ſic improba ſolem
Frigora, Piſaeumque domus non aeſtuat annum.

per vero mirificum, ſi Tiburo non ſentitur calor Piſaeus. noſtro Aurelio circumſpectior fuit Tibullus L. 2. Eleg. 4.

Hic dat avaritiae cauſſas, & Coa puellis
Veſtis, & e rubro lucida concha mari.

6. E] forte *a* vide ad Tibull. 2, 4, 30.

Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.
Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
Aut si qua est, precio tollitur ista mora.
Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum positis stat pia turba comis:

10. QUAEQUE TERUNT FASTUS, ICARIO-TI, TUOS] minus bene haec cepit magnus Turnebus L. 26. C. 33. cui tamen non insulto. nec hilo melius Gebhardus: *Munera minuunt ac deterunt rigorem ac pertinaciam negandi cupidis conventoribus.* debebat dicere, Munera corrumpunt pudicissimas quoque matronas, & quidem tales quae castitatem Penelopes despicatui habent prae sua, ac pedibus quasi conculcant. notum illud Diogenis, *calco Platonis fastum.* solet noster verbis uti simplicibus loco compositorum, ita *terunt* hic valet obterunt, sive proterunt, i. e. vincunt, superant, Plautus Curcul. Act. 4. Sc. 4.

—— Leno minitatur mihi?
Meaeque pugnae praeliares plurimae obtritae jacent?

solebant autem victores, ferocia quadam atque insolentia militari, victos pedibus proculcare. Virgilius L. 10.

Tum super abjectum posito pede nixus & hasta:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.

de eo more dixi quod satis esset ad L. 1. Eleg. 1. *Icarietin* esse Penelopen, nec pueri ignorant. sequitur noster eos qui castissimae matronae patrem *Icarium* vocabant, quod & Naso fecit Epist. Penel. aliis tamen *Icarus* audit; etiam nonnullis *Icadius*. Super tam varia nominis unius confusione videndus tibi est Dion. Salvagnius Comment. in Ibin ℣. 570. Philippus Silvius Penelopae patrem *Icariotum* vocat, dicitque ab *Icariotus* formari patronymicum *Icarietis*. & hic homo, ut scribat libros, etiam praemiis invitatur.

12. SPOLIA OPPROBRII] pulcerrime. hanc ob caussam Venus Ciceroni *spoliatrix* dicitur, orat. pro M. Coelio C. 21. *tune aurum ex armario tuo promere ausa es? tune Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis?* Clodiam adloquebatur, mulierem impudicam, & rapacem. Martialis L. 4. Epigr. 29.

Sic spoliatricem commendat fastus amicam:
Janua nec juvenem semper aperta tenet.

14. PRETIO TOLLITUR IPSA MORA] commodius legas *ista mora*. nam *poscendi* & *dandi*, in versu priore, qui ad munera referunt, haud quaquam faciunt cum ipso Propertio. verba sunt amoris. *ista* erat in membranis Commelini.

15. FELIX EOIS LEX FUNERIS UNA MARITIS] mirum, ex remotissima India petivisse, quod Thraces exemplum dare poterant, tanto viciniores. Mela L. 2. C. 2. *Ne feminis quidem segnis est animus. Super mortuorum virorum corpora interfici simulque sepeliri, votum eximium habent: & quia plures simul singulis nuptae sunt, cujus id sit decus, apud judicaturos magno certamine affectant. Moribus datur, estque maxime laetum, cum in hoc contenditur, vincere.* eadem fere Herodotus L. 5. C. 5.

18. UXORUM FUSIS STAT PIA TURBA COMIS]

Et certamen habent leti, quae viva ſequatur
Conjugium: pudor eſt, non licuiſſe mori.
Gaudent victrices, & flammae pectora praebent,
Imponuntque ſuis ora peruſta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
Nec fida Euadne, nec pia Penelope.
Felix agreſtum quondam pacata juventus,
Divitiae quorum meſſis, & arbor erant.
Illis pompa fuit decuſſa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena caniſtra rubis:

Nunc

MIS] Groninganus, *Uxorum poſitis.* optime. nam in luctu radi ac tonderi in more ſolenni apud Orientis populos. Curtius L. 10. C. 5. *Perſae comis ſuo more detonſis, in lugubri veſte, cum conjugibus ac liberis, non ut victorem & modo hoſtem, ſed ut gentis ſuae juſtiſſimum regem vero deſiderio lugebant.* Suetonius Calig. C. 5. *Quin & barbaros ferunt, quibus inteſtinum, quibuſque adverſus nos bellum eſſet, velut in domeſtico communique moerore conſenſiſſe ad inducias. Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus.* inde vetitum Judaeis, ne ſcilicet imitarentur Phoenicas, & gentes circum vicinas, Deuteron. C. 14. ℣. 1. *Filii eſtote Domini Dei veſtri: non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuo. quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo: & te elegit ut ſis ei in gentem peculiarem de cunctis gentibus quae ſunt ſuper terram.*

19. ET CERTAMEN HABENT LETI] *laetae* malebat Lipſius L. 2. Ant. Lect. C. 10. quod non valde placet. alia ratio eſt in Papinio L. 12. Theb.

Saevus at interea ferro poſt terga revinctas
Antigonen, viduamque Creon Adraſtida leto
Admovet. ambae hilares, & mortis amore ſuperbae
Enſibus intentant jugulos, regemque cruentum
Deſpiciunt.

ſed, ut dixi, ratio ibi eſt alia, neque huc ſatis conveniens.

20. PUDOR EST NON LICUISSE MORI] Groninganus habet *non voluiſſe:* quod eſt contra mentem poëtae. ſed vicinitas literarum facit, ut credam fuiſſe ſcriptum primitus *non potuiſſe.* eſt ſane ille liber expreſſus de bono exemplari, & in ipſis aberrationibus ſaepe ſervat veſtigia verae lectionis.

21. ARDENT VICTRICES] ita omnes libri. ſed Henricus Stephanus L. 5. Schediaſm. C. 10, & poſt eum Jo. Paſſeratius, malebant *Gaudent victrices.* & ſane poteſt ut olim, extrita initiali litera G, vel etiam omiſſa, remanſerit *Audent*; quod deinde tranſierit in *Ardent.* videamus ſi id evincere poſſimus Tullii verbis L. 5. Tuſc. Quaeſt. C. 27. *Mulieres vero in India, cum eſt cujuſvis earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit. plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptae. Quae eſt victrix, ea laeta, proſequentibus ſuis, una cum viro in rogum imponitur: illa victa, moeſta diſcedit.* itemque Valerii Maximi L. 2. C. 6. *Reſpiciantur Indorum feminae, quae cum more patrio complures eidem nuptae eſſe ſoleant, mortuo marito, in certamen judiciumque veniunt, quam ex iis maxime dilexerit: victrix gaudio exſultans, deductaque a neceſſariis, laetum praeferens vultum, conjugis ſe flammis ſuperjacit, & cum eo tamquam feliciſſima crematur. ſuperatae cum triſtitia & moerore in vita remanent.* vides Valerium pendere a Cicerone, iiſdem paene verbis: qui minus id noſter fecerit, Ciceronis tot locis ſtudioſus imitator? Gebhardus quidem iſtud *gaudent* multis modis vellicavit: ſed nos ei ſuum guſtum haud quaquam invidebimus. ſtat a nobis, illuſtri cum primis exemplo, Diodorus Siculus L. 19. ubi deſcribit memorabilem illam concertationem inter duas uxores Cetei, eorum militum, qui ex India venerant, ducis in caſtris Eumenis.

27. ILLIS POMPA FUIT] ita Colbertini,

&

Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
 Lilia virgineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
 Aut variam plumae versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellae
 Oscula silvicolis emta dedere viris.
Hinulei pellis totos operibat amantes,
 Altaque nativo creverat herba toro.
Pinus & incumbens latas circumdabat umbras,
 Nec fuerat nudas poena videre deas.

Cor-

& Regii. in ceteris est, *illis munus erat.* quod minus placet propter τὸ *erant* in versu proxime praecedente. est etiam *pompa* in circo aliud, aliud *munus* in arena.

30. LILIA VIRGINEOS LUCIDA PER CALATHOS] Palmerius conjiciebat *vimineos.* non inepte. & videtur favere auctor Copae, quicumque ille fuit, certe vetus & probus:

Et quae virgineo libata Achelois ab amne
 Lilia vimineis attulit in calathis.

Ovidius L. 4. Fastor.

Haec implet lento calathos e vimine textos.

Junius Columella L. 10.

cano jam vimine textum
Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.

in aliis libris, teste Passeratio, erat *virgatis.* quae vox apud Catullum calathis datur, Carm. de nuptiis Thetidis & Pelei:

Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.

Cur autem mutes vulgatam? *virginei* calathi sunt puellares. harum enim est calathus. vide Moschi Europam.

32. AUT VARIAM PLUMAE VERSICOLORIS AVEM] in tribus libris *varicoloris* legitur: in quatuor aliis *pluricoloris.* atque hoc secutae sunt editiones primae. in Beroaldina est *versicoloris*, haud dubie de membranis.

35. HINULEI PELLIS] in membranis illis Horatii Graevianis legitur L. 1. Od. 23.

Vitat inuleo me similis Cloë

addunt Glossae: *inuleus, anniculus cervus.* Agraetius autem legi jubet *hinnuleus.* in scriptis fere est *Atque inuli pellis.* quae vox nihili multos decepit literis primulum renascentibus. multorum instar esto nobilissimus poëta Hercules Strozza:

Addit equos, patriaque insignes arte catejas,
Scutaque, & auratis sinuosum cornibus arcum,
Tum gravidam telis inuli de pelle pharetram.

37. LATAS CIRCUMDABAT UMBRAS] alii libri *laetas* habent; alii *lentas.* sed nihil est mutandum: amamus enim in arbore umbram latam, patulam, ac spatiosam. infra L. 4. Eleg. 10.

Populus & longis ornabat frondibus aedem.

Ovidius Remed. Amor.

Quae praebet latas arbor spatiantibus umbras.

Virgilius L. 2. Georg.

o, qui me gelidis in vallibus Haemi
Sistat, & ingenti ramorum protegat umbra!

& L. 7. Aen.

Aeneas, primique duces, & pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altae.

talis est pinus. quam *ingentem* vocat Horatius L. 2. Od. 3.

Quo pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
 Ramis.

& quercum Maro L. 3. Geor.

Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentis tendat ramos: aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra.

Claudianus Epithal. Palladii & Celerinae:

Idaliae juxta famulae, triplexque vicissim
Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.

pulcre Plinius Caecilius L. 1. Epist. 20. *Vides ut statuas, signa, picturas, hominum denique,*

Corniger Idaei vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves.
Diique, deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
Praebebant versis verba secunda focis.
Et leporem quicumque venis venaberis, hospes,
Et si forte meo tramite quaeris avem:
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato:
Sive petas calamo praemia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis.
Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia jura:
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Tor-

nique, multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decorae, nihil magis quam amplitudo commendet. nec vero sine caussa noster poëta amantibus dedit pinum, quippe quae ipsa, puella quum foret, propter amorem in pinum arborem est mutata. vide notam ad L. 1. Eleg. 18. ỷ. 20.

38. NEC FUERAT NUDAS POENA VIDERE DEAS] argute Lipsius L. 2. Ant. Lect. C. 10: *Et fuerat nudas paene videre Deas.* nec tamen vere. Ea enim primi illius saeculi felicitas fuit, ut Dii tantum non quotidie videndos sese darent hominibus castis ac piis. quam in rem operae est videre Pausaniam initio Arcadicorum. Catullus Carm. de nuptiis Thetidis & Pelei:

Praesentes namque ante domos invisere castas
Caelicolae nondum spreta pietate solebant.

& quae sequuntur istic, paullo quidem longiora quam ut hic adscribantur. addit autem poëta Veronensis,

Omnia fanda nefanda, malo permixta furore,
Justificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Sane non sine poena, si quis invitos vidisset. consulendus Callimachus in Lavacro Palladis. adposite Papinius Theb. L. 9.

Dixerat, atque illi sese Deus obtulit ultro,
Turbidus imbre genas, & nube natantis arenae.

ibi vetus Commentator, a Barthio productus: ULTRO. *Quod est irati numinis, cum non eliciatur precibus, aut sacrificiis, prodire in hominis conspectum.* atque ita statuerat jam olim pater Homerus L. 20. Iliad. ỷ. 130. & L. 10. Odyss. ipso fine.

39. CORNIGER IDAEI] haec tam bella lectio Antonio Volsco debetur, quem laude sua fraudare injurium fuerit. Libri omnes, *Corniger atque Dei*, nullo commodo sensu.

42. PRAEBEBANT VERSIS VERBA SECUNDA FOCIS] noster secundus, cum Regiis & Colbertinis, *verba benigna.* quod videtur glossema marginale τοῦ *secunda.* nimis argutatur Palmerius cum suis *tescis focis*; neque hilo melius Passeratius, qui *vescis focis* malit, aut denique *vestris jocis.* nihil est mutandum. *verrere focum* ad religionem pertinebat. Cato de R. R. cap. 143: *Munda* [vilica] *siet Villam conversam mundamque habeat. Focum purum circumversum quotidie, priusquam cubitum eat, habeat.* nam in foco Lares. de ipso verbo Servius ad L. 1. Aen. ỷ. 63. *Verrere est trahere, a rete, quod everriculum dicitur. est autem principalitas verbi verro verris, praeteritum versi: unde est participium versus.* Sequentem porro nostri locum de Pane e Graeco Leonidae Tarantini expressum esse, observavit Salmasius Exercit. Plinian. p. 765. edit. ult. ubi & Graecum epigramma, antea ineditum, & Latinam Salmasii versionem videre debes.

46. SIVE PETAS CALAMO] *petes* est in sex libris, & duobus Gebhardi. ego malim *petis.* de *calamo* dixi ad 2, 15, 24.

49. AUREA NUNC VERE SUNT SAECULA] Nasonis est totum hoc distichon ex L. 2. Art. Amat.

Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.

Tu

Amat. quod studiosus aliquis tanquam locum parallelum adleverat margini codicis sui. testis noster secundus, in quo legitur, sed ante versum *At nunc desertis*, ut appareat esse insititium. a ceteris omnibus abest, neque comparet *thiam*, in editionibus priscis; si excipias Aldinam; unde quasi tradux irrepsit in recentiores tantum non omnes.

53. AT MONS LAURIGERO CONCUSSUS VERTICE DURAS GALLICA PARNASI SPARSIT IN ARMA NIVES.] scribit Pausanias, terram, quantum soli Gallorum acies occupaverat, ad multas horas contremuisse; nocte autem insecuta accerrimum eos frigus cum nive plurima vehementer afflixisse; saxa praeterea ingentia, & montis crepidines sponte avulsas in adpetentes milites corruisse; ita ut triceni simul, apud etiam plures, ab ingruentibus rupibus colliderentur. Panico terrore & nocturno gelu confectos fuisse amplius decem millia. est itaque omnino recipienda Groningani ac Borrichiani & nostrorum codicum lectio, *diras nives*: quod & Passeratius in Memmiano invenerat, & in Comeliniano Gebhardus. Horatius L. 1. Od. 2.

Jam satis terris nivis, atque dirae
Grandinis misit pater.

Festus: *Dirus, dei ira natus.* quibus paria Servius habet ad L. 2. Aen. ỷ. 518. & ad L. 4. ỷ. 453. tales autem istae nives; quas Pythia *albas virgines* dixisse videri potest apud Ciceronem L. 1. de Divinat. C. 37. quamquam ibi in majus augetur miraculum: *objiciuntur etiam saepe formae, quae reapse nullae sunt: speciem autem offerunt. Quod contigisse Brenno dicitur, ejusque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. Tum enim ferunt ex oraculo effatam esse Pythiam, Ego providebo rem istam, & albae virgines. ex quo factum, ut & viderentur virgines ferre arma contra, & nive Gallorum obrueretur exercitus.* Pausanias dicit, visas in Gallos consurgere heroum species, Hyperochum, Laodocum, & Pyrrhum, cum Phylaco. &c. in iisdem, quos dixi, libris est *mons Parnasus*; non *Parnasi.* quod tamen eodem redit. in Groningano praeterea, id quod minime insuper est habendum, *in ora* legitur; non, uti hodie edunt, *in arma.* acrius certe laborat qui vultum, os, atque oculos horrida nive converberatur, quam qui armis excipit. vide notam, super eo errore scribendi, ad L. 1. Eleg. 3. ỷ. 16. nostram lectionem haud leviter fulcit Silius L. 3. Punic.

Interdum adverso glomeratas turbine Corus
In media ora nives fuscis agit horridus alis.

Livius L. 22. C. 46: *Ventus, quem Vulturnum incolae regionis vocant, adversus Romanis coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit* Florus L. 4. C. 12: *Quae fuerit validarum gentium feritas, facile vel mulieres ostendere; quae, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo, in ora militum adversa miserunt.* erant hae mulieres Alpinae.

55. POLYMNESTORIS] plerique libri *Polymestoris* scribunt, abjecto *n.* sic infra L. 4. Eleg. 7, bis habemus *Hypermestre.* apud L. Septimium constanter scribitur *Polymestor*, L. 2. C. 18. 20. 25. in membranis Virgilii bonae notae, quas contuli ad vulgatas, semper *Agamenonius* legitur. & apud Ausonium *Clytemestra.* quomodo & Livius Andronicus Aegistho:

in sedes collocat se regias,
Clytemestra juxtim, tertias natae occupant.

apud Juvenalem Sat. 6, membranae veteres Bernardi Rottendorphii scribebant,

Mane Clytaemestram nullus non vicus habebit.

sic & *columa* scribebant veteres, pro *columna.* Quintilianus L. 1. C. 7. *Nec* CNEUS *eam literam in praenominis nota accipit, qua sonat:*

&

Tu quoque, ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
  Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque utinam patriae sim vanus aruspex:
  Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides. neque Ilia quondam
  Verax Pergameis Phoebas habenda malis.

Sola

& COLUMA *exemta* N *litera*, & CONSULES, *geminata* S *litera* COSS. *legimus*: & SUBURRA *quum tribus literis notatur*, C *tertiam ostendit*. conferre potes Gifanii Conlectanea ad Lucretium in *Omnium*, & Nic. Heinsii Notam in L. 13. Metam. ℣. 430. ubi hic nostri locus recte, ut puto, emendatur. quod & Antonius Volscus fecerat ex codicibus vetustis. iis nunc accedunt nostri.

58. Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis] equis evanescentibus, postquam vivi in Tartara venerant. in eadem re Pluto iratus apud Papinium L. 8.

At tibi quos (inquit) manes, qui limite praeceps
Non licito per inane ruis? subit ille minantem,
Jam tenuis visu, jam vanescentibus armis,
Jam pedes.

59. Utinam patriae sim vanus aruspex] ita meliores libri: neque audiendi qui *verus* reponunt, nullo idoneo sensu. utinam ego potius mendacii arguar, quam invito mihi hac in parte contingat fides! Apulejus Apolog. *nescio quos Chaldaeos consuluerat, quo lucro filiam collocaret. qui, ut audio, utinam illud non vere respondissent, primum ejus maritum in paucis mensibus moriturum.* pariter apud Nasonem Penelope:

utinam temeraria dicar
Criminibus falsis insimulasse virum.

61. Certa loquor: sed nulla fides.] Cicero L. 8. ad Attic. epist. 11. *προθεσπίζω igitur, noster Attice, non ariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed conjectura prospiciens*; Jamque mari magno, *non multo inquam secus possum vaticinari: tanta malorum impendet Ἰλιάς.*

61. Neque enim Ilia quondam] τὸ *enim* abest a libro secundo, sensu equidem optimo, sed licentia intolerabili hominibus istis quorum aures magistrales nullum hiatum ferunt in poëtis Latinis. Quid autem poterat his melius? Ego quidem vera cano, sed nemo mihi credit: ita neque Cassandrae creditum est olim, quum tot mala patriae suae vaticinaretur. Supple nunc hiatum, & versum labantem fulci egregio isto *enim*; deinde dic mihi, sodes, quam haec cohaereant commode, Nemo mihi credit, quia nemo credidit Cassandrae.

62. Maenas] legendum est *Phoebas*; quod jam monuit Passeratius. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 8. de hac ipsa virgine regia:

Serva Mycenaeo Phoebas amata duci.

Seneca Troad. ℣. 34.

Quaecumque Phoebas ore lymphato furens,
Credi Deo vetante, praedixit mala;
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.

tamen Cassandra etiam *maenas* dicitur Senecae Agamemn. ℣. 719. Silius L. 15. ℣. 282.

tibi barbara soli
Sanctius illiaca servata est Phoebade virgo,

Seneca Agamemn. ℣. 586.

Sed ecce turba tristis, incomtae comas,
Iliades adsunt: quas super celso gradu
Effrena Phoebas entheas laurus quatit.

ibidem ℣. 710.

Silet repente Phoebas, & pallor genas,
Creberque totum possides corpus tremor.

Lucius Septimius L. 3. C. 2. *Cassandra Minervae atque Apollinis antistes, novo ac barbaro redimita ornatu, effusis hinc atque inde crinibus precabatur, suggerente sibi Polyxena apparatum sacri ejus.* alterum istud qui intruserant, debebant meminisse Maenadas esse in comitatu Bacchi, qui neque ipse inter Deos fatidicos censetur. Tibullus L. 3. Eleg. 4.

Sed proles Semelae Bacchus, doctaeque sorores,
Dicere non norunt quid ferat hora sequens.

Sola Parin Phrygiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit utilis, ille parenti.
Experta est seros irrita lingua Deos.

66. EXPERTA EST VEROS IRRITA LINGUA DEOS] melius, opinor, *seros*. sic Juno ad Venerem, L. 10. Aen.

Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis adsurgis, & inrita jurgia jactas.

nnster L. 4. Eleg. 1.

Vel si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput.

vera inventa fuere Cassandrae oracula; sed tum demum, quum serum esset ex eorum monitu res praeterlapsas ordinare. unde *Phrygas sero sapere* vulgari proverbio jactitatum est. Sallustius apud Servium: *Serum bellum in angustiis fore.* frustra pugnaturos, ubi eos hostis in montium angustiis conclusos teneret. Servius perperam interpretatus *serum* cepit pro tristi atque infelice. melius Cicero, verbis commutatis, orat. pro M. Coelio C. 31. *Vellem alio potius eum cupiditas gloriae detulisset. sed abiit hujus tempus querelae.* jam enim Antonius, de quo agebatur, erat exilio multatus.

XII.

Multa tuae, Sparte, miramur jure palaestrae,
Sed mage virginei tot bona gymnasii:
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros:

Quum

XII] Puto hanc Elegiam esse scriptam in Peloponneso, quum iter faceret Athenas. qua ratione collocanda erit post vigesimam, quae Brundisii scripta videtur, quum jam oram solverent, aut certe quidem in procinctu starent.

1. MULTA TUAE, SPARTE, MIRAMUR JURA PALAESTRAE] Gebhardus ita nobis hunc versum interpolavit:

Multa egemet Spartes intrarem jura palaestrae.

quod quid significet, ego quidem divinare non queo. sed ad rem. *Jura* hic exponunt leges, morem, ritum palaestrae. non nimis incommode. quamquam legendum videtur *jure*; ut dicat poeta, Jure ac merito multa miramur, o Sparte, in ludis tuis gymnicis: id vero superat omnem admirationem, quod virgines nudae luctentur cum juvenibus nudis citra labem infamiae, adsitque verecundia, absit petulantia. Jure profecto mirum illud visum homini Romano, quorum moribus omnia alia in usu circa custodiendam mulierum pudicitiam. Vide quae Petrus Victorius notavit L. 24. Var. Lect. C. 7. & quae Columna ad Ennium p. 300. b. sq.

3. EXERCET CORPORE LUDOS] Joanni Aurato debetur haec tam pulcra restitutio τοῦ *laudes*, prodente Gulielmo Cantero L. 2. Nov. Lect. C. 14. ita & Columna citavit ad Ennium p. 301. a. miror, quae tamen nullo modo placere potuit Roberto Titio, veterem lectionem insano molimine defendenti L. 4. Loc. contr. C. 1. neque is ipse resipiscere etiam voluit in Assertionibus, quamvis jam meliora edoctus ab Yvone Villiomaro. post longam istam velitationem de vocibus mediis, quas inter & *laudem* ponit, probare debebat Robertus *exercere laudes corpore* recte ac Latine dici. tamen hunc

Quum pila veloci fallit per brachia jactu,
Increpat & versi clavis adunca trochi.
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio.

Nunc

hunc caecum ducem secutus est non ita pridem Balthasar Bonifacius L. 6. Hist. ludicr. C. 28. immemor in Ovidiana Paridis epistola legi,

More tuae gentis nitida dum nuda palaestra
Ludis, & es nudis femina mista viris.

Laudes pro *ludos* scriptum fuisse, non est adeo mirum. vitium erat infimi saeculi. Tibulli versiculus est 2, 2, 22. *Ludat & ante tuos turba novella pedes.* ibi codex Wittii secundus *Laudat* habet.

5. QUUM PILA VELOCI] pila ludebant virgines Graecorum. apud Homerum Nausicae cum suis ancillis ludit pila in litore maris, tantisper dum vestes lotas exsiccaret solis calor, L. 6. Odyss. ℣. 100. Virgilius in Ciri, de Scylla:

Necdum etiam castos agitaverat ignis honores,
Necdum solenni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivae;
Cum lapsa e manibus fugit pila, cumque relapsa
Procurrit virgo; quo utinam non prodita ludo
Aurea tam gracili solvisset corpora palla.

puellae Romanae, quarum modestior disciplina, eo lusu carebant. Ovidius L. 3. Art. Amat.

Hos ignava jocos tribuit Natura puellis:
Materia ludunt uberiore viri.
Sunt illis celeresque pilae, jaculumque, trochique,
Armaque, & in gyros ire coactus equus.
Nec vos Campus habet, nec vos gelidissima Virgo,
Nec Tuscus placida devehit amnis aqua.

atque hinc est cur homo Romanus miretur agilitatem Lacaenarum.

7. AD EXTREMAS STAT FEMINA METAS] in Beroaldi editione legitur *dat:* quod, quia antiqui *t* cum *d* saepe permiscebant, potuit fuisse *tat*, cui postea adglutinata sit ultima litera praecedentis voculae *extremas.* femina dat vulnera, & patitur vulnera. ita Statius L. 5. Silv. 3.

Talis Olympiaca juvenem cum spectat arena
Qui genuit, plus ipse ferit, plus corde sub alto
Caeditur.

Horatius L. 2. Epist. 2.

Caedimur, & totidem plagis consumimus hostem.

Gellius L. 13. C. 27. *membra eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata.* Justinus L. 5. C. 5. *Tantaque caedes palantium fuit, ut plus vulneris eo praelio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant.* Sed nihil est mutandum. *Stare* proprie dicitur de iis qui se ad pugnam componunt. Virgilius L. 9. Aen.

Stabat in egregiis Arcentis filius armis.

Cicero L. 1. ad famil. Epist. 4. *cum in senatu pulcerrime staremus, quod jam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie ejus diei fregeramus.* Plancus Ciceroni L. 10. Epist. 23. *Tu, mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem praesta, ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subornes.* Tragicus Herc. fur. ℣. 458. de Baccho:

E matris utero fulmine ejectus puer,
Mox fulminanti proximus patri stetit.

Juvenalis Sat. 3.

Stat contra, starique jubet: parere necesse est:
Nam quid agas, cum te furiosus cogat, & idem
Fortior?

ductum a Marone L. 9. Aen.

Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens:
State, viri: quae caussa viae? quive estis in armis?
Quove tenetis iter?

Seneca lib. de Vita Beat. C. 7. *Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: Voluptatem latitantem saepius, ac tenebras captantem; circa balnea ac sudatoria, ac loca aedilem metuentia.* inde ad palaestram minus honestam traduxit

Nunc ligat ad ceſtum gaudentia brachia loris,
Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.
Gyrum pulſat equis, niveum latus enſe revincit,
Virgineumque cavo praetegit aere caput.
Et modo Taygeti crines adſperſa pruina
Sectatur patrios per juga longa canes.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turma lavatur aquis.

Qualis

Claudianus L. 1. in Eutrop. ℣. 95. ubi de Laide jam anu:

Seque reformidat ſpeculo damnare ſenectus:
Stat tamen, atque alias ſuccingit lena miniſtrat,
Dilectumque diu quamvis longaeva lupanar
Circuit, & retinens mores, quod perdidit aetas.

8. ET PATITUR DURO VULNERA PANCRATIO] opponunt Propertio Senecam L. 5. de Benef. C. 3. *Lacedaemonii vetant ſuos pancratio aut ceſtu decernere, ubi inferiorem oſtendit victi confeſſio.* quae quomodo concilient viri docti, diſcere poteris ex Gruteri Collectaneis ad eum Senecae locum. tamen mihi videtur Prope.tius noſter pro libertate poetica pluſculum hic ſibi indulſiſſe. tantillo tempore non poterant tantum mutaſſe mores.

9. GAUDENTIA BRACHIA LORIS] in noſtro primo, inque Borrichiano, legitur *pendentia brachia*; nec vere, nec veroſimiliter.

12. CAVO PROTEGIT AERE CAPUT] Livinejus e Vaticano, *praetegit.* quod recipiendum arbitror. Plinius Paneg. C. 15. *Veniet ergo tempus, quo poſteri viſere, viſendum tradere minoribus ſuis geſtient, quis ſudores tuos hauſerit campus, quae refectiones tuas arbores, quae ſomnum ſaxa praetexerint, quod denique tectum magnus hoſpes impleveris.* Lactantius L. 5. C. 2, de quodam libidinoſo, avaro, ac guloſo antiſtite philoſophiae: *tamen vitia ſua capillis, & pallio, &, (quod maximum eſt velamentum) divitiis praetegebat.*

16. THERMODOONTEIS TURBA LAVATUR AQUIS] noſter ſecundus *Termodonteis*; primus cum Groningano ac Borrichiano, *Thermodontiacis.* *Thermodon* dici ac ſcribi debere, non *Thermodoon*, jam pridem monitum eruditis. Videndus Erythraeus indice Virgiliano in *Thermodontis flumina*; & Pierius Valerianus Caſtig. in L. 11. Aen. ℣. 659. Seneca Herc. fur. ℣. 246. *Non vicit illum coelibis ſemper tori Regina gentis vidua Thermodontiae.* quamquam litem omnem decidere poterat unicus Silii verſus L. 8.

Perſtrepit & tellus, & Amazonius Thermodon.

itemque alter Papinii L. 1. Silv. 6.

Credas ad Tanaim ferumque Phaſin
Thermodontiacas calere turmas.

tum prioris utroque Ovidii L. 4. Pont. Epiſt. 10.

Et tu femineae Thermodon cognite turmae.

neque aliter lapides Romani. qualis hic eſt apud Gruter. LXXVI. 9.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
TI. CLAVDIUS
THERMODON

nihil erat neceſſe rem tam exiguam inculcare hac tempeſtate, qua omnes omnium vocum modulos commiſcet ac confundit inſana licentia hominum infrunitorum; ſed movere nos debet inſignis lapſus in hac ipſa voce Joannis Joviani Pontani, viri magni, nec vel trecenis poëtaſtris hodiernis comparandi. deinde pro *turba* repone *turma*, cum Jano Gulielmio, ac Nic. Heinſio Not. in Ovid. L. 3. Art. Amat. ℣. 2. in cujus operis ipſo fine haec eadem vox Naſoni reddenda venit:

Ut quondam juvenes, ita nunc mea turma puellae.

nam & ibi *turba* legitur. verum quum translationibus fere utatur ab Amazonum militia de-

Qualis & Eurotae Pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis.
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse Deos.

Lex

desumtis, & se quasi campi doctorem quemdam constituat, τὸ *turba* ferri non potest, utpote bono ordini contrarium ac disciplinae. Valerius Flaccus L. 4. ubi Phineus Jasoni itineris pericula canit, & Amazonum terram vel praecipue evitandam monet:

Ne tibi tunc horrenda rapax ad litora puppem
Ventus agat; ludo volitans cum turma superbo
Pulvereis exsultat equis; ululataque tellus
Intremit, & pugnas mota pater incitat hasta.

idem ille inlustris poëta L. 5. ẏ. 613.

ingentes animo jam prospice campos,
Atque hanc alipedi pulsantem corpora curru
Euryalen, quibus exsultet Mavortia turmis,
Et quantum elata valeat peltata securi.

Horatius quoque impuram gigantum colluviem *turmam* vocavit L. 3. od. 4. *quia* videlicet ordinem militarem servabant in oppugnando coelo:

scimus ut impias
Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum.

17. Eurotae Pollux et Castor arenis] eundem errorem fovent omnes membranae, *habenis* praeferentes. veram lectionem restituit Antonius Volscus, raro tam felix. *arena* est litus, sive ripa. Virgilius L. 5. Aen. de Darete:

Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten inmani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, & fulva moribundum extendit arena.

noster L. 1. Eleg. 8.

Nec sibi Tyrrhena solvatur funis arena.

18. Hic victor pugnis] nempe Pollux: nam *hic* & *ille* uti hoc loco, ita & apud alios poëtas non raro confunduntur, contra canones grammaticorum. quamquam non desunt, qui Pollucem equitem faciant: ut bene Passeratius hic observavit. inter eos etiam noster est, infra Eleg. 21.

Potaque Pollucis nympha salubris equo.

Virgilius L. 3. Geor.

Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

tamen Cyllarum apertissimis verbis Castori dedit Valerius Flaccus L. 1.

Oraque Thessalico melior contundere freno
Vectorem pavidae Castor dum quaereret Helles,
Passus Amyclaea pinguescere Cyllaron herba.

Pollucem jam a caestuum peritia decore collaudaverat. vide quae Servius notavit ad locum Maronis. neque negligenda est doctissimi Cerdae observatio, Servii errorem luculenter corrigentis. expressit quodammodo hunc versum doctissimus scriptor Arnobius L. 1. *Tyndaridae Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexsuperabilis caestu.* de victoria Pollucis & nece Amyci videndus Valerius Flaccus L. 4. & Lutatius in L. 3. Thebaid. Papinii ẏ. 353. illius Amyci sepulcro rododaphnem innatam auctor est apud Photium cod. 190. Ptolemaeus Hephaestio, quam qui gustassent, pugilatus studio capi solitos, & evadere pugiles felices. fecisse id Antodorum, ac terdecies victorem coronas accepisse. eumdem tamen a Dioscoro Theraeo in quarto decimo certamine victum: quemadmodum & ipse Amycus dicatur ab altero Dioscurorum superatus.

20. Nec fratres erubuisse Deos] Passeratius hic friget: Philippus autem Silvius multo etiam magis. Castor & Pollux κατ' ἐξοχὴν dicebantur DII FRATRES. Suetonius Caesar. C. 10. *Venationes autem, ludosque, & cum collega & separatim edidit: quo factum est, ut communium quoque impensarum solus gratiam caperet: nec dissimularet collega ejus M. Bibulus evenisse sibi, quod Polluci, ut enim geminis fratribus aedes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur: ita suam Caesarisque*

Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triviis ad latus esse suae.
Nec timor, aut ulla est clausae tutela puellae,
Nec gravis austeri poena cavenda viri.
Nullo praemisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis: longae nulla repulsa morae.

Non

que munificentiam, unius Caesaris dici. idem Caligul. C. 22. *partem Palatii ad Forum usque promovit, atque aede Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens saepe inter fratres Deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat.* Catullus Carm. 34.

Salax taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila.

Pedo Albinovanus Consol. ad Liviam Aug. ℣. 290.

Saepe Nero inlacrimans submissa voce loquetur,
Cur adeo fratres, heu sine fratre, Deos?

quem locum nec recte a Scaligero perceptum, pejus etiam immutatum, pulcre vindicavit Nic. Heinsius. Seneca Thyest. ℣. 628.

Quaenam ista regio est, Argos & Sparte pios
Sortita fratres?

Phoeniss. ℣. 128.

quisquis Eurotam bibit,
Spartenque fratre nobilem gemino colis.

21. LEX IGITUR SPARTANA VETAT SECEDERE AMANTES] licuisse istic juvenibus etiam ante nuptias libere versari cum virginibus, non secus ac cum pueris, tradit Agnon Academicus apud Athenaeum L. 13.

23. NEC TIMOR, AUT ULLA EST CLAUSAE TUTELA PUELLAE] vix apparet quo referri debeat istud *timor.* tentabam ego aliquando,

Nec timor est ulli clausae tutela puellae.

i. e. nec quisquam amator timet custodes dominae suae, quo minus ad eam accedere audeat palam. *timor est*, timoris caussa est. supra L. 1. Eleg. 14.

Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor.

Seneca Troad. ℣. 742.

Non sic jacemus Troës, ut cuiquam metus
Possimus esse.

25. DE REBUS TUTE LOQUARIS IPSE TUIS] unus Palatinus Gebhardi habebat *tuta*, quo etiam ire videtur noster secundus, ubi *tutae.* cave mutes quidquam. Pronomen *tute* ex Donato, Servio, & Charisio bene interpretatur Passeratius, quem Gebhardus sequi debebat, non insectari. adde nunc insignem locum Prisciani L. 12. *Sciendum quod &* MET *&* TE *adduntur pronominibus vel discretionis caussa plerumque, vel significantiae, ut Terent. in Adelph. Egomet rapui. intelligitur, ego & non alius. Cicero pro Muraena: Quid, quod cum admonueris, tamen quasi tute noris, ita salutas.* TUTE *dixit, pro Tu ipse per te, & non per alium.* huc & illa pertinent, ubi filium ad virtutis ac sapientiae amorem adhortatur pater, L. 3. de Offic. C. 3. *Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, (si discendi labor est potius, quam voluptas) tantum fac ut efficias: neve committas, ut, cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videare.* haec unice faciebant veteri lectioni tuendae. Lucretius, ut validius exprimeret mentem suam, etiam *met* addidit L. 1.

Tutemet a nobis jam quovis tempore, vatum
Terriloquis victus dictis, desciscere quaeres.

& L. 4.

Tutemet in culpa quom sis, ne cernere possis.

neque defugit magnus magister in divino opere; L. 7.

nil linquere inausum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti.

tantum abest, ut solis haec comicis sint transcribenda. & tamen vidi qui carperet in nostro poeta. immerito sane, ut vidimus, atque etiam clarius videbimus. Cicero pro Roscio Amer. C. 28. *is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit.* C. 29. *propterea quod ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit.* ibid. C. 33. *Fateor, me sectorem esse; verum & alii multi. At ego, ut*

tute

Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratae cura molesta comae.
At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quae sint facies, nec quae sint verba rogandi
Invenias. caecum versat amator iter.

Quod

tute arguis, agricola & rusticus. Divinat. in Q. Caecil. C. 10. *audebis ita accusare alterum, ut, quo minus tute condemnere, recusare non possis?* Accus. 2. in Verr. C. 55. *Hoc autem cum tute fatebere, quisquam dubitabit,* &c. pro P. Sulla C. 16. *permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti. sed nisi tibi aliquem modum tute constitueris, coges oblitum me nostrae amicitiae habere rationem meae dignitatis.* uti quidem hic locus ex libris scriptis praeclare est restitutus a Phil. Rubenio L. 1. Elect. C. 3. nam in vulgatis *modum vitae* antea legebatur. pro M. Coelio C. 29. *At propinquis placuit. cur non placeret, cum rem tute ad eos non ab aliis tibi allatam, sed a te ipsa compertam, deferre diceres?*

27. NON TYRIAE VESTES] *Nec* legitur in tribus libris.

28. EST NEQUE ADORATAE CURA MOLESTA DOMI] omnes libri habent *odoratae*, quod referunt interpretes ad unguenta, corollas, suffitus; odores: ceterum quum de cultu muliebri sit sermo, valde inclino in conjecturam Gul. Canteri, *comae* legentis pro *domi*. notum e poetis quam insanam operam ponerent puellae Romanae in comendo crine. Ovidius libello de medicamine faciei:

Vultis odoratos positu variare capillos.

& sine L. 2. Art. Amat.

Sertaque odoratae myrtea ferte comae.

id negligebant virgines Spartanae. Horatius L. 2. Od. 11.

eburna dic age cum lyra
Maturet in comtum Lacenae
More comam religata nodum.

& L. 3. Od. 14.

Dic & argutae properet Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem.

Virgilius L. 1. Aen. ubi Venus Aeneae suo apparet

Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
Spartanae. —— ——
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.

possis tamen *odoratam domum* tueri, moribus ceterorum Graecorum. sic odoratum Medeae procoetium, in quo duodecim ancillas virgines habebat, describit Apollonius L. 3. Argonaut. ℣. 837. sed non efficies ut ne istud *comae* sit multo rectius, quinimo postulat hanc vocem vox *cura*, quae ratione quadam peculiari de comis dicitur & capillis. Phaedrus L. 4. Carm. 3.

Quum se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

Valerius Flaccus L. 8. de Medea, jam confessa Jasonis uxore:

Ipsa suas illi croceo subtemine vestes
Induit, ipsa suam duplicem Cytherea coronam
Donat, & arsuras alia cum virgine gemmas.
Tum novus implevit vultus honor: ac sua flavis
Reddita cura comis: graditurque oblita malorum.

Horatius L. 1. Epist. 1.

Si curatus inaequali tonsore capillos
Occurri, rides.

ita istic habent laudatissimae membranae Viri clarissimi Jo. Georgii Graevii. ita & in tribus aliis libris invenerat eruditissimus Jo. Fredericus Gronovius; cujus industriae debemus hanc elegantem notionem voculae *cura* luculenter illustratam L. 1. Observat. C. 23.

Quod si jura fores, pugnasque imitata Laconum,
  Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

XIII.

SIc ego non ullos jam norim in amore tumultus,
  Nec veniat sine te nox vigilanda mihi:
Ut mihi praetextae pudor exvelatus amictu,
  Et data libertas noscere Amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
  Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius haud multo minus est quum ducitur annus,
  Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor: nec femina post te
  Ulla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine saeva,
  Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.

Ah

1. SIC EGO NON ULLOS JAM NORIM IN AMORE TUMULTUS] Groninganus, & Commelini liber,

Sic ego jam nolim multos in amore tumultus.

credo olim fuisse, *Sic ego jam norim nullos,* &c. sed vulgata aliquanto concinnior est.

5. ILLA RUDES ANIMOS PER NOCTES CONSCIA PRIMAS IMBUIT] expressit nostrum Seneca Troad. ỳ. 217.

Inhospitali Telephus regno impotens
Dum Mysiae ferocis introitus negat,
Rudem cruore regio dextram imbuit.

praeiverat Catullus LXI. 11.

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.

6. NULLIS CAPTA LYCINNA DATIS] nullis muneribus delinita. *data*, munera. quod ex Plauto abunde demonstravit Passeratius. usus & Ausonius hac voce. Epigr. 92.

Vince datis ambas. Cupio: verum arcta domi res.

itemque Ephemeride, si tamen id carmen auctorem habet Ausonium, ac non potius Pont. Paullinum:

Nate patris summi, nostroque salutifer aevo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,
Nil ex invidia retinens, plenusque datorum.

usus & Tullius pro Cluentio C. 24. *Ac primum Scamandro reo, tantum donis, datis, muneribusque perfecerat, ut eo auctore uteretur cupidiore, quam fides judicis postulabat.*

11. TESTIS ERIT DIRCE TAM VERO CRIMINE SAEVA] hunc versum mirifice exposuerunt interpretes. Marollius vertit: *Dircé transportée de courroux pour le sujet d'un crime averé, sera temoin qu' Antiope fille de Nyctée a couché avec Lycus son mary.* eum sequitur omnium interpretum alpha Philippus Silvius, nec vel latum unguem a praeceptore suo discedit: *Dirce stupro tam aspera testabitur Antiopem concubuisse cum Lyco suo.* an hoc est poëtam intelligere, quem exponendum susceperis? taedet & piget hiemis Gallicae. Propertii mens erat: Vel sola Dirce exemplo esse potest, quam impotenter soleatis saevire, ubi aliquid de pellice socii lecti suspicamini. porro istud *tam vero crimine*, tamquam si foret facillimum, sicco pede transierunt omnes. *verum crimen* est aequum ac justum crimen: quod Catullus extulisset *crimen non crimen.* facinus piaculare reputabat Dirce, si cum Lyco Antiope composuisset latus, id vero Antiopae, si fuisset vel maxime

xime

Ah quoties pulcros ussit regina capillos,
Molliaque immites fixit in ora manus.
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere jussit humo.
Saepe illam immundis passa est habitare tenebris:
Vilem jejunae saepe negavit aquam.
Jupiter Antiopae nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.

Si

xime deprehensa, crimini dari non poterat, utpote quam Lycus habuerat in matrimonio ante Dircen. recte itaque *verum crimen*, Justum, legitimum, non iniquum. Virgilius L. 12.

Quaecumque est fortuna, mea est: me verius unum
Pro vobis foedus luere, & decernere ferro.

Horatius L. 1. Epist. 7.

Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est.

& L. 2. Sat. 3.

An, quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, & tanto certare minorem?

ac L. 1. Epist. 12.

Utere Pompejo Grospho, &, si quid petet, ultro
Defer. nil Grosphus nisi verum orabit & aequum.

Priscianus L. 18. *Nostri quoque Verum pro justo, & Justum pro vero, frequenter ponunt.* ad Dirces historiam, praeter Hyginum atque Apollodorum, conferre non nihil potest vetus Papinii interpres Lutatius ad L. 3. Theb. ℣. 205. ad L. 4. ℣. 570. ad L. 7. ℣. 189. ad L. 9. ℣. 423. & Pausanias in Boeoticis. interea monendus es mihi, Lector, inter hunc versum, & eum qui proxime praecedit, lacunam esse aliquot distichorum, quamquam nulla apparet in manuscriptis: nisi quod in uno Colbertino est distinctio, cum hac epigraphe, FABULA ANTHIOPE. ita collige. oboluerat Cynthiae, solere aliquando cum Lycinna suum Aurelium. id nunc ipse fassus, ait in ea sese amoris tirocinium posuisse; nimirum dum licebat, & solutis frenis passim ire poterat. post adamatam vero Cynthiam nullum sibi amplius commercium fuisse cum Lycinna. ipsam itaque minus recte facturam, si, ducta suspicione futili atque inani, durius habere velit puellam immerentem. Ei se deprecatorem venire. feminae enim quam ultra modum soleant saevire in vindicando hoc crimine, sive vero, sive falso, nimis miserabili exemplo docuisse Dirces immanem atque crudelem animum. quae tamen ipsa debitas tanto sceleri poenas dederit. Haec optime conveniunt cum versu 43.

At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.

13. Ussit regina capillos] aut *ussit*, aut *jussit*, habent omnes libri. unus Regius, *traxit*: quo modo Aldina, ejusque traduces, Gryphiana, ac Plantiniana. verum est τὸ *ussit*. Tibullus L. 1, Eleg. 11.

Illic percisisque genis, ustoque capillo,
Errat ad obscuros pallida turba lacus.

& libri ejusdem Eleg. 10.

Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

noster hujus libri Eleg. 6.

Tu minitare oculos subjecta exurere flamma.

solus inventus est Robertus Titius, qui hoc loco *vulsit* legeret, L. 1. Loc. Contr. C. 16. suamque stultitiam deinde in Assertionibus intemperanter ac furiose propugnaret. Regiorum alter ex duobus distichis unum facit, huic ipsi hexametro subjiciens,

Et caput in dura ponere jussit humo.

ita ut non agnoscat duos medios versus, prave ac perperam.

19. Habenti tot mala] cave quidquam mutes. Valerius Flaccus Lib. 1. initio:

Eripe me populis & habenti nubila terrae,
Sancte pater.

v. Passeratius p. 500. b, D.

Si Deus es, tibi turpe tuam servare puellam?
Invocet Antiope quem nisi vincta Jovem?
Sola tamen, quaecumque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit utraque manu.
Inde Cythaeronis timido pede currit in arces.
Nox erat, & sparso triste cubile gelu.
Saepe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominae pone venire pedes.

Et

21. TIBI TURPE TUAM SERVIRE PUELLAM] *servire*, captivam esse, ancillari. sed melior est lectio & erectior nostri primi, Groningani Borrichiani, ac Commeliani apud Gebhardum, *tibi turpe tuam servare puellam?* an tibi dedecori fore credis, si servaveris dominam tuam, quum solus possis servare? nam quem tandem invocet misera Antiope, nisi Jovem! supra L. 2. Eleg. 18.

Jam tibi Iasonia nota est Medea carina,
Et modo servate sola relicta vire.

Jason ipse apud Nasonem Epist. Medeae:

Jus tibi & arbitrium nostrae Fortuna salutis
Tradidit: inque tua vitaque morsque manu.
Perdere posse sat est; si quem juvet ipsa potestas.
Sed tibi servatus gloria major ero.

Virgilius Ciri:

Quod te per divûm crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnae,
Ut me, si servare potes, ne perdere malis.

Ovidius L. 9. Metam.

Tu servare potes, tu perdere solus amantem.

idem Medea:

Servare potui, perdere an possim rogas?

sane ab hoc argumento colligit unus eorum, qui pueros Iliae in amne Tiberino necare jussi erant, eos non esse originis divinae, quod a patre in tanto periculo proderentur, apud eumdem poëtam L. 2. Fastor.

Si genus arguitur vultu; ni fallit imago;
Nescio quem vobis suspicor esse Deum.
At si quis vestrae Deus esset originis auctor,
In tam praecipiti tempore ferret opem.

suspicor mendum haerere in hac voce apud Valerium Flaccum L. 7. ℣. 387. ubi ita Medea:

Ipse rogat certe, meque ipse inplorat Iason.
Nullane culpa subest? labes non ulla pudoris,
Nullus amor? nec turpe viro servire precanti?

quantum ad libros; illi quidem nihil mutant. sed desidero exemplum probi ac casti alicujus scriptoris, unde convincar *servire alicui*, pro eo, quod est, consulere alicujus saluti, recte ac Latine dici. levi opella refingi posset, *virum servare precantem.* atque hoc volunt adducta nobis exempla, fere ad ipsam Medeam pertinentia. juvat & Cicero orat. pro Quintio C. 16. *Jugulare civem, ne jure quidem quisquam bonus vult. mavult enim commemorare, se, cum posset perdere, pepercisse, quam cum parcere potuerit, perdidisse.*
Si quis in nostro Aurelio contendere volet pro scriptura vulgata, ei locum Plauti indicabo, quo se tueri utcumque possit, Poen. Act. 5. Sc. 2.

si frugi esse vis,
Eas liberali jam asseras caussa manu.
Nam tuum flagituum 'st tuas populareis te pati
Servire ante oculos, domi quae fuerint liberae.

24. REGALES MANICAS RUPIT UTRAQUE MANU] insigni Barthio injuriam fecit sua memoria, hunc versum de vestium scissura exponenti, Animadv. ad L. 1. Theb. Statii ℣. 593. noster de catenis loquitur. Virgilius L. 2. Aen.

Ipse viro primus manicas atque arta levari
Vincla jubet Priamus.

Lucilius L. 30. Sat.

Sic laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.

27. ASOPI SONITU PERMOTA FLUENTIS]

fluis

Et durum Zethum, & lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos quum ponunt aequora motus,
Eurus in adversos desinit ire notos,
Litore si tacito sonitus rarescit arenae:
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera tamen pietas; natis est cognitus error.
Digne Jovis natos qui tueare senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis.

Antiope

fluit enim rapide, uti decet animosum amnem, qui non timuit olim contra ipsum Jovem arma sumere. Papinius L. 7. Theb.

Asopos genuisse datur, dignusque videri
Tunc pater, abruptis cum torrentissimus exis
Pontibus, aut natae tumidus cum virginis ultor
Flumina concussit, generum indignata tonantem.
Namque ferunt raptam patriis Aeginan ab undis
Amplexu latuisse Jovis. furit amnis, & astris
Infensus bellare parat. (nondum ista licebant
Nec superis.) stetit audaces effusus in iras,
Conseruitque manum, nec quem imploraret habebat.
Donec vix tonitru submotus, & igne trisulco
Cessit. adhuc ripis animosus gurges anhelis
Fulmineum cinerem, magnaeque insignia poenae
Gaudet, & Aetnaeos in coelum efflare vapores.

29. Durum Zethum] Seneca Herc. fur. ℣. 916.

Tu conditores urbis, & silvestria
Trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquae,
Laremque regis advenae Tyrium coles.

31. Ac veluti magnos quum ponunt aequora motus] Virgilius L. 1. Aen.

Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces & saxa volant; &c.

super hac locutione, *ac veluti*, videndus Erythraeus Ind. Virgil. in *At.* *fluctus* habet Groninganus. puto esse glossema τοῦ *motus.*

32. Eurus in adversos] hic iterum repeti debet τὸ *quum* vide notata ad L. 2. Eleg. 24. ℣. 12. in versu sequente *si* legendum est, non *sic*: neque audiendus Passeratius, Scaligero obstrepens; in hoc dumtaxat ut obstrepat.

34. Sic cadit inflexo lapsa puella genu] noster primus, unusque Gebhardi, *lassa.* sed nihil refingendum. Virgilius L. 6. Aen.

Quam multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia.

35. Natis est cognitus error] Seneca Phoeniss. ℣. 451.

error invitos adhuc
Fecit nocentes. omne Fortunae fuit
Peccantis in nos crimen.

Groninganus, *ordo.* i. e. series totius rei gestae. operose id defendit Gebhardus post Palmerium: sed cur damnes lectionem receptam? errabant nati, neque noverant suam ipsorum matrem. Hyginus Fab. 8. *Ea, occasione nacta, fugae se mandavit. Devenit ad filios suos. Ex quibus Zethus existimans fugitivam, non recepit. —— Sed ab educatore pastore adolescentes certiores facti, eam esse matrem suam, celeriter consecuti matrem, eripuerunt.*

36. Digne Jovis natos qui tueare senex] mirum, istius senis nomen tam fuisse ignorabile. Apollodorus βουκόλον vocat; *pastorem* Hyginus, & Lutatius. nihil ultra.

38. Trahendam Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis] Jo. Bernartius, ad L. 3. Theb. Statii ℣. 204, Dircen caudae indomiti equi adligatam dicit. errore memoriae, credo: neque enim ullum nominat

Antiope cognosce Jovem. tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures.
Te solam & lignis funeris ustus amem.

auctorem. Et tamen e Phoenissis Senecae, qui ei familiaris atque in deliciis erat, poterat haec meminisse,

Vel qua cucurrit corpus invisum trahens
Zethi juvencus, qua per horrentes rubos
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas.

superest etiam nunc Romae in pictura Dirce a' tauro tracta. super qua videndus Andreas Schottus in Observationibus Humanis. ubi & veterum scriptorum loca, qui hujus tauri meminerunt, tamquam in uno fasciculo comprehenduntur. iis tu adjicere potes notata Lutatio in Papin. L. 3. Theb. ỳ. 205. in L. 4. ỳ. 570. quae Schottus praetermisit.

41. PRATA CRUENTANTUR] hos duos versus, sic satis obscuros, nequaquam intellexerunt interpretes, alius alium exscribere contenti. meliora attulit heros Palmerius Grentemenilius, vir & armorum & literarum gloria florentissimus, L. 4. Graeciae antiquae C. 10.

46. TE SOLAM ET LIGNIS FUNERIS USTUS AMEM] hausit de suo Cicerone, orat. post reditum ad Quirites C. 10. *Quapropter memoriam vestri beneficii colam benivolentia sempiterna, non solum dum spirabo, sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficii permanebunt.*

XIV.

NOx media, & dominae mihi venit epistola nostrae:
Tibure me nulla jussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.

Quid

1. v. Cicero Paradox. 5. C. 2.

2. MISSA JUSSIT ADESSE MORA] ita Seneca Thyest. ỳ. 705.

ultro Deos
Terret minantes: jamque dimissa mora
Assiluit aris, torvum & obliquum intuens.

sed nostri libri, *nulla jussit adesse mora.* Ovidius Epist. Didûs:

Ipse sono tenui dixit, Elissa veni.
Nulla mora est; venio. venio tibi debita conjux:
Sed tamen admissi tarda pudore mei.

Virgilius Eclog. 3.

Quin age, si quid habes: in me mora non erit ulla.

Terentius Andr. Act. 3. Sc. 4. —— *nunc per hunc nulla'st mora.* & rursum Act. 5. Sc. 6.

Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam.

adesse dixit noster, non *venire*; ut summam notaret celeritatem. hanc ob rem *nulla* potius placet, quam *missa.* accedit quod poëtae libentius dicunt *moras rumpere*, quam *mittere.*

4. ET CADIT IN PATULOS LYMPHA ANIENA LACUS] unus Regius, unus Colbertinus, no-

Quid faciam? obductis committam méne tenebris,
    Ut timeam audaces in mea membra manus?
At si haec distulero nostro mandata timore,
    Nocturno fletus saevior hoste mihi.
Peccaram semel, & totum sum pulsus in annum.
    In me mansuetas non habet illa manus.

Nec

nostrique duo, *Nympha Aniena* praeferunt. quod verum est: & jam in primitus cusis legebatur. *Lymphas* appellabat vetustas, quas Graeci *Naidas*, nos *Nymphas* vocamus. videndus Festus in *Lymphas*; & Servius ad L. 7. Aen. ℣. 377. tum vir insigniter eruditus, nec satis suo habitus pretio, Petrus Nannius nostras L. 4. Miscell. C. 3. quibus addere potes Nic. Heinsium Not. in Ovid. Epist. Oenon. ℣. 31. redde & Horatio vocem suam, ex fide praestantissimi illius codicis Graeviani, L. 3. Od. 13.

Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Nymphae desiliunt tuae.

& Epod. 16.

Mella cava manant ex ilice: montibus altis
Levis crepante nympha desilit pede.

ibi in glossa marginali legitur: *respexit ad pedem nympharum.* credo voluit dicere, quicumque ille fuit glossator, poëtam strepitum aquae cadentis contulisse cum choreis nympharum, tellurem pedibus plaudentium. in Catullo quoque non aliter legendum, Epithal, Juliae & Manlii, notante ex membranis Achille Statio:

Perge linquere Thespiae
Rupis Aonios specus,
Nympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe.

qui locus me monet emendationis Nic. Heinsii, *patulos specus* in hoc ipso Propertii versu legentis, pro *lacus.* sustinebimus adsensum, donec prodeant jam pridem exspectatae summi viri Notae in poëtam nostrum. interea videamus si possit defendi vulgata. specus iste, in quo leonibus objectus fuit Daniel, Prudentio *lacus* dicitur, Hym. 4. Cathemer. de Habacuco:

Tum raptus simul ipse prandiumque,
Sensim labitur in lacum leonum.

illi autem sive lacus, sive specus, in quos magno cum sonitu praecipitatur Anio, *stagna* (quae vox fere cum lacu tantumdem valet) audiunt Papinio L. 1. Silv. 3.

Illis ipse antris Anienus fonte relicto,
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili prosternit pectora musco:
Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas.

Sed quid moror? *lacus* jam dixerat paullo ante in eodem illo bellissimo poëmatio:

Quid referam alternas gemino super aggere mensas,
Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes?

Varro Lib. 4. de L. L. *lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest.*

4. ANIENA LACUS] v. Spon. voyag. T. 1. pag. 36, 37.

5. OBDUCTIS COMMITTAM MÉNE TENEBRIS] haec sunt valde laxa. scripserat puto noster, *me committámne*, numero nonnihil compositiore. quod si ita est, non deseruerit suum Ciceronem, Philipp. 10. C. 2. *Filius, ut & audio, & spero, natus ad laudem: cui cum reipublicae caussa faveo, tum etiam tua. Quaero igitur, cum Brutine similem malis, an Antonii?* ibid. C. 6. *Quod si ipsa respublica judicaret, aut si omne jus decretis ejus statueretur, Antoniόne, an Bruto legiones populi Romani adjudicares?* Philipp. 12. C. 8. *Quid? vitae censetisne, patres conscripti, habendam mihi aliquam esse rationem?* Philipp. 5. C. 4. *Quid? illi immanes quaestus ferendine, quos M. Antonii tota exhausit domus?*

9. PECCARAM SEMEL, ET TOTUM SUM PULSUS IN ANNUM] contra omnes libros faciunt, qui *peccarem* scribunt, aut *peccarim.* τὸ *pulsus* valet exclusus. pro eo *passus* est in altero Regio, & nostro secundo. perperam, & ex glossa.

Nec tamen eſt quiſquam ſacros qui laedat amantes.
  Scironis medias his licet ire vias.
Quiſquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
  Nemo adeo, ut noceat, barbarus eſſe volet.
Luna miniſtrat equis: demonſtrant aſtra ſalebras:
  Ipſe Amor accenſas praecutit ante faces.
Saeva canum rabies morſus avertit hiantes.
  Huic generi quovis tempore tuta via eſt.
Sanguine tam parvo quis enim ſpargatur amantis
  Improbus? excluſis fit comes ipſa Venus.

Quod

12. SCIRONIS MEDIA SI LICET IRE VI] adſentior Nic. Heinſio, legenti, Not. ad Ovid. L. 14. Metam. ℣. 748,

Scironis medias his licet ire vias.

quam locutionem ubertim illuſtravit Thomas Munckerus in Hygin. C. 38.

15. LUNA MINISTRAT ITER] unus Regius, *miniſtrat equis.* noſter L. 2. Eleg. 18. ℣. 35.

Adſpice uti coelo modo Sol, modo Luna miniſtrat.

ſic Maro dixit *velis miniſtrare*, L. 6. Aen. ellipſi elegante.

Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat.

& L. 10.

Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipſe ſedens clavumque regit, veliſque miniſtrat.

Tacitus Germ. C. 44. *forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam ſemper appulſui frontem agit: nec velis miniſtrant, nec remos in ordinem lateribus adjungunt.* venuſtiſſimus poëta Gratius Cyneget. ℣. 314. de luxuria:

Haec illa eſt, Pharios quae fregit noxia reges,
Dum ſervata cavis potant Mareotica gemmis,
Nardiferumque metunt Gangem. vitiiſque miniſtrant.

tam bonis ſponſoribus accipio ſcripturam libri regii, vulgata non paullo meliorem. nam ut quam celerrime ſiſteret ſe apud dominam ita volentem, opus habebat equis in itinere nocturno. addit autem multo lepidiſſime praevolantem cum facibus Cupidinem, ex more viantium in tenebris, etiam hodie, ubi praecurſores copioſo lumine lamas & ſaxa & ceteras orbitarum difficultates ſollicite explorant. Cicero L. 16. ad Attic. Epiſt. 13. *obviam mihi fit tabellarius, qui me offendit* δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. *ego ſtatim, Cedo, inquam, ſi quid ab Attico. nondum legere poteramus, nam & lumina dimiſeramus; nec ſatis lucebat.* Suetonius Aug. C. 29. *Tonanti Jovi aedem conſecravit, liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur praeſtrinxiſſet, ſervumque praelucentem exanimaſſet.* Plura, quae huc faciant, congeſſit Merula ad Ennium p. 390.

16. PERCUTIT ANTE FACES] Paſſeratius legit *perculit.* quod non placet. τὸ *percutit* poteſt idem valere quod ſimplex *quatit.* ſic L. 1. Eleg. 3.

Et quaterent ſera nocte facem pueri.

Ovidius *concutere* dixit L. 1. Amor. Eleg. 2.

Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas,
  Et vidi nullo concutiente mori.

& *excutere* L. 1. Art. Amat.

Et mihi cedet Amor: quamvis mea vulneret arcu
  Pectora, jactatas excutiatque faces.

ſed non eſt inſuper habenda ingenioſa correctio Nic. Heinſii, *praecutit* reponentis Not. ad L. 4. Metam. Ovid. ℣. 757. nimirum in τῷ *percutit* ordine ſuo exciderant primores literae. *praecutit ante* elegante pleonaſmo dicitur. de qua figura notatum aliquid ad L. 2. Eleg. 2. ℣. 14.

20. EXCLUSIS FIT COMES IPSA VENUS] non ſatis capio, quo debeat iſtud *excluſis* referri. nam ſane in hac tota elegia de excluſione

Quod si certa meos sequerentur funera casus,
  Talis mors precio vel sit emenda mihi.
Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
  Ornabit custos ad mea busta sedens.
Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
  Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
  Me tegat arborea devia terra coma.
Aut humet ignotae tumulus vallatus arenae.
  Non juvat in media nomen habere via.

sione verbum fit nullum; dumtaxat de periculis itineris nocturni, unde arbitror (da veniam, si fallor) esse refingendum *in cursu*, h. e. in itinere. Virgilius L. 3. Aen.

Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.

eodem libro:

Placemus ventos, & Gnosia regna petamus:
Nec longe distant cursu.

Cicero orat. pro lege Manil. C. 12. *Atque haec, qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Quis enim umquam, aut obeundi negotii, aut consequendi quaestus studio, tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter, Cn. Pompejo duce, belli impetus navigavit?*

22. Talis mors precio vel sit emenda mihi] Cicero L. 9. ad Attic. epist. 5. *quid si non ἰταλῷ solum, sed etiam ἰαπυγίῳ? adde, tali viro, talem causam agenti: & ego vero haec efficia mercanda vita puto.* & Accus. 5. in Verr. C. 28. *Quorum ego de acerbissima morte crudelissimoque cruciatu dicam, cum eum locum tractare coepero: & ita dicam, ut, si me in ea querimonia, quam sum habiturus de istius crudelitate, & de civium Rom. indignissima morte, non modo vires, verum etiam vita deficiat, id mihi praeclarum & jucundum putem.* propius etiam Orat. pro domo C. 28. *ille unus dies, quo die me populus Romanus a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate laetitiaque comitatum honestavit, tantae mihi jucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vis non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur.* fuit sane Propertius Tullii sui studiosus admirator: quod non animadvertisse doctores scholasticos, jure aliquis mirari possit.

28. Me tegat arborea devia terra coma] pariter Franc. Marius Molsa, in illa sua cycnea cantione:

Quod mihi si tumulo vobis curantibus arbor
  Ingruat, & virides explicet alta comas;
Quae circum nitidis, aestus dum saevit, obumbret
  Frondibus, & scissam tegmine opacet humum;
Jam mihi pyramides, regum monumenta, valete,
  Et quidquid miri barbara Memphis habet.

& mellitissimus Lotichius L. 3. Eleg. 9. ad J. Sambucum.

Ante fores templi, nudoque sub aethere, tellus
  Accipiat gremio frigida membra suo.
Jamque vale, & tenera bustum superintege myrto.
  Non poterit cineres illa gravare meos.

ac M. Antonius Flaminius:

Dehinc tumulum viridi componit margine ripae,
  Qua vetus arboreis decidit umbra comis.

XV.

XV.

NUnc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris.
Da mihi bacchato vela secunda, pater.
Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes.
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus in caelum vecta Ariadna tuis.

Hoc

2. DA MIHI PACATO VELA SECUNDA] primus noster *pacato.* Douza P. & Joannes Auratus legebant *pacatus.* quod poterat defendi auctoritate non tralatitia. Ovidius initio L. 4. Metam.

Pacatus mitisque, rogant Ismenides, adsis:
Jussaque sacra colunt.

& L. 3. Fast.

Mite caput, pater, huc placataque cornua vertas,
Et des ingenio vela secunda meo.

Papinius L. 3. Silv. 1. ad Herculem:

Pacatus mitisque veni, nec turbidus ira,
Nec famulare timens.

sed non libet argutari in re clara. Groninganus habet *baccato*; secundus noster *bacchato.* quod verum est, neque alia eget adstructione.

3. VENERIS COMPESCERE FASTUS] Gebhardus e libris Palatinis & Commel. membr. reponit *componere*; quod est, inquit, paullatim abolere ac sepelire. atqui in sacris Liberi patris si coërcetur tumultus insanae Veneris, id profecto fit tumultu alio, neque mitiore, neque saniore. mihi, si quid mutandum, non displicet *fluctus*, quod pro *fastus* alicubi legi testatur Passeratius. & hac ratione admittam Gebhardi *componere.* sed Passeratius librum, unde suum istud depromserit, nullum nominat. alioqui *fluctus* optime conveniunt Veneri e pelago natae. Sed, ut verum dicam, satius est, uti nihil mutetur citra necessitatem. pariter locutus est Naso. Epist. Paridis ℣. 229.

Saepe mero volui flammam compescere: at illa
Crevit; & ebrietas ignis in igne fuit.

Art. Amat. L. 3.

Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.

& L. 4. Tristium Eleg. 6.

Tempore Poenorum compescitur ira leonum;
Nec feritas animo, quae fuit aute, manet.

Plinius L. 14. C. 20. *Vehementius id fieri arbitrantur crudo flore resinae, excitarique lenitatem. E diverso crapula compesci feritatem nimiam, frangique virus.* proprie ad rem nostram Tibullus L. 1. Eleg. 2.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor.
Neu quisquam multo persusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.

8. LYNCIBUS IN CAELUM VECTA ARIADNA TUIS] non solus Propertius, quod Passeratius credidit, ipsam Ariadnam in coelum relatam scripsit, quum alii id tantum intelligant de corona Ariadnae. Ovidius L. 3. Fastor. ℣. 507.

audibat jam dudum verba querentis
Liber, ut a tergo forte secutus erat.
Occupat amplexu, lacrimasque per oscula siccas:
Et, Pariter coeli summa petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sume.
Jam tibi mutatae Libera nomen erit.
Sintque tuae tecum faciam monumenta coronae;
Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.

& L. 1. Art. Amat.

Cui

Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat utroque meum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea:

Ipse

Cui deus, En adsum tibi cura fidelior, inquit:
Pone metum; Bacchi, Gnosias, uxor eris.
Munus habe coelum: coelo spectabile sidus
Saepe reges dubiam Cressa Corona ratem.

Seneca Oedip. ℣. 498.

Ducitur magno nova nupta coelo.
Solemne Phoebus carmen
Edit infusis humero capillis.
Concutit taedas geminus Cupido.
Telum deposuit Jupiter igneum,
Oditque Baccho veniente fulmen.

quamquam in Hercule furente, siquidem & hoc drama ejusdem est poetae, aliter statuisse videri potest, ℣. 18.

Nec ipse tantum Bacchus, aut Bacchi parens,
Adiere superos: ne qua pars probro vacet;
Mundus puellae serta Gnossiacae gerit:

ubi par est ipsam puellam intelligere, cum sua sibi corona. sic enim Phaedra in Hippolyto, verbis minime perplexis, ℣. 663.

Te, te, soror, quacumque siderei poli
In parte fulges, invoco ad caussam parem...

Lactantius L. 1. C. 10. *Delatus Diam* [Liber] *cum semiviro comitatu, nactus est impudicam mulierem in litore: ac fiducia victoriae Indicae vir esse voluit, ne nimium mollis videretur: atque illam patris proditricem, fratris interemtricem, ab alio relictam & repudiatam, in conjugium sibi vindicavit; & Liberam fecit & cum ea pariter adscendit in coelum.* (qui locus facundissimi & sanctissimi Viri, libros nostros vetustos erroris convincit, in quibus *ad coelum vecta.*) Probus grammaticus in Virgil. L. 1. Geor. ℣. 222. *Ariadnes autem coronae talis historia traditur. Adamatus Theseus ab Ariadne, cum ejus opera interfecto Minotauro labyrinthi evasisset errorem, & corruptam in insula Dia dormientem reliquisset; Liber eam adamavit, & ejus capiti coronam detractam misit in coelum, quae sidus facta est, quod est post Erigonem, ipsam autem Ariadnem, matrimonio sibi junctam, Liberam appellavit, immortalitate donatam.* hos duces bono jure secutus est vir summus Daniel Heinsius in vernaculo Bacchi Hymno, multae eruditionis poemate:

Naar dat de soete strydt ten einde was gekomen,
Heeft hy de blyde bruidt in zyne keets genomen,
Verheven in de locht, en daar gestelt ten toon,
Dicht aan het beeldt dat knielt, een schoone gouden kroon.

10. VEL TUA VINA] omnes libri, *aut tua vina.* parum refert. Janus Parrhasius, vir inter primos literarum Romanarum sospitatores, hunc versum laudans, *vel tua dona* protulit Epist. 33. utrum e libro, an verò errore memoriae, non habeo dijudicare.

11. VACUOS NOX SOBRIA TORQUET AMANTES] *vacui* dicuntur amantes, qui soli cubant. noster L. 2. Eleg. 7.

At tu non una potuisti nocte vacare
Impia: non unum sola manere diem.

& hujus libri Eleg. 4.

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

imitatus est nitidissimus ille Veneris Romanae columbus Secundus noster L. 2. Eleg. 8.

Et modo in alterius se jurat amore perire,
Nec vacuum ad flammas pectus habere novas.

12. SPESQUE TIMORQUE ANIMUM VERSAT UTROQUE MODO] in libris nihil sani. nisi quod Groninganus habet, *animum vexat utrimque meum.* lege *versat*, & habebis rem factam. Passeratius & Gebhardus malebant *utroque*: i. e. in utramque partem. nec valde repugno. Ovidius Remed. Amor.

Secta bipartito cum mens discurrit utroque.

sane & primae editiones habent *utroque.*

Ipſe ſeram vites, pangamque ex ordine colles,
Quos carpant nullae me vigilante ferae:
Dummodo purpureo ſpument mihi dolia muſto,
Et nova preſſantes inquinet uva pedes.
Quod ſupereſt vitae, per te, & tua cornua, vivam:
Virtutiſque tuae, Bacche, poëta ferar.
Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nyſaeis arma fugata choris:
Veſanumque nova nequiquam in vite Lycurgum:
Pentheos in triplices funera grata greges:
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea deſiluiſſe rate.
Et tibi per mediam benecolenti flumine Naxon,
Unde tuum potant Naxia turba merum,
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.

Lae-

15. IPSE] v. Beroaldus in Politian. Ruſtic. p. 39.

21. DICAM EGO MATERNOS AETNAEO FULMINE PARTUS] Papinius L. 2. Thebaid.

Et tunc forte dies noto ſignata Tonantis
Fulmine, praerupti cum te, tener Evie, partus
Transmiſere patri.

memorabilis iſtic eſt Lutatii nota: *primus natalis Liberi, quo fulminata eſt Semele, & exſecto utero Liber Jovis femori inſertus. Secundus enim dies natalis Dionyſii ille dicitur, quo, exactis menſibus legitimi partus, Jovis eſt productus ex femore: quem diem homini ſcire fas non eſt.* Hauſit haec doctiſſimus Grammaticus ex aliquo ſcriptore antiquo, qui nobis periit. qualia multa in egregio eo commentario, ſed quae non raro ſub adſutis aliunde pannis deliteſcunt.

24. PENTHEOS IN TRIPLICES FUNERA GRATA GREGES] Seneca Phoeniſſ. ℣. 15.

Qua per obſcurum nemus,
Silvamque opacae vallis inſtinctas Deo
Egit ſorores mater, &, gaudens malo,
Vibrante fixum praetulit thyrſo caput.

25. CURVAQUE TYRRHENOS DELPHINUM CORPORA NAUTAS] floride haec exſequitur Seneca Oedip. ℣. 449. v. inibi Delrius Com. p. 111. Servius ad L. 1. Aen. ℣. 71. *habet fabula, dormientem in litore Liberum patrem puerum nautas abſtuliſſe Tyrrhenos. qui quum eſſet experrectus in navi, quo duceretur, interrogavit. responderunt illi, quo vellet. Liber ait, ad Naxum inſulam ſibi ſacratam. ſed quum alio vela deflecterent, iratum numen tigres ſibi ſacratas viſibus eorum obiecit: quo terrore ſe illi in fluctus dedere praecipites.* omittit potiſſimam miraculi partem, ſtatim verſos fuiſſe in delphinas. quod, ſuo more, floridiſſime atque amoeniſſime exſequitur Naſo L. 3. Metam. ℣. 606. ſatis fuſe. ſed poteſt ut Servius hac ſui parte ſit mutilatus: neque enim integrum eum ad nos pervenire ſivit longae aetatis ſiniſteritas.

30. LYDIA MITRA] Seneca *Tyriam* vocat, Oedip. ℣. 413.

Te decet vernis comam floribus cingi,
Te caput Tyria cohibere mitra.

hoc ad colorem purpureum refert Delrius Com. p. 106. Valerius Flaccus candidam facit, II. 271.

teneat virides elatus habenas
Ut pater, & nivea tumeant ut cornua mitra,
Et facer ut Bacchum referat ſcyphus.

poterat ſane Bacchus mitras habere non

unius

Laevis odorato cervix manabit olivo;
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae:
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta Dea magna Cybebe
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

unius coloris. ipse noster Delrius juvat 2, 22, 15.

Quas quum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
Solverit.

Juvenalis Sat. 3.

Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.

30. Mitra] Valerius Flaccus II. 271. Seneca Herc. fur. ℣. 471. Oedip. ℣. 413.

32. Et feries nudos veste fluente pedes] Bacchus fingebatur cothurnatus, observante magno Turnebo L. 25. Adv. C. 30. qualis & vatum habitus fuit. Valerius Flaccus L. 1.

Hic vates, Phoebique fides non vana parentis,
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes.

unde Passeratius malebat *pedes nitidos.* quod tamen non procedit, si uvas jam modo presserat Liber pater. Sed fingamus nobis oportet Bacchum descendentem de lacu, injecta sic temere veste, ne frigus laedat labore defessum ac sudantem. eam Lyaei bassaram ultra modum extendit Seneca Oedip. ℣. 425. vide notas in Tibull. 1, 8, 46.

Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste cum longa tegeres leones,
Omnis Eoae plaga vasta terrae,
Qui bibit Gangem, niveumque quisquis
Frangit Araxen.

35. Vertice turrigero juxta Dea magnae Cybelle] Cybelen proprie vocabant *magnam deam.* vide quae ante sesquisaeculum ad Galliambum Catulli docte notavit Achilles Statius. ubi & hic ipse versus inlustratur. hoc autem loco non *Cybelle* legendum est, sed *Cybebe.* quam rem, novam fortasse multis, firmissimis rationibus liquidissimisque argumentis demonstravit Vir illustris Marquardus Gudius not. in Phaedr. L. 3. fab. 20. & tetigerat olim in Virgilio cum Graecis collato doctissimus homo Fulvius Ursinus.

40. Qualis Pindarico spiritus ore tonat] Groninganus, cum nostris, *sonat.* frustra. splendidissimum, & quale veterum nullus, Pindaro tropaeum fixit nullo veterum minor Daniel Heinsius. Monobibli. Eleg. 14.

XVI.

PLausus ab umbroso qua ludit Pontus Averno,
Fumida Bajarum stagna tepentis aquae,
Qua jacet & Trojae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via:
Hic ubi, mortales dextra quum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere Deo:

At

1. PLAUSUS AB UMBROSO QUA LUDIT PONTUS AVERNO] libri fere *Clausus*: quod e suo codice bene mutavit Scaliger. legebatur & *Plausus* in priore Palatino Gebhardi. Virgilius L. 2. Georg.

An memorem portus, Lucrinoque addita claustra;
Atque indignatum magnis stridoribus aequor,
Julia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis.

videndus ibi Servius.

2. HUMIDA BAJARUM STAGNA TEPENTIS AQUAE] expressit quodammodo hunc nostri locum (nec semel tale quid facit) Papinius L. 3. Silv. 2.

Surgite de vitreis spumosae Doridos antris,
Bajanosque sinus, & feta tepentibus undis
Litora, tranquillo certatim ambite natatu.

hic autem legendum cum Scaligero *Fumida*. testis idem ille poeta Neapolitanus L. 1. Silv. 5.

Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem?
Nec si Bajanis veniat novus hospes ab oris,
Talia despiciat.

& L. 3. Silv. 5.

Nec desunt variae circum oblectamina vitae:
Sive vaporiferas blandissima litora Bajas,
Enthea fatidicae seu visere tecta Sibyllae
Dulce sit, Iliacoque jugum memorabile remo.

& L. 4. Silv. 3.

Gaudent Euboicae domum Sibyllae,
Gauranosque sinus, & aestuantes
Septem montibus admovere Bajas.

5. HIC UBI MORTALES DEXTRA QUUM QUAERERET URBES] pessime Beroaldus *conderet* reponit: aut, si rectum sit τὸ *quaereret*, aedificandas vel habitandas subintelligit. *Quaerere* est acquirere, comparare, domare, rapere. noster L. 4.

Bis mihi quaesitae, bis mea praeda, boves.

Justinus L. 2. C. 3. de Scythis: *imperium Asiae ter quaesivere: ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut invicti mansere.* L. 41. C. 5. *Sic Arsaces, quaesito simul constitutoque regno non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decedit.* itaque *dextra*, sive *manu*, *quaerere* valet, per vim ac virtutem militarem sibi comparare. nam eam notionem habet τὸ *manus* apud optimum quemque auctorem. Pomponius L. 2. de Origine Juris: *initio civitatis nostrae populus sine certa lege, sine jure certo primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur.* Sallustius Jugurth. C. 5. *Populus Romanus, quascumque urbes & agros manu ceperat, regi dono dedit.* & C. 106. *ac fuere qui dicerent, manu vindicandum, neque tantum scelus inultum relinquendum.* Virgilius L. 2. Georg.

Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea.

propius etiam ad nostrum Horatius L. 3. Od. 3.

Aurum inrepertum, & sic melius situm
Cum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus,
Omne sacrum rapiente dextra.

6. CYM-

At nunc invisae magno cum crimine Bajae,
Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas;
Errat & in vestro spiritus ille lacu.

Quid

6. CYMBALA THEBANO CONCREPUERE DEO] capitalis ille interpres Parisinus, quid instrumenti fuerit *cymbalum*, turpiter ignoravit. ita enim resolvit hunc versum: *in eodem ipso loco, in quo erotala crepitum ediderunt divo Thebano.* meliora hunc ignorantiae antistitem edocere poterat Philippus Rubenius L. 7. de Re Vestiaria C. 17. & Laurentius Pignorius, egregio Commentario de Servis. ut omittam tot alios antiquitatum illustratores. non legerat iste in carmine libero, *Cymbala cum crotalis, pruriginis arma,* &c. non haec Ciceronis, orat. in L. Pison. C. 9. *quos neque Hercule ego, neque collegae tui cymbala ac crotala fugi.* sed ista non legunt T. E. C. P. quaerant proinde in suo Calepino.

9. HIS PRESSUS] nempe in Bajano; ut contra Scaligeri Stabianum, quod ex prava Servii lectione enatum erat, bene docuit magnus Lipsius in L. 1. Annal. Taciti C. 3.

9. STYGIAS VULTUM DEMISIT IN UNDAS] unus Palatinus Gebhardi habebat *vultum demersit.* quod passive ac poetice sumi debet, pro *demersus est vultum.* passive extulit Minucius Felix: *Sol demergit, & nascitur: astra labuntur, & redeunt.* in eadem re *submergendi* verbo utitur Ovidius L. 1. Amor. eleg. 9. ubi de Homero:

Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno.

10. ERRAT ET IN VESTRO SPIRITUS ILLE LACU] credebant enim veteres, animas eorum, qui in aquis periissent, non descendere in orcum; sed circa eas ipsas aquas vagari atque oberrare. pulcre hunc locum illustravit nuper Vir multarum literarum Petrus Petitus L. 3. Miscell. Observ. C. 22. *Spiritum* pro anima poni, atque hac ratione pro umbra, non est rarum, neque insolitatum: quamquam id Passeratius se posse confirmare exemplis negabat. Ovidius L. 15. Metam. aut Pythagoras, si voles:

Omnia mutantur: nihil interit. errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus: eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster: nec tempore deperit ullo.
Utque novis fragilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem;
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eamdem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.

L. 1. Trist. Eleg. 5.

Spiritus & vacuas prius hic tenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo;
Quam subeant animo meritorum oblivia nostro.

& multo clarissime L. 3. Eleg. 3.

Atque utinam pereant animae cum corpore nostrae,
Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos!
Nam si morte carens vacuam volat altus in auram
Spiritus, & Samii sunt rata dicta senis;
Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras,
Perque feros manes hospita semper erit.

neque refugit hunc vocabuli hujus usum nitidissimus Lotichius L. 3. Eleg. 7.

Spiritus e tenebris translatus in arva piorum
Vivit, & aeternae munera lucis habet.

juvat, opinor, Tacitus L. 16. Annal. C. 34. ubi Thraseae exitus: *illustrium virorum feminarumque coetus egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis doctori: tum quo ut conjectare erat intentione vultus, & auditu, si qua clarius proloquebantur, de natura animae, & dissociatione spiritus corporisque inquirebat.* clarissime Apulejus L. 2. Metam. p. 39. ed. Pric. *Zachlas adest Aegyptius, propheta primarius, qui mecum jamdudum grandi praemio pepegit, reducere paullisper ab inferis spiritum, corpusque istud postliminio mortis animare.* Hier. Fracastorius, veteribus non minor, Epitaphio Molsae:

Cer-

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Caesaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes: huc primus, & ultimus ordo,
Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.

Ille

Coetibus at Superûm fruitur nitidissimus almis,
Itque comes magno spiritus Hippolyto.

15. OCCIDIT, ET MISERO STETERAT VIGESIMUS ANNUS] locus notabilis: neque est alius apud ullum auctorem, unde nobis constare possit de Marcelli aetate. ex τοῦ *steterat* recte colligas, nondum viginti annos implevisse. hinc emendari potest Servius in L. 6. Aen. ℣. 861. *Significat Marcellum filium Octaviae sororis Augusti, quem sibi Augustus adoptavit. Hic decimo sexto anno incidit in valetudinem: & periit decimo octavo in Bajano, cum aedilitatem gereret.* nimirum multa passim depravarunt librarii in bonis scriptoribus, quum literas eas, quibus numerus indicabatur, conjungerent, & ex iis vocem aliquam efficerent: & rursus quum numerorum notis uterentur, vocum integrarum loco. illustribus id exemplis testatum fecerunt passim viri eruditi, quos exscribere nunc quidem nihil attinebat. talem autem errorem in his ipsis Servii verbis fuisse commissum, valde est vero simile. eum redimemus alio loco ejusdem doctissimi grammatici ad L. 1. Aen. ℣. 716. PESTI DEVOTA FVTVRAE. *ideo ergo* infelix. PESTI *autem vel amori, vel malo.* DEVOTA *vero de oratione Augusti translata est locutio, quam habuit in tralatione funeris Marcelli, cum diceret, illum immaturae morti devotum fuisse.* pessime schedae Petri Danielis habebant, *in Minturne monte devotum fuisse.* quod Scaligerum in errorem induxit non levem.

17. ET TECUM FINGE TRIUMPHOS] in altero Colbertino, nostroque secundo legitur *centum finge tr.* quod non videtur de nihilo. sed & vulgata recta est.

18. STANTIAQUE IN PLAUSUM TOTA THEATRA JUVENT] observa & uni datum fuisse plausum, & adsurrexisse plaudentem populum. Cicero orat. pro P. Sextio C. 55. *auctori ipsi, atque absenti senatui plausus est ab universis datus: deinde, cum senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus. Cum vero ipse, qui ludos faciebat, consul assedit: stantes, &, manibus passis gratias agentes, & lacrimantes gaudio, suam erga me benivolentiam ac misericordiam declararunt.* quem locum exponens Nic Abramus, nescio unde *fremant* scripserit, in adducto hoc versu, pro *juvent.*

18. JUVENT] non est mutandum, ut Heinsio videbatur. Lucanus de Pompejo, *plausuque sui gaudere theatri.*

20. LUDIS] Aedilitatem enim gesserat, teste Servio in VI. Aen. 861.

23. EXORANDA] Tacitus L. 1. Hist. C. 67. de Fabio Valente: *ipsa itinerum spatia, & stativorum mutationes venditante duce, foedis pactionibus adversus possessores agrorum, & magistratus civitatum, adeo minaciter, ut*

Luo

Ille licet ferro cautus se condat, & aere:
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Croesum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animae portent corpus inane tuae:
Qua Siculae victor telluris Claudius, & qua
Caesar ab humana cessit in astra via.

Luo (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. quoties pecuniae materia deesset, stupris & adulteriis exorabatur.

28. PACTOLI QUAS PARIT HUMOR OPES] unus Colbertinus, nostri duo, *premit.* frustra. Palatinus Gebhardi *perit*: unde ipse suspicabatur *gerit.* ego mallem *vehit*, si quid foret mutandum. Juvenalis Sat. 14.

cujus votis modo non suffecerat aurum
Quod Tagus, & rutila volvit Pactolus arena.

sed nihil movendum: & *parere* hic de aqua dicitur, quemadmodum alias de tellure.

31. SICULAE VICTOR TELLURIS CLAUDIUS] Asconius in Divinat. in Q. Caecil. C. 1. *Siculi veteres patronos habebant; in quibus Marcellus, a Marcello ortus, qui Syracusas victor servavit incolumes.* ipse inibi Cicero C. 4. *Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide atque praesidio Siculi maxime nituntur, quod omnino Marcellorum nomini tota illa provincia adjuncta est.* adde insignem locum Accus. 2. in Verr. C. 2. C. 21. Accus. 4. C. 41.

XVII.

OBjicitur toties a te mihi nostra libido.
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contemti rupistis frena pudoris,
Nescitis captae mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedaret aristas,
Fluminaque ad fontis sint reditura caput:

Et

2. ISTA] *illa* est in nostro primo.

5. FLAMMA PER INCENSAS CITIUS SEDETUR ARISTAS] admodum venusta est lectio Palatini codicis apud Gebhardum, *sedaret*, i. e. sedaretur; mutatis temporibus, ut solent poetae. Cn. Gellius apud cognominem scriptorem Noctium Atticarum L. 18. C. 12. *Postquam tempestas sedavit, Atherbal taurum immolavit.* totum id caput evolvere debes: est enim refertum elegantiae antiquae, & bene huc facientis. Macrobius I. in Somn. Scip. 18. *postquam ille* [sol] *demersus est, ipsa* [luna] *coeli marginem tenet antecedenti superoccidens. ---- ita quotidie longius ab occasu recedit, ut septimo die circa solis occasum in medio coelo ipsa videatur: post alios vero septem, cum ille mergit, haec oritur.* ibidem: *&, dum ad haec quae sole mergente videri solent, solem redire monstramus, sine dubio eum contrario motu recedere, quam coelum movetur, ostendimus.*

5. FLAMMA PER INCENSAS CITIUS SEDARET ARISTAS] verbum *sedandi* cum *flamma* junxit etiam Sallustius Jugurth. cap. 4.

Sci-

Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Praebeat hospitio saeva Malea suo:
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rabidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa juvenci
Induit abiegnae cornua falsa bovis.
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire Deo.
Crimen & illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha novae.
Nam quid Medeae referam, quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor?
Quidve Clytemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
At vos, innuptae, felicius urite taedas:
Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.
Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

Scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in se habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit.

10. ET RAPIDAE STIMULOS FRANGERE NEQUITIAE] legendum *rabidae.* quod Douza P. jam occupaverat, ex illo Horatii Epod. 12.

Indomitam properat rabiem sedare.

adde locum Terentii insignem Eunuch. Act. 2. Sc. 3.

ecce autem alterum,
Nescio quid de amore loquitur. o infortunatum senem!
Hic vero est, qui si occeperit, ludum jocumque dicet
Fuisse illum alterum, prae ut hujus rabies quae dabit.

Donatus: *Artifex summus, quod aetati non potest, naturae attribuit Chaereae: ut calidior ingenio, & ante annos amator, non libidinem in sese, sed quamdam rabiem designaverit in Venereos appetitus.* nihil aptius ad mentem nostri poetae.

27. NON TAMEN INMERITO MINOS SEDET ARBITER ORCI] noster hic confundit duos Minoas: fuere enim duo. Jupiter, sive is Asterius fuit, ex Europa Minoem, Rhadamantum, & Sarpedonem procreavit. ex his Minos, regno suscepto, & Itone Lyctii filia in uxorem ducta, genuit Lycasten. is vero Lycastes de Ida Corybantis filia Minoem alterum sustulit, celebrem illum imperio maritimo ac praepotentem. hic est ille qui Nisum vicit, Megara expugnata, ejusque filiam Scyllam justo mactavit praemio proditionis. prior vero, Rhadamanthi frater, is est quem Orci arbitrum antiquitas constituit, & liberalis favor poetarum. vide Diodorum Siculum L. 4.

28. VICTOR ERAT &c.] sane Nisi hostis mortem ultus est severissime, insigni justitiae

tiae atque aequitatis exemplo. quod divinis versibus exsecutus est fons ille ingeniorum Naso L. 8. Metam. pulcre Darius apud disertissimum rerum Alexandri scriptorem L. 4. C. 10. *manantibus adhuc lacrimis, veste ab ore rejecta ad coelum manus tendens; Dii patrii, inquit, primum mihi stabilite regnum: deinde, si de me jam transactum est, precor, ne quis Asiae rex sit, quam iste tam justus hostis, tam misericors victor.*

XVIII.

Credis eum jam posse tuae meminisse figurae,
    Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam.
    Tantine in lucris Africa tota fuit?
At tu, stulta, Deos, tu fingis inania verba.
    Forsitan ille alio pectus amore terit.

Est

Hi, qui sequuntur, decem versus male coaluerant cum superioribus. nam ut de libris vetustis nihil dicam, (qui omnes novam Elegiam faciunt, cum hac epigraphe, DE CONTEMPTORE AMICAE, vel DE CONTEMPTIONE AMICAE) quid poterat absurdius excogitari, quam incipere a libidine omnium feminarum, desinere vero in levitate viri unius? fragmentum est Elegiae majoris: quod aliquando ratus sum posse non incommode jungi cum fine Eleg. 16, libri secundi. hodie non eadem mens est. cogitent acutiores: nam palma in medio relinquitur. interea ad pensum redeamus.

4. Tantisne in lacrimis Africa tota fuit?] Groninganus, *Tantis ne lacrimis:* quomodo & Comelinianus Gebhardi, cujus expositionem oppido absurdam piget referre. quam tamen debet Passeratio. vix sunt meliora quae Andr. Schottus attulit L. 2. Observ. Human. C. 26. quid multa? rescribe cum perspicacissimo Gronovio L. 3. Observ. C. 17.

Tantine in lucris Africa tota fuit?

id ipse exponit: *Africa tota in lucris*] *omnes illius provinciae opes in reditu, non tanti, ut illa desereretur, fuerunt. o durum hominem atque inhumanum, qui lucri caussa discidium fecit! an tanti, ut te derelinqueret, fuit vel totam Africam καρποῦσθαι, & inter lucra habere?* nihil melius, nihil verius. Et tamen Parisinus interpres, qui eum librum Gronovii jam olim legisse potuit; certe debuit; hunc nobis exclusit sensum, bellum sane ac festivum: *An aliquando omnis Africa fuit in tam magno luctu?* nimirum Marollius verterat: *Toute l'Afrique fut-elle jamais si remplie de larmes?* ita varam vibia sequitur. posses etiam ita refingere, & quidem vix ulla literarum immutatione,

Tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit?

an tanti erant omnes reditus provinciae Africae, ut tu vel unam lacrimulam profunderes? sic loquitur Tibullus L. 2. Eleg. 7.

Desine, ne dominae luctus renoventur acerbi.
    Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

Ovidius Epist. Herus:

Ne non sim tanti, superentque pericula caussam:
    Et videar merces esse labore minor.

5. At tu, stulta, Deos, tu fingis inania verba] at tu tecum repetis, o Cynthia, deos testes, quos homo iste levis perfidiae suae ultores inprecabatur, si falleret: tu inania ejus verba pondus aliquod habitura reputas, nimis credula. Parisinus, pro more suo, interpretatur: *Sed tu nimium credula tibi persuades esse Divos vana illius promissa.* Putes hunc hominem esse λείψανον aetatis aureae, adeo simplex est, adeo allium ubique & glandem obolet.

6. Ille alio pectus amore terit] aliam amplectitur. Papinius L. 7. Theb.

quid colla amplexibus ambis,
Invisamque teris ferrato pectore matrem?

Y y

Eſt tibi forma potens, ſunt caſtae Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.
Fortunata domus, modo ſit tibi fidus amicus.
Fidus ero. in noſtros curre, puella, ſinus.

8. SPLENDIDAQUE A DOCTO FAMA REFULGET AVO] is erat Hoſtius, belli Iſtrici conditor. ejus memoria etiam eſt L. 2. Eleg. 10.

Non ego ſum formae tantum mirator honeſtae,
Nec ſi qua illuſtres femina jactat avos.

quare mirari ſubit, cur hunc ipſum Hoſtium Cynthiae patrem fuiſſe dicat Vir ſummus Ger. Jo. Voſſius in praeclaro opere de Hiſtor. Latin. L. 1. C. 16. itemque in libro de temporibus Poët. Latin. p. 31. niſi fortaſſe haec mea culpa eſt, poëtam meum non intelligentis.

10. IN NOSTROS CURRE PUELLA TOROS] ſatis licenter. noſter primus itemque Borrichianus habent *ſinus:* quod magis placet. Catullus Carm. 34.

Puella nam mea, quae meo ſinu fugit,
Conſedit iſtic.

Sulpicia apud Tibullum L. 4.

At tu venandi ſtudium concede parenti:
Et celer in noſtros ipſe recurre ſinus.

Ovidius Epiſt. Sapphus:

Huc ades, inque ſinus, formoſe, relabere noſtros.

Cicero Catinilar. 2. *Poſtremum genus eſt, quod proprium eſt Catilinae, de ejus delectu, imo vero de complexu ejus, ac ſinu.* ſi quis, ut initio dicebam, attente conſideret quam parum haec levitas neſcio cujus deſultoris conveniat cum rabie libidinoſa Paſiphaës, Myrrhae, Medeae, &c. is opinor recte me atque ordine feciſſe judicabit, quod disjunxerim quae tam monſtrifice cohaerebant. Saepe ita peccatum eſt a librariis. expende ſis in ſolis Epiſtolis Tullii has pauculas: ad Trebianum L. 6. ad famil. Ep. 10. ad Cornificium L. 12. Ep. 25. 26. ad Q. Valerium Orcam L. 13. Ep. 6. ad Servium Sulpicium L. 13. Ep. 28. ad Terentiam L. 14. Ep. 4. ad Atticum L. 1. Ep. 7.

XIX.

NOx mihi prima venit: primae data tempora noctis.
Longius in primo, Luna, morare toro.
Tu quoque, qui aeſtivos ſpatioſius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.
Foedera ſunt ponenda prius, ſignandaque jura,
Et ſcribenda mihi lex in amore novo,
Quam multae ante meis cedant ſermonibus horae,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Haec Amor ipſe ſuo conſtringet pignora ſigno:
Teſtes ſidereae tota corona Deae.

Nam-

9. HAEC AMOR IPSE SUO CONSTRINGIT PIGNORA SIGNO] libri fere *conſtringit*, inepto ac craſſo errore. tu cum Livinejo lege *conſtringet.* venuſte admodum adludit pacta nuptialia, ubi Signatores, & Teſtes. priores partes Amori dedit, alteras Stellis ac Lunae. nam qui de Ariadna intelligunt, aut etiam de Nocte ſiderum matre, ne illi toto errant coelo.

Namque ubi non certo vincitur foedere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda Deos.
Et quibus imposuit, solvit mox vincla libido.
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo qui tactas in foedere ruperit aras,
Pollueritque novo sacra marita toro:

Illi

coelo. ut jam videbimus. potest ut ad hunc locum respexerit Naso L. 2. Art. Amat.

Non legis jussu lectum venistis in unum:
Fungitur in vobis munere legis Amor.

10. Testis sidereae torta corona Deae] e versu praecedente apparet legendum esse *testes*. gaudent enim nomina ista collectiva, ut Grammatici vocant, pluraliter efferri. cujus locutionis in promtu mille sunt exempla. Nic. Heinsius Not. in Ovid. L. 1. Fast. ℣. 287, & nunc nuper ad Valer. Flacc. L. 5. ℣. 46. reponebat,

Testis siderei tota corona chori.

Seneca Hippol. ℣. 410.

O magna silvas inter & lucos Dea,
Clarumque coeli sidus, & noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna face.

Cave quidquam mutes. *Siderea Dea* est Luna, *Siderum regina bicornis* Horatio Carm. saeculari. Petronius: *Luna innumerabilibus comitata Sideribus, etiam feras ducit ad pabulum.* ecce dominam, ecce comitatum. Valerius Flaccus, ipso fine L. 5.

instaurat mensas, pacemque reducit,
Et jam sideream Noctem dimittit Olympo.

dixerat paullo ante:

incita cristas
Aura quatit: variis floret via discolor armis.
Qualis ab Oceano nitidum chorus aethera vestit:
Qualibus adsurgens Nox aurea cingitur astris

ubi Nox, ut saepe, non est alia quam ipsa Luna, cui diadema sideribus distinctum dedit Ausonius in Cupidine cruci affixo, elegantissimo libello:

Errat & ipsa, olim qualis per Latmia saxa
Endymioneos solita affectare sopores,
Cum face & astrigero diademate Luna bicornis.

quorum versuum primus male interpungitur in illa nitidissima Jacobi Tollii editione, hoc modo,

Errat & ipsa olim, qualis per Latmia saxa &c.

at vero stellas Noctis crinibus innexas, gemmarum in morem, docet laudatus modo Valerius L. 5. ℣. 370.

Non secus, autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius, & saevo cum Nox accenditur auro,
Luciferas crinita faces, &c.

Sol pariter *Sidereus Deus* dicitur Martiali L. 12. Epigr. 60.

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnaque siderei vidimus ora Dei.

Claram vocat Seneca Hippol. ℣. 309.

Arsit obscuri dea clara mundi
Nocte deserta, nitidosque fratri
Tradidit currus aliter regendos.

tota autem lege cum Passeratii libro vetere. male alii *torta*; quod pejus etiam interpretantur. *Siderea Dea* exponitur a Philippo Silvio T. E. C. P. *Diva stellata*. bene sit vobis, o Augiae, cum vestro fimeto. at poterat vos in viam reducere Romanae fidicen lyrae, Epod. 15.

Nox erat, & coelo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,
Quum tu magnorum numen laesura deorum
In verba jurabas mea.

etiam Juvenalis Sat. 8.

Nocte quidem: sed Luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos.

ad hunc venustissimum nostri locum respexit, nisi animi fallor, poetarum Italorum ingeniosissimus Joannes Baptista Marinus, in Idyllio cui *Testamenti erotici* nomen fecit:

Fù de l'ali d'Amore
La penna, con cui scrisse, e fur gli Amori
Testimoni à lo scritto.

15. Qui pactas in foedera ruperit aras] Groninganus *actas in foedere.* Passera-

Illi sint quicumque solent in amore dolores,
Et caput argutae praebeat historiae.
Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae.
Semper amet, fructu semper amoris egens.

tii liber *tactas aras* habebat. quod verum reor. Plautus Rudent. Act. 5. Sc. 2.

GR. *accede dum huc: Venus haec volo adroget te.*
LA. *Quod tibi libet, id mihi impera.* GR. *tange aram hanc Veneris.* LA. *tango.*
GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.*

Virgilius L. 12. Aen.

Audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit:
Tango aras, medios ignis & numina testor.

Lucius Septimius L. 5. C. 10. *statuunt inter se, uti proximo die campi medio atque in ore omnium aras statuant, in quis fidem pacis jurisjurandi religionibus firmarent.* vide sis Macrobium L. 3. Saturn. C. 2. & Brissonium L. 8. de Formulis. *rumpere aras* est rumpere pactum conventum in aras solenniter sancitum. Quamquam neque vulgata lectio penitus improbari potest, si *pactas aras in foedera* per hypallagen accipias, cum Passeratio, pro pacta foedera in aris.

16. POLLUERITQUE NOVO SACRA MARITA TORO] unus Regius *toro novo*, inverso verborum ordine. *marita sacra* dixit pro sacris maritalibus. Ovidius Epist. Medeae:

Conscia sit Juno sacris praefecta maritis.

poetae tantum non luxuriant in eo usu hujus vocis. exempla multa congessit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Epist. Hypermnestrae ℣. 19.

18. CAPUT ARGUTAE PRAEBEAT HISTORIAE] tam sit infelix in amore, ut argumentum praebere possit fabulae alicui Milesiae, qua sub ficto nomine palam apud puellas traducatur. *arguta historia* est id scripti genus, quod Galli hodie vocant *Nouvelle galante.* nam ne istis quidem deliciis caruisse veteres, supra est ostensum.

20. SEMPER AMET, FRUCTU SEMPER AMORIS EGENS] mellitissimus noster Secundus L. 1. Eleg. 11.

Interea hos Elegos, primi monumenta caloris,
Accipite, & risum jungite cum gemitu,
Dicentes, Nostri pars hic quoque parva triumphi est,
Semper amet, dulci semper amore fruens.

X X.

MAgnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellae.
Ipse alimenta sibi maxima praebet Amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacumque fugari
Possit: at ex omni me premit ille Deus.

Vix

3. CRESCIT ENIM ASSIDUE] bene Lucretius in hoc negotio, L. 4:

Ulcus enim vivescit, & inveterascit alendo,
Inque dies gliscit furor, atque aerumna gravescit.

& de armentis Virgilius L. 3. Geor.

Carpit enim viris paullatim, uritque videndo
Femina: nec nemorum patitur meminisse, nec herbae.

videndus Erasmus noster Adag. *Ex aspectu nascitur amor:* itemque in *Mulieris oculus.*

6. EX OMNI ME PREMIT IPSE DEUS] in uno Regio est *ille Deus.* quod non displicet. vide

Vix tamen aut ſemel admittit, quum ſaepe negavit:
Seu venit, extremo dormit amicta toro.
Unum erit auxilium: mutatis, Cynthia, terris
Quantum oculis, animo tam procul ibit Amor.
Nunc agite, o ſocii, propellite in aequora navem,
Remorumque pares ducite ſorte vices:
Jungiteque extremo felicia lintea malo:
Jam liquidum nautis aura ſecundat iter.
Romanae turres, & vos valeatis amici,
Qualiſcumque mihi tuque puella vale.

Ergo

vide notata ad L. 2. Eleg. 7. ℣. 17. ita & hoc libro habuimus, Eleg. 8.

Sit Sors & nobis, talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.

7. VIX TAMEN, AUT SEMEL ADMITTIT] augurale verbum eſt *admittere*; minime cum Paſſeratio exponendum, recipere quem ſaepe excluſerat. Feſtus: *Admiſſivae aves dicebantur ab auguribus, quae conſulentem juvarent.* Plautus Aſin. Act. 2. Sc. 1.

Unde ſumam? quem intervertam? quo hanc celocem conferam?
Impetritum, inauguratum'ſt, quovis admittunt aves.

ſic optime Umbrum comicum & medicina & interpretatione erexit magnus Lipſius L. 1. Ant. Lect. C. 7. itaque ſenſus noſtri Umbri erit, Poſtquam diu me multis modis miſerum habuit, vix tandem vultu minus duro jubet ut pergam ſpem bonam fovere. Hac ratione cauſſa nulla erit cur de mendo ſuſpicemur, aut conjecturam neſcio quorum hominum *addicit* recipiamus. quod tamen verbum, ſi vel maxime hic verum eſſet, eodem rediret.

8. EXTREMO DORMIT AMICTA TORO] noſter primus, Borrichianus, & Comelinianus Gebhardi, *ſolvit amica.* quod miror ei potuiſſe placere. Scaligeri correctio eſt τὸ *amicta*, & ex ipſo quidem tripode. de duabus rebus queritur Propertius, Veneri nimis quam ingratis, quod veſtita ſecum cubet Cynthia, & quod in extrema ſponda jacere adſectet. ſupra L. 2. Eleg. 12.

Nam modo nudatis mecum eſt luctata papillis:
Interdum tunica duxit operta moram.

& paullo poſt:

Quod ſi pertendens animo veſtita cubaris,
Sciſſa veſte meas experiere manus.

Martialis L. 11. Epigr. 105.

Faſcia te, tunicaeque, obſcuraque pallia celant:
At mihi, nulla ſatis nuda puella patet.

de *extremo toro* Horatius Epod. 3.

Manum puella ſuavio opponat tuo,
Extrema & in ſponda cubet.

11. PROPELLITE IN AEQUORA NAVEM] noſter primus cum Groningano *navim.* quod eſt contra canonem Flavii Chariſii L. 1. *Clavim. Tibullus, hinc clavim janua ſenſit. Strigilim quoque Lucilius. Varro de poëmatis ſecundo, lentim. quod eorum nominum ablativus ſingularis in i exit. Avem autem & navem, quoniam ab* [*l. ablativum*] *hac ave & nave faciat, accuſativus per i dari non poteſt.* Videndus tamen incomparabilis Voſſius L. 2. de Analog. C. 12.

16. QUALISCUMQUE MIHI TUQUE PUELLA VALE] eſt quidam liber, in quo liquidis literis exaratum legitur,

Qualiſcumque mihi tuque JOHANNA *vale.*

nimirum is qui ſcripſit, tempore flagrantis epidemiae, Nonii ruſticabatur, relicta (ut credi par eſt) domina Mediolani. igitur ei accidit idem quod Ruſo illi apud Martialem L. 1. Epigr. 69.

Quidquid agit Rufus, nihil eſt niſi Naevia Ruſo.
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, hanc loquitur
Coenat, propinat, poſcit, negat, innuit; una eſt

Ergo ego nunc rudis Hadriaci vehar aequoris hoſpes,
  Cogar & undiſonos nunc prece adire Deos.
Deinde per Ionium vectus quum feſſa Lechaeo
  Sedarit placida vela phaſelus aqua:
Quod ſupereſt ſufferte pedes, properate laborem,
  Iſthmos qua terris arcet utrumque mare.

Inde

Naevia; ſi non ſit Naevia, mutus erit.
Scriberet heſterna patri cum luce ſalutem;
Naevia lux, inquit, Naevia lumen, ave.

ita noſter quum ſcriberet de Cynthia, Johannam cogitabat. quod tamen non eſt adeo mirandum in homine amante: nam eos ibi vivere ajunt, ubi amant. ſed quorſum tendunt haec tam putidula? dicam. Magiſter quidam oblatrator & obroſor, ideoque clari nominis apud ſuos tribules, poſtquam docuiſſet Jovem, uti Graecis μέγας dicitur, ita Latinis MAGNUM vocari, produxit verſiculum ex Ciri Virgiliana, quo fidem faceret huic tam horribili arcano,

Hinc magno generata Jovi frigidula ſacra.

nondum exciderat ex memoria hominum, quibus modis olim Jeſuitam Delrium, in eodem luto turpiter haerentem, traduxiſſet inſignis ille Barthius: ideoque liberaliter ridebatur cum ſuis ſacris frigidulis acriculus Magiſter, Deſpauterii ſui tam infeliciter oblitus. quid autem ille opicus? ille enimvero inſanire, coelum terrae miſcere, decurrere ad Schoppianas urbanitates, frontem ac concham ferire: tandem autem, tandem grunnire, Ita legi in codicibus manuſcriptis bibliothecae publicae, a quibus diſcedere flagitium ſit ac ſcelus. Accipiamus ſuadeo tam ſapientes rationes, & exemplo ſaluberrimo permoti Cynthiam, itidem ut Liviam Auguſti, fuiſſe binominem ex libro ſcripto colligamus; neque monobiblo Propertiano rectius CYNTHIAE nomen praefigi quam JOHANNAE. tamen (fatebor enim meam curioſitatem) ego nimis libenter ſcire velim, in quo libro vetuſto repererit Palaemon iſte *incedere annos* ſuum, quam eſſe ipſam ait Naſonis manum. quod ſi prolatis ſanae antiquitatis exemplis erroris me coarguerit, non committam ut etiam pertinaciae coarguere poſſit. tantummodo abſit illud dictatorium ITA LEGE.

18. COGAR ET UNDISONOS NUNC PRECE ADIRE DEOS] Dioſcuros puta, & Aeolum, & Apollinem Embaſium, & Herculem, & Priapum, & ipſas denique Undas. vide Plautum Trinum. Act. 4. Sc. 1. & Gonſalium de Salas illud Petronii, *adoratis ſideribus intro navigium.*

22. ISTHMOS QUA TERRIS ARCET UTRUMQUE MARE] melius noſtri libri, cum editione Veneta, *utrumque mare.* Ovidius L. 7. Metam.

Sed poſtquam Colchis arſit nova nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque.

& L. 6. Faſtor.

Eſt ſpatio contracta brevi, freta bina repellit,
Unaque pulſatur terra duabus aquis.

Seneca Medea ℣. 35.

Gemino Corinthos litore opponens moras,
Cremata flammis maria committet duo.

& Herc. fur. ℣. 336.

Et bina findens Iſthmos exilis freta.

ibidem ℣. 1164.

qui gemino mari
Pulſata Pelopis regna Dardanii colit,
Succurre.

Thyeſt. ℣. 181.

fremere jam totus tuis
Debebat armis orbis, & geminum mare
Utrimque claſſes agere.

ibidem ℣. 628.

Quaenam iſta regio eſt, Argos & Sparte pios
Sortita fratres? & maris gemini premens
Fauces Corinthos?

Hippol. ℣. 1024.

Latuere rupes, numen Epidaurii Dei,
Et ſcelere petrae nobiles Scironides,
Et quae duobus terra comprimitur fretis.

Oedip. ℣. 267.

Per te, pater Neptune, qui fluctu brevi

Utrim-

Inde ubi Piraei capient mea lintea portus,
Scandam ego Theseae brachia longa viae.
Illic vel stadiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis dux Epicure tuis.

Per-

Utrimque nostro geminus alludis solo. Plinius L. 4. C. 4: *Peloponnesus, Apia ante appellata & Pelasgia, peninsula haud ulli terrae nobilitate postferenda, inter duo maria Aegeum & Ionium, platani folio similis, propter angulosos recessus.* Mela L. 2. C. 3: *Corinthos ex summa arce, quam Acrocorinthon appellant, maria utraque contuens.* Statius L. 1. Theb.

Scyllaeaque rura
Purpureo regnata seni, mitemque Corinthon
Linquit, & in mediis audit duo litora campis.

Lucanus L. 1.

qualiter undas
Qui secat, & geminum gracilis mare separat Isthmos.

noster, ut saepe, suum hic Tullium expressit Agrar. 2. C. 32. *Corinthi vestigium vix relictum est. erat enim posita in angustiis atque in faucibus Graeciae, sic, ut terra claustra locorum teneret, & duo maria maxime navigationi diversa paene conjungeret, cum pertenui discrimine separentur.* hinc Corinthum voce eleganter conficta *bimarem* vocavit Horatius L. 1. Od. 7.

23. PIRAEI CAPIENT ME LITORRA PORTUS] nescio quo modo gratius ad animum cadit Groningani codicis lectio, *capient mea lintea.* quod in Palatinis quoque membranis Gebhardus invenerat. τὸ *litora portus* absonum est, & frigidulum.

24. THESEAE BRACHIA LONGA VIAE] praeiverat Maro L. 3. Aen.

Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum;
Objectae salsa spumant adspergine cautes:
Ipse latet. gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque a litore templum.

sequitur doctorem suum Papinius L. 5. Theb.

tuque o mea digna propago
Hac rege, virgo, patrem, gemini qua brachia muri
Litus eunt.

Justinus L. 5. C. 8. *Negarunt se Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos; pacem polliciti, si demissa Piraeeum versus muri brachia dejicerent.* & C. 9. *cum omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex urbe jubent, & in brachiis muri, quae diruta fuerant, habitare.* saepe utitur A. Hirtius in belli Alexandrini atque Africani voluminibus, scriptor nobilis, & oris bene Romani.

25. STUDIIS ANIMUM EMENDARE PLATONIS] in τῷ *studiis* latet mendum: nam altero abhinc versu habemus iterum *studium linguae.* quae tam inconcinna repetitio indigna est politissimo poeta. dicit, velle se inter silvas Academi quaerere verum, & Socraticis praeceptis pectus excolere. id autem fieri non poterat sine acri labore, magnaque animi contentione. quocirca nullus dubito, quin primitus scriptum fuerit *stadiis.* Etenim uti in stadiis juvenes exercebantur ad cursum, & luctam: ita in scholis philosophorum homines studiosi ad virtutem. sic & *gymnasii* & *palaestrae* nomina, & quae id genus plura sunt. transierunt ad culturam animorum. Auctor ad Herennium L. 4. C. 3. *isti, cum in artis curriculum descenderunt, illos, qui in eo, quod est artificii, elaborent, ajunt facere immodeste; ipsi aliquem antiquum oratorem, aut poetam laudant, aut scripturam, sic ut in stadium artis rhetoricae prodire non audeant.* Marius Victorinus in I. Rhetor. Cicer. *alii hanc constitutionem realem vocaverunt, quod in ea quaeratur, utrum res, de qua agitur, facta esse videatur. alii* σταδιάζον *Graeco vocabulo quidem, quod in ea de incerto investigando maximum certamen habeatur. unde & stadium dicitur, quod ibi exerceantur certamina.* ita noster aptissime *stadii* vocem transtulerit ad Platonis Philosophiam difficilem ac laboriosam. Quod ut recte capias, vide sis elegantem Apuleji libellum, quem *de dogmate Platonis* inscripsit. idem mendum nunc quoque haeret in Cicerone L. 1. ad Attic. Epist. 16. *nam cetera non possunt habere neque vim, neque venustatem, remoto illo studio con-*

ten-

Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos docte Menandre sales.

Aut

tentionis; quem ἀγῶνα vos appellatis. istud ἀγῶνα requirere *stadium*, non *studium*, recte vidit Janus Gulielmius. Neque est cur aliquis obducat vocem *studium* poni aliquando pro secta vel disciplina, etiam apud ipsum Ciceronem. Sane scimus ita poni in oratione pro L. Murena C. 31. ubi de Stoicis: *Quis vero C. Laelio comior? quis jucundior eodem ex studio isto? quis illo gravior? sapientior?* itemque C. 36. *Fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros, & honestus homo, & nobilis, Q. Tubero.* sed tamen & hoc scimus, serium istud ac virile Platonis *stadium* pulcerrime componi cum Epicuri *horto*, illo ignavo, illo voluptario.

26. HORTIS, DOCTE EPICURE, TUIS] de Epicuri hortis omnia nota, & trita: qua vero ratione ipse *doctus* dicatur, non item. deinde altero abhinc versu Menander quoque dicitur *doctus*. idem error qui in versu superiore. Epicurum certe pro docto numquam habuit antiquitas. Cicero L. 1. de Finib. C. 7. *Haec igitur Epicuri non probo. de cetero, vellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructior, (est enim, quod ita tibi videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent, Eruditi appellantur) aut ne deterruisses alios a studiis.* idem orat. post reditum in senatu C. 6. pro Sextio C. 10. XIII. ad famil. Ep. 1. Philipp. 1. C. 6. in Pison. C. 29. Fabius L. 12. C. 2. *Verum ex hoc alia mihi quaestio exoritur, quae secta conferre plurimum eloquentiae possit: quamquam ea non inter multas potest esse contentio. Nam in primis nos Epicurus a se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubet* multo etiam acerbius in Epicuri ruditatem invehitur Cleomedes L. 2. Theor. Meteor. Quid igitur? nisi me omnia fallunt, scripsit poeta *dux Epicure:* quod librarii, quasi compendio breviatum foret, more suo dilatarunt in *docte*. *Dux* est princeps, sive auctor, magister, signifer, doctor. Cicero de Amicit. C. 5. *Hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus; quia sequantur (quantum homines possunt) naturam, optimam bene vivendi ducem.* ibid C. 12 *improbis autem poena statuenda est: nec vero minor iis, qui secuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces.* orat. post reditum in senatu C. 9. *Quod si mihi nullum aliud esset officium in omni vita reliquum, nisi ut erga duces ipsos, & principes atque auctores salutis meae satis gratus judicarer:* &c. & pro Cn. Plancio C. 30. *cum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri: statuissemque eos solum nominare, qui caussae nostrae duces, & quasi signiferi fuissent: in his Plancio gratias egi.* orat. pro domo sua C. 38. *ut apud posteros nostros non exstinctor conjurationis, & sceleris, sed auctor & dux fuisse videar.* de Harusp. respons. C. 26. *Deteriores cavete: quorum quidem magna est natio: sed tamen eorum omnium hic dux est, atque princeps.* pro Sextio C. 46. *qui cum auctores sunt & duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in republica fluctus excitantur*, pro Milon. C. 15. *Cn. Pompejus auctor & dux mei reditus, illius hostis: cujus sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam & ornatissimam secutus est.* Somn. Scipion. C. 4. *deinde subter mediam fere regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio.* jam quemadmodum singulae philosophorum sectae *familiae* appellabantur: ita earum conditores & patres *duces* audiebant. Quintilianus L. 5. C. 13. *ideo miror inter duos diversarum sectarum velut duces non mediocri contentione quaesitum*, &c. Lucretius L. 1.

Quapropter, qui materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere solo:
Magnopere a vera lapsi ratione videntur:
Heraclitus inis quorum dux praelia primus.

Horatius L. 1. Epist. 1. loco notabili:

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.

Festus: *Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur*

Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,
Sive ebore exactae, seu magis aere manus.
Aut spatia annorum, & longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore.
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

batur pater, & mater familias. hinc est *familiam ducere.* super qua locutione videre potes quae notarunt Petrus Victorius, Paullusque Manutius in Cicer. L. 7. ad famil. Epist. 5. itemque M. A. Muretus L. 4. Var. Lect. C. 17. sed & *domus* dicebantur eae sapientum familiae. Horatius L. 1. od. 29.

Cum tu coëmtos undique nobiles
Libros PanaetI, Socraticam & domum,
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis.

qua ratione familiarum duces audiebant *patres.* testis idem ille noster L. 1. Sat. 3.

non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat.

Lucretius ipsum hunc Epicurum *patrem* vocat initio L. 3.

Tu pater, & rerum inventor; tu patria nobis
Suppeditas praecepta; tuisque ex, inclute, chartis,
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.

qui locus vel solus opinor evincit, quanto rectius *dux* appelletur Epicurus, quam *doctus.*

32. Lenibunt tacito vulnera nostra sinu] *situ* divinabat Gebhardus. quod vix possum non probare. Gellius L. 20. C. 1. *passus est leges istas de tam immodico supplicio situ atque senio emori.* etiam Naso firmare videtur L. 3. Pontic. Epist. 7:

Curando fieri quaedam pejora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.

& Diris in Ibin:

Vulneraque immitis requiem quaerentia vexat.

tum L. 4. Trist. Eleg. 4.

Neve retractando nondum coëuntia rumpam
Vulnera; vix illis proderit ipsa quies.

L. 2. Pont. Epist. 2.

Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contractari tutius esse putem.

Florus L. 3. C. 23: *Expediebat igitur quasi aegrae sauciaeque reipublicae requiescere quomodocumque: ne vulnera curatione ipsa rescinderentur.* quod pulcre expressit facundissimi oris homo Dominicus Baudius Iamb. L. 3.

asperat morbum magis
Medela sumta tempore haud idoneo.
Sunt vitia, quae sanantur efficacius
Tolerando quam tollendo: sunt quibus quies
Medetur.

potest tamen τὸ *sinu* commodo sensu servari, si Tempus & Longinquitatem capias pro personis divinis, aegrum ex amore animum gremio suo foventibus.

XXI.

FRigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindy-

1. Frigida Cyzicus] noster *frigidam* vocat ratione aëris admodum crassi, qui difficulter calefit; aestate vero calefactus propter eamdem caussam plurimum facit aestum. ita commode hunc locum ex Aristotele & Galeno exponit Isaacus Vossius Observat. ad Catull. p. 107. interpretes minus bene ceperant epitheti rationem, alter alterum, ut solent, exscribentes.

Dindymus, & sacrae fabricata juvenca Cybebae,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos.
Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes,
Nec desiderio, Tulle, movere meo:
Tu licet aspicias caelum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Gerionae stabula, & luctantum in pulvere signa
Herculis Antaeique, Hesperidumque choros:

Tuque

3. SACRAE FABRICATA INVENTA CYBELLAE] mire hunc versum torsit Passeratius, quem ut exscribam, tanti non est. *fabricata inventa* habent omnes libri, & priscae editiones. Verùm auro contra non cara est Is. Vossii restitutio, *sacrae fabricata juvenca Cybellae* legentis, & de Arcto monte Cyziceno exponentis, cujus in medio umbilicus sive antrum, in quo Magnae Matri & Attini sacra faciebant Tauroboli. adi sis ipsum Vossium Observat. ad Catull. p. 161. sane signis & picturis nobilissimam fuisse Cyzicon declarat Cicero Accus. 4. in Verr. C. 60.

6. ET DESIDERIO, TULLE, MOVERE MEO] τὸ *Et* nemo sollicitavit, neque suspectum habuit de mendo. Groninganus medicinam facit, qui aperte habet *Nec.* optime. Si tanto amore urbium Graecarum teneris, o Tulle, ut neque Italiae parentis tuae recorderis, neque desiderio mei videndi movearis; accipe tamen Italiae tuae commoda, Urbisque aeternae miracula. &c. scripta est haec Elegia, antequam poeta ipse consilium cepisset de profectione in terram Graeciam, neque suo legitur loco.

6. MEO] forte *mei* exprimit enim Tullii sui verba lib. de Amicit. cap. 3. *Ego si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes: sed certe mentiar.*

9. GERIONAE STABULA] ita unus Regius, unusque Colbertinus. ceteri omnes *Gerionis* habent. quod tamen non est admittendum; ut luculenter ostendit Nic. Heinsius Not. in Ovid. Epist. Hermion. ℣. 9. Servius ad L. 7. Aen. ℣. 662. *Sane sciendum, declinari hic Geriones hujus Gerionae. unde est, Tergemini nece Gerionae: ut Anchises Anchisae. unde usurpavit Salustius, Geronis dicens.*

9. LUCTANTUM IN PULVERE SIGNA HERCULIS ANTAEIQUE] admirabili judicio in ipsa pentemimeri syllabam elisit, quum ostendere vellet Antaeum tam arcto nexu ab Hercule fuisse pressum, ut nullis omnino modis solvi posset, nisi praefocata atque interstincta prius anima. Hauserat hoc artificium noster de fontibus Maronianis L. 11.

Tertia sed postquam congressi in praelia, totasque
Inplicuere inter se acies, legitque virum vir:
Tum vero & gemitus morientum, & sanguine in alto
Armaque, corporaque, & permixti caede virorum
Semianimes volvuntur equi: pugna aspera surgit.

ibi quoque rem ipsam vides atque intueris, non tantum legis. Propertianam venerem bellissime expressit tenerrimus omnium Italorum M. Ant. Flaminius Carmin. L. 4.

Has lacrimas, atque haec imo suspiria corde
Tracta gemens libo, candida Hyella, tibi.
Haec tibi nunc: mox vitam ipsam libabo animamque,
Cumque tuis miscebo ossibus ossa mea.

quamquam haec talia pro duris atque hiulcis isti habent, quibus jejunae aridi alicujus magistri observatiunculae instruunt corpus dictionis poëticae. qualium Marsyarum festiva hodie copia est,

Sub duce qui veteris jucunda Philaenidos arma
Suscitat, argumentum ingens dignumque reponi,
Et Mitylenaeae pueros docet orgia Sapphus.

Tuque tuo Colchum propellas remige Phasim,
Peliacaeque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem prorae pinus adacta novae:
Et si qua Ortygii visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat unda vias:

Omnia

11. COLCHON PROPELLAS REMIGE PHASIN] *Colchum Phasim* habent libri, scriptione Latina. *Colchus* autem dicitur pro *Colchicus*, quod jam notatum supra. Seneca Hippol. ℣. 907.

Hunc Graja tellus aluit, an Taurus Scythes,
Colchusve Phasis?

15. ET SI QUADRIGAE VISENDA EST ORA CAYSTRI] multos incertos certare super hoc versu vidimus. nostri duo cum Groningano ac Borrichiano & tribus Gebhardi libris, *Et si qua origae* exhibent. quod ipsum in suo repertum Scaliger mutavit in *quadrigae*. Isaacus Vossius Observ. in Pomp. Melam reponebat, *Et si qua Ortygii*; ideo quod Epheso subjungatur a Mela Cayster fluvius, Ephesus autem ipsa olim dicta fuerit *Ortygia*. nihil poterat melius. & tamen bonam emendationem deserens, in Notis ad Catullum substituit *Et si qua Phrygii.* verae lectionis vestigia satis clara servarunt Regii libri, *Et si qua Origiae*; (unde manavit ceterorum τὸ *origae*;) est & in uno *Ogygiae*, quod ipsum non multum abludit. etiam editio princeps, & ei proxima Veneta, habent *As si qua Origiae.* inde vides paullula mutatione elici *Ortygii*, quo modo omnino legi debet. Mela L. 1. C. 17. *ibi Ephesus, & Dianae clarissimum templum, quod Amazones Asia potentes sacrasse traduntur: ibi Caistros amnis.* Tacitus L. 3. Annal. C. 61. *primi omnium Ephesii adiere, memorantes; non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos: esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam partu gravidam, & oleae quae tum etiam maneat adnisam, edidisse ea numina: deorumque monitu sacratum nemus.* describit haec loca Strabo L. 14. ubi & templum memorat, in quo simulacrum Ortygiae nutricis, utraque manu infantem gestantis. Plinius L. 5. C. 29. *Ephesus Amazonum opus, multis antea expetita nominibus; Alopes, cum pugnatum apud Trojam est, mox Ortygia, & Morges vocata est, & Smyrna cognomine Trachea, & Samornion, & Ptelea. attollitur monte Pione, alluitur Caystro in Cylbianis jugis orto, multosque amnes deferente & stagnum Pegaseum, quod Phyrites amnis expellit.* quae notabilia Plinii verba [*alluitur Caystro*] claram rationem reddunt, quare Cayster dicatur *Ortygius*: nimirum a vicinitate urbis Ortygiae, & templo nutricis Ortygiae, eique adsito luco Ortygia, ut solet fieri in epithetis quae a locis desumuntur. atque hinc factum fuit, ut Caystrum Deum urnae fluviali incumbentem effinxerint Ephesii in suis nummis. v. Spon. voyag. T. 1. p. 442. 443. post confectas has qualescumque notas, quae diu jacuerunt neglectae, Vir illustris Ezechiel Spanhemius orbem literatum beavit Observationibus suis in Callimachi Hymnos, opere admirandae eruditionis, & qualem hodie vix sperare ab ullo mortalium audeamus. in iis sollicita cura examinat hunc ipsum poëtae nostri locum, p. 305. sqq. adsertque multas rationes, cur Scaligeri *quadrigae*, Vossique vel *Phrygii* vel *Ortygii* non possit admittere, doctas profecto atque acutas. quae tandem eo redeunt, ut, si conjecturis sit locus, illam Lipsii, *cygnaei Caystri* reponentis, omnino aliis potiorem arbitretur; aut receptam lectionem *Gygaei* loco non movendam putet, eo quod Gyges exstiterit haud ignotus Lydiae rex, & ab eo dicta sit in eo Lydiae tractu *Gygaea palus*, monti Tmolo ac Cilbianis jugis, ubi Caystri fontes, vicina. quae ratio si valet; valere etiam debebit in Caystro *Ortygio*, urbi *Ortygiae*, uti jam e Plinio vidimus, valde vicino. quod si istud *Gygaei* in ullo usquam vetere libro compareret, caussa nulla esset quare rejiceremus. sed primum est conspectum in editione Antonii

Omnia Romanae cedent miracula terrae.
Natura hic posuit quidquid ubique fuit.

Ar-

Volsci, quae prodiit A. 1488, hoc est totos annos tredecim post principes editiones, quae a manu scriptis libris nihil abibant. nota est autem hujus hominis temeraria audacia, quidvis quovis modo refingentis, neque hoc loco vel verbulo uno indicantis, unde hauserit suum *Gygaei*: quod tamen factum oportebat, ubi a lectione jam recepta discedebatur. atque hoc ne gratis dixerim, ecce ipsa Volsci verba. AT SI QUA ORIGAE. *locus mendam habet, quam ita castigandam censeo,* ET QUA GYGEI. *est Caister Asiae fluvius, facitque campum qui Caistrianus dicitur.* GYGEUS *dicitur a Gyge, qui Asiam tenuit occiso Candaule. si velis, inquit, videre Asiae oram, quam Caister influit. alii* CYCNEI, *alii* OLORIGERI *legendum putarunt, quod in ejus ripis cycni stabulentur. non placet.* habemus confitentem reum, & simul antiquam scripturam agnoscentem. tamen Volscum Lipsius non viderat: itaque Beroaldum audiamus. GYGEI ORA CAISTRI. *Caister fluvius est Lydiae Sardibus proximus, a quo dicitur Caistrianus campus.* GYGEUM *cognominat poeta a Gygeo lacu ejusdem regionis, qui alio nomine dictus est* COLOUS, *ut scribit Strabo in* XIII *in vetusto codice legimus* OLORIGERI: *quod non displicet: nam bono epitheto* OLORIGERUM *Caistrum possumus appellare ab oloribus, sive cycnis, qui, ut ait Virgilius in Georgicis, rimantur prata Caistri.* &c. his inductus adolescentulus Lipsius *cygnaei Caistri* reponebat L. 1. Var. Lect. C. 2. quod opus vir factus abolere voluit, nec potuit. videmus itaque in qua officina Cayster *Gygeus*, in qua item *Cygnaeus* fuerit factus. ego autem spero homines elegantes facile passuros ut *Ortygius* dicatur, in tanta conspiratione veterum librorum, utque constet Isaaco Vossio sua laus ob locum tam pulcre emendatum. neque enim hic ulla mea pars est, nisi quod auctoritates adjecerim optimorum scriptorum, & fontes aperuerim corruptae lectionis.

16. ET QUA SEPTENAS TEMPERAT UNDA VIAS] non satis capio, qua ratione haec ad Gangem referant Passeratius, & Ludovicus de la Cerda ad L. 9. Aen. ỷ. 30. quid enim Gangi cum Propontide, cum Phasi, cum Caystro? aut quae Tullo visendi Gangis copia, itinere tam longinquo! Beroaldus Rhesum Troados fluvium innui putat, ex Homero. Eum sane Strabo septies transiri, sive septem vada habere, dicit L. 13. Sed quid jam facies verbo *temperat?* nam id non convenit Rheso. potius est ut de Nilo capias, cujus septem ostiis nihil est celebrius. noster primus legit,

Et qua septenas temperat unda minas.

id profecto Nilum designat, quem *magnum fluere* Virgilius dixit L. 3. Georg. & *bello undare.* certe de Gange hic locus accipi non potest, super cujus ostiis tantopere inter sese dissident scriptores antiqui, aliis unum tantum, aliis etiam centum agnoscentibus. sed audiamus Servium, in L. 9. Aen. haec notantem: GANGES. *fluvius Indiae est, qui, secundum Senecam in Situ Indiae, novem alveis fluit; secundum Melonem, septem; qui tamen & ipse commemorat, nonnullos dicere, quod tribus alveis fluat. Virgilius tamen Nilo eum jungens, septem alveos habere significat. Hanc veritatem Donatus fugiens longum hyperbaton facit, dicens, Ceu surgens septem amnibus Nilus, aut Ganges.* Sane sapuit Donatus; nam Gangem non nisi uno ostio in mare effundi quamvis sit omnium Indiae fluviorum maximus, disertis verbis tradidit Strabo L. 15. quod firmat recentiorum experientia. sic Andreas Corsalus, Florentinus, in epistola ad Julianum Mediceum Florentiae Ducem, Leonis X. Papae fratrem: *L'ultimo castello che i Portughesi tengono nell' India è Malacha, terra già di maggior tratto che nissuna parte del mondo: alla qual navigano dal Sino Gangetico le navi di Bengala, regno che vicina dalla costa del mar co'l regno di Decan, fra Bengala & Paliacatte, che termina per terra co'l Re di Narsinga: & Bengala da terra ferma vicina con un regno detto Deli, il qual è dentro da terra vicina con Marsinga. In questa parte di Bengala ci intra il fiume Gange nel Sino detto dal suo nome Gangetico, & è posto in venti tre gradi sotto il tropico del Cancro.* sic Joannes de Barros, nobilis scriptor rerum Lusitanarum, decade 1. Asiae,

Armis apta magis tellus, quam commoda noxae,
Famam, Roma, tuae non pudet historiae.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus. victrices temperat ira manus.

Hic

1. Asiae, L. 4. C. 7. *la distanza da queste fontane al Capo Camorin opposto sarà poco piu o meno per linea diritta, mille ducento miglia: & gli altri dui angoli, che per contraria linea giacino da Levante in Ponente per la distanza di nove cento miglia, fanno le bocche de gli stessi fiumi Indo & Gange, ambidui molto superbi con le acque del grande numero de gli altri fiumi che in essi entrano.* qui tamen idem plura Gangis ostia agnoscere videtur L. 9. C. 1. *Fra questi dui cosi illustri capi, Camorin occidentale, & Cingapura orientale, (de' quali ne possiamo credere che il mare habbia tagliate le Isole Ceilan & Camatra, come dall' Italia taglio la Sicilia, secundo che si scrive) giace quel celebrato seno Gangetico per la scrittura di tutti i geografi, & da noi molto navigato, il quale chiamiano seno di Bengala, per cagione del grande regno Bengala, per dove corre il fiume Gange molto superbo con la furia delle sue acque, & entra nel mare Oceano. Le cui bocche Tolomeo mette fra otto & nove gradi dalla banda di tramontana, & le mettiamo fra venti dui & venti dui & mezo.* duo ponit Hieronymus Osorius, ex eadem gente muliae prudentiae ac floridae facundiae historicus, L. 11. rerum Emmanuelis: *Bengala est provincia latissima, quam Ganges fluvius interfluit. Fluvius est altissimus atque latissimus, qui citeriorem Indiam ab ulteriore disterminat, & duobus ostiis, inter se ter centum passuum millia distantibus, in Indicum Oceanum labitur.* a Strabone Plinius stare videtur, *ostium* tantummodo nominans, L. 2. C. 108. *A Gange amne, ostioque ejus, quo se in Eoum Oceanum effundit*, &c. & L. 6. C. 17. *Ad ostium Gangis* DCXXXVIII. *millia passuum.* quae deinceps apud Plinium sequuntur, pulcerrime expressit decus illud immortale Belgici nominis Daniel Heinsius L. 3. de contemtu mortis:

Non sic tremit arduus aether,
Cum super Indorum scopulos, & confraga saxa,
Labitur immanis, resonatque ad litora, Ganges;
Maximus ipse suo, bis denisque amnibus auctus,
In mare provolvens sinuosam amfractibus undam.

18. NATURA HIC POSUIT, QUIDQUID UBIQUE FUIT] festive Polemon rhetor Romam vocabat *totius universi compendium*, uti e Galeno notavit magnus ille veteris doctrinae mystes Hadrianus Junius L. 4. Animadv. C. 4. idem quoque apophthegma Athenaeo datur L. 1. Deipnos. atque inde notavit disertissimus Muretus L. 17. Var. Lect. C. 12. qui, errore memoriae, ita laudat hexametrum hic praecedentem:

Omnia sunt pariter rerum miracula Romae.

adeo lubricum est proferre aliquid e veterum flavissis, libro non inspecto.

22. VICTRICES TEMPERAT IRA MANUS] Lipsius malebat *temperat illa*, h. e. pietas, quae modo praecessit, L. 3. Var. Lect. C. 2. ei Canterus & Passeratius accesserunt; ac deinde Jo. Marius Mattius L. 1. Opin. C. 14. videlicet quia veteres non geminarint liquidas; atque ideo ex *ila*, pro *illa*, indoctus aliquis descriptor fecerit *ira*. sane in Borrichiano libro *illa* legebatur. cui scriptura aperte favet Seneca Thyest. ℣. 559.

Ira cum magnis agitata caussis
Gratiam rupit, cecinitque bellum;
Cum leves frenis sonuere turmae,
Fulsit hinc illinc agitatus ensis;
Quem movet crebro furibundus ictu
Sanguinem Mavors cupiens recentem;
Opprimit ferrum, manibusque junctis
Ducit ad pacem Pietas negantes.

non nihil etiam Cornelius Nepos Agesil. C. 4. *etsi aliquot vulnera acceperat eo praelio, & iratus videbatur omnibus, qui adversus arma tulerant; tamen antetulit irae religionem, & eos vetuit violari.* Ovidius L. 3. Pont. Epist. 6.

Principe nec nostro Deus est moderatior ullus,
Justitia vires temperat ille suas.

Rutilius L. 1. Itiner.

Mitigat armatas victrix clementia vires.

tamen quum ipse Mattius in omnibus quos con-

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & aeternum Marcius humor opus.
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda,
Potaque Pollucis nympha salubris equo.

At

consuluerit codicibus *ira* legi fateatur; & nos quoque ita in septem libris scriptis invenerimus; satius est servare antiquam lectionem, quam & perspicacissimus Gronovius defendit Not. in Papin. L. 1. Theb. ỳ. 112. nos in ipsa victoria irae temperamus. nos, quamvis irati, postquam vicimus, manibus temperamus. juvat luculentus Ciceronis locus Accus. 2. in Verr. C. 2. *Denique ille ipse M. Marcellus, cujus in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus, temperavit. urbem pulcherrimam, Syracusas, quae cum manu munitissima esset, tum loci natura terra ac mari claudebatur, cum vi consilioque cepisset, non solum incolumen passus est esse, sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriae, mansuetudinis, continentiae, cum homines viderent, & quid expugnasset, & quibus pepercisset, & quae reliquisset.* itemque alius, orat. pro Marcel. C. 6. *Vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam; gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Caesar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest.* Haec est illa ira, quae temperat manus victrices.

23. HIC &c.] v. Merula ad Ennium p. 386.

26. POTAQUE POLLUCIS NYMPHA SALUBRIS EQUO] recte *nympha* ex Varrone restituit Scaliger, pro *lympha*. fons ille dicebatur *Juturna*, quae & *Nympha* Maroni vocatur, & *Dea*, L. 12. Aen.

Extemplo Turni sic est adfata sororem
Diva Deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
Praesidet: hunc illi rex aetheris altus honorem
Jupiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha decus fluviorum, animo gratissima nostro.

Pollux saepe ponitur pro utroque Dioscuro. historia ipsa notissima est, nec repetenda, nisi ut addas hunc Minucii Felicis locum: *Testes equestrium Fratrum, in lacu, sicut se ostenderant, statuae consecratae, qui anhels, spumantibus equis atque fumantibus, de Perse victoriam eadem die, qua fecerant, nunciaverunt.* haec videntur posse tolerari in poëta, qui per miraculorum tormenta praecipitat vaticinantem animum: sed in historico quis ferat? certe non tulit prudentissimus Polybius aut Deos, aut Deorum filios in veram ac seriam narrationem induci, non aliter ac machinam in tragoedia. id quod tamen multos e scriptoribus rerum Romanarum nihilo reddidit circumspectiores. ecce Florus quam secure ineptit, in hoc ipso Dioscurorum negotio, L. 2. C. 12: *Eadem die, quo victus Perses in Macedonia, Romae cognitum est. Duo juvenes candidis equis apud Juturnae lacum pulverem & cruorem abluebant. hi nunciavere. Castorem & Pollucem fuisse creditum vulgo, quod gemini fuissent: interfuisse bello, quod sanguine maderent: a Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.* o hominem acutum, qui unde quis venerit tam perite conjectat ex solo anhelitu! tum quantae sapientiae est istud ejusdem artificis, L. 1. C. 11: *Ea atrocitas fuit praelii, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit; duos in candidis equis, Castorem atque Pollucem nemo dubitarit. Itaque & Imperator veneratus est, pactusque victoriam templa promisit: & reddidit, plane quasi commilitonibus stipendium Diis.* nullus Milesiorum choragus tam superbe contemsit judicia posteritatis. cujus paullulo reverentior fuisse videtur Suetonius in Nerone C. 1. quo loco vir summus Laevinus Torrentius pulcrum A. Postumii Albini denarium profert, in cujus altera parte juvenes duo hastati stantes, atque inter eos equi duo bibentes, cum hac inscriptione, A. ALBINUS SEX. F.

At non ſquamoſo labuntur ventre ceraſtae,
  Itala portentis nec furit unda novis.
Non hic Andromedae reſonant pro matre catenae,
  Nec tremis Auſonias, Phoebe fugate, dapes.
Nec cuiquam abſentes arſerunt in caput ignes,
  Exitium nato matre movente ſuo.
Penthea non ſaevae venantur in arbore Bacchae:
  Nec ſolvit Danaas ſubdita cerva rates.
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno,
  Aut faciem turpi dedecorare bove.
Arboreaſque cruces Sinis, & non hoſpita Grajis
  Saxa, & curvatas in ſua fata trabes.
Haec tibi, Tulle, parens, haec eſt pulcerrima ſedes:
  Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum
  Spes, & venturae conjugis aptus amor.

27. LABUNTUR] proprie. v. Servius ad II. Aen. 224.

28. ITALA PORTENTIS NEC FURIT UNA NOVIS] *nec fuit una*, omnes libri: unde Scaliger recte *furit* formabat, quod tamen jam tum legebatur in editione Colinaei. pro *una* bene repoſuit *unda* flos ille Brugarum Lucas Fruterius L. 1. Veriſim. C. 14.

32. EXITIUM NATO MATRE PARANTE SUO] in octo libris eſt *matre movente*. quod etiam habebant codices Gebhardi, & editiones vetuſtae. recte, ac Latine. Horatius L. 3. Od. 4.

iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Gebhardus ingenioſe tentabat *novante*: quod potuiſſet defendere ex Libro 8. Metam. Ovidii, ubi infandum Altheae facinus admodum pathetice magnoque cum artificio praepingitur. Sed in tanto conſenſu tot librorum, & in re tam clara, nihil eſt novandum.

35. CORNUA NEC VALUIT] *non valuit*, habet noſter ſecundus cum Groningano. ita verſu proxime ſuperiore alter Regius habebat,

Non ſolvit Danaas ſubdita cerva rates.

37. ARBOREASQUE CRUCES SCINIS] ſupple ex jam dictis, non valuit curvare. fruſtra enim Livinejus quaedam deſiderari ſuſpicabatur. ceterum Sinis ſcribendum eſt cum Apollodoro, ipſo fine libri tertii. quod adludunt omnes membranae, in quibus *ſenis*. unus Borrichianus habet *ſinis*. Plutarcho *Sinnis* vocatur, in vita Theſei. v. Voſſius Etymol. p. 474. b. in *Sinapi*.

38. CURVATAS IN SUA FATA TRABES] Seneca Hippol. ℣. 1223.

Pinus coacto vertice attingens humum
Coelo remiſſum findat in geminas trabes.

42. VENTURAE CONJUGIS ALTUS AMOR] libri magno conſenſu *aptus amor*. Ovidius Epiſt. Deianirae:

Si qua voles apte nubere, nube pari.

XXII.

XXII.

ERgo tam doctae nobis periere tabellae,
Scripta quibus pariter tot periere bona!
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.
Illae jam sine me norant placare puellas,
Et quaedam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum:
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescumque mihi semper mansere fideles,
Semper & effectus promeruere bonos.
Forsitan haec illis fuerant mandata tabellis:
Irascor, quoniam es lente moratus heri.
An tibi nescio quae visa est formosior? an tu
Non bene de nobis crimina ficta jacis?
Aut dixit, Venias hodie, cessabimus una:
Hospitium tota nocte paravit Amor.

Et

11. HAEC ILLIS FUERANT MANDATA TABELLIS] *mandare* hic est, nuntio scripto indicare. Juvenalis Sat. 6.

flavam, cui det mandata, puellam.

intellige tabellas, ad adulterum portandas. Corn. Nepos Conon. C. 3. *Necesse est, si in conspectum veneris, venerari te regem. hoc si tibi grave est, per me nihilo secius editis mandatis conficies, quod studes.* subdit post pauca: *ita quae volebat, huic scripta tradidit.* M. Coelius Ciceroni L. 8. ad famil. Epist. 17. *Tum tu porro, cum ad te proficiscens noctu Ariminum venissem, dum mihi pacis mandata das ad Caesarem, & mirificum civem agis, amici officium neglexisti, neque mihi consuluisti.* Justinus L. 24. C. 2. *Nota scelerata Ptolemaei voluntas sorori erat. itaque non credenti mandat, velle se cum filiis ejus regni consortium jungere.* Sed & sine scripto dabantur *mandata.* Sallustius Catilin. C. 44. *Ipse* [Lentulus] *Volturcio literas ad Catilinam dat: quarum exemplum infra scriptum est.* ——— ——— *Ad hoc mandata verbis dat: cum ab senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet?* Cicero Catilin. 3. C. 2. *eosque in Galliam ad suos cives, eodemque itinere cum literis mandatisque ad Catilinam esse missos.* ibidem C. 4. *dixit, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata, & literas.*

14. AN TU NON BONA DE NOBIS CRIMINA FICTA JACIS] eleganter restituit. Nic. Heinsius *Non bene d. n. c. f. j.* Not. in Ovid. L. 1. Trist. Eleg. 6. nihil verius. *crimina* dixit *ficta*, Ciceronis sui more, pro Dejotaro rege C. 11. *Sed quamvis ingrate & impie necessitudinis nomen repudiaritis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere.*

15. AUT DIXIT, VENIAS HODIE, CESSAVIMUS UNA] *dicere* est jubere. Ovidius Remed. Amor.

Dixerit ut venias pacta tibi nocte, venito.

unde etiam liquet *venias* hic scribi debere; non *venies*, quod vulgatas occupat. sic L. 1. Amor. Eleg. 11.

Quid digitos opus est graphio lassare tenendo?
Hoc habeat scriptum tota tabella, VENI.

dein-

Et quaecumque volens reperit non stulta puella,
Garrula quum blandis ducitur hora dolis.
Me miserum, his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi retulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus haec aliqua propone columna:
Et dominum Exquiliis scribe habitare tuum.

deinde repone *cessabimus*, auctoribus libris. emendandus levi opera Catullus Carm. 8:

Fulsere quondam candidi tibi soles,
Quum ventitabas, quo puella ducebat.

vulgatae istic habent *ducebat*, sensu parum venusto. Juvenalis id vocat *constituere*, Sat. 3.

Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam,
Hic ubi nocturnae Numa constituebat amicae.

& Sat. 6:

Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari, & properat; jamque exspectatur in Hortis,
Aut apud Isiacae potius sacraria lenae.

17. ET QUAECUMQUE DOLENS REPERIT NON STULTA PUELLA] Livinejus malebat *repetit:* fortasse ut tangatur mulierum loquacitas, rem eamdem sine fine iterantium. sed nihil erat necesse. nam in isto *dolens* latet argutia τοῦ *reperit*, si legas, uti quidem certo est legendum, *volens*, i. e. cupiens, sive, ut noster loquitur, parata. Catullus Carm. 8.

Ibi illa multa tum jocosa fiebant,
Quae tu volebas, nec puella nolebat.

Vellejus Paterculus L. 2. C. 62. *pecunias etiam, quae ex transmarinis provinciis Romam ab quaestoribus deportabantur, a volentibus acceperant.* id est, a foventibus partes Marci Bruti & Caji Cassii. plura istic exempla formulae perelegantis Jacobus Schegkius collegit. porro *volens* puella admodum est foecunda in reperiundis astutiis: &, ut recte Naso dixit,

Non caret effectu quod voluere duo.

eadem haec vox apud Tibullum quoque corrupta est L. 2. Eleg. 3.

Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes Janua.

sic ibi magno numero veteres libri: melius alii itidem veteres *exclusura volentes*.

19. HIS ALIQUIS RATIONEM SCRIBIT AVARI] in Groningano est *avarus*; quod e Francisci Modii excerptis jam olim monuit Douza F. Ovidius L. 1. Eleg. 12. ubi pariter querela est de tabellis:

Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent,
In quibus absumtas fleret avarus opes.

20. ET PONIT DURAS INTER EPHEMERIDAS] *duras* habet idem ille Groninganus, i. e. inclementes, & inlacrimabiles, quas non miseret neminis, ut pater Ennius dicebat. in multis libris est *diras*, errore librariorum. quod tamen Gebhardo placebat. male. *durus pater, duri homines, duri capitones*, pro tenacibus atque avaris saepe apud comicos occurrunt. in quorum locum si quis *diros* velit substituere, is vero vim attulerit sermoni Romano.

23. I PUER, ET CITUS HAEC ALIQUA PROPONE COLUMNA] nimirum in re tenui compendium faceret Praeconis, vel Conquisitorum. tanti enim non videbantur tabellae amissae. pulcre huc facit Plauti locus Rudent. Act. 5. Sc. 2.

Cubitum hercle longis literis signabo jam usquequaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum ut veniat.

unde liquet, in pilis & columnis proponere solitos eos etiam, qui rem aliquam invenissent, non tantum qui amisissent.

XXIII.

FAlsa est ista tuae, mulier, fiducia formae,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes:
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mixtam te varia laudavi saepe figura;
Ut quod non esses, esse putaret amor.
Et color est toties roseo collatus Eoo;
Quum tibi quaesitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Haec ego non ferro, non igne coactus, & ipsa
Naufragus Aegaea vera fatebar aqua.
Correptus saevo Veneris torrebar aheno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatae portum tetigere carinae,
Trajectae Syrtes, anchora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu,
Vulnera & ad saniem nunc coïere mea.

Mens

4. VERSIBUS INSIGNEM TE PUDET ESSE MEIS] pudet me quod tu sis facta celebris meis carminibus. sic Tibullus L. 1. Eleg. 10.

Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam.

At me nunc nostri, Pieridumque pudet.

hic est verus sensus hujus loci. aliud agunt, qui dicunt Cynthiam erubescere quod celebrata sit versibus Propertii: neque capiunt, quid sit, cur poëta dicat, se nunc primum resipiscere post tam longam insaniam.

12. NAUFRAGUS AEGAEA VERBA FATEBAR AQUA] locus obscurus, sed quem illustravit Passeratii sagacitas, *vera fatebar* legentis. hoc sensu: Neque igni neque ferro tortus, neque in naufragii periculo constitutus, cogi antea poteram ut faterer vera esse, quae nunc dico; nempe non esse formosam Cynthiam, sed me & oculis pariter & mente captum. *Vera* etiam Livinejus reponebat. idem mendum erat L. 2. Eleg. 8. ℣. 21. ubi notam vide.

18. VULNERA ET AD SANUM NUNC COÏERE MEA] Groninganus, *Vulneraque ad saniem*, monitum olim Palmerio, & probatum Grutero L. 1. Suspic. C. 7. neque aliter membranas Palatinas habere testatur Gebhardus. certe medicorum filii tum bene sperant de vulneribus, quum ad saniem maturuerunt, remittente acri illo dolore. pro lectione vulgata stare videri potest Phaedrus L. 5. C. 8.

aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.

sermo est istic de tibia confracta. Verùm noster poëta hic demum incipiebat noscere animi sui aegritudinem, vulnere nondum ducente cicatricem.

19. MENS BONA, SI QUA DEA ES] Gruterus Inscr. XCIX. 7.

Mens Bona, si qua Dea es, tua me in sacraria condo.
Exciderint surdo tot mea vota Jovi.

Risus

M. SEPTIMIVS. C. F.
MENTI. FIDEIQ. DEAB
PRAESENTIBVS
EX. VOTO. S. P

istud *si* affirmantis est, & valet *quum dea sis.* Virgilius L. 1. Aen.

Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiae est, & mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant.

Priamus ad Pyrrhum, L. 2.

At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Dii, si qua est coelo pietas, quae talia curet,
Persolvant grates dignas, & praemia reddant
Debita.

Pedo Albinovanus Eleg. ad Liviam Augustam:

Ille pio, si non temere haec creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos.

Ovidius L. 13. Metam.

Qui nunc (ut memorant) silvestribus abditus antris
Saxa moves gemitu, Laërtiadaeque precaris
Quae meruit: quae, si Dii sunt, non vana precaris.

haec est vulgata & proba lectio, quae non debuit immutari. noster supra Eleg. 13.

Si Deus es, tibi turpe tuam servare puellam?

vulgo ista perperam intelliguntur: & cum vulgo sapit interpres Delphinicus, homo nimium quam miserabilis.

19. Tua me in sacraria dono] admodum elegans est Nic. Heinsii emendatio, Nor. in Epistolam Acontii ℣. 188: *tua me in sacraria conde.* neque dubito quin sit vera. Festus: *Condere proprie est in interiorem locum dare, ad custodiam faciliorem.* talia vero erant sacraria, ad quae nullus profanis accessus. Valerius Maximus L. 6. C. 5. *itaque Cottam in tribunatu quasi in aliquo sacrario latentem, tribunicia inde justitia extraxit.* Virgilius L. 2. Aen.

cum limina Vestae
Servantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio.

hinc *condi* factum est verbum sacrorum. Ovidius L. 2. Art. Amat.

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,
Nec cava vesanis ictibus aera sonant.

Suetonius Oth. C. 8. *Expeditionem impigre, atque etiam praepropere inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, sed & motis, nec dum conditis ancilibus.* Tacitus L. 1. Hist. C. 89. *Fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent.* Virgilius ad Polydori insepulti manes vagos erudite transtulit L. 3. Aen.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras: animamque sepulcro
Condimus.

nimirum ut ibi tuta quiesceret, tamquam in sacrario. magnum magistrum secutus est Naso L. 5. Fastor.

Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras;
Et male veloci justa soluta Remo.

Plinius L. 7. Epist. 27. *inveniuntur ossa inserta catenis & implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis: collecta publice sepeliuntur: domus postea rite conditis manibus caruit.* sic & fulmina dicuntur *condi*, imposita loco fulgurito ara, & sepimine circumducto. Lucanus L. 1.

Dumque illi effusam longis amfractibus urbem
Circumeunt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, & terrae moesto cum murmure condit.

Juvenalis Sat. 6.

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.

ubi vide Scholiastem antiquum. sic & captivi *in carcerem condi* dicuntur. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 29. *Hoc est, quoad per M. Acilium Glabrionem licitum est: qui, postulante me, produci atque in carcerem condi imperavit.* haec singula non sunt plane eadem: verum

in

Risus eram positis inter convivia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos:
Ungue meam morso saepe querere fidem.
Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte.
Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit.
Tu bene conveniens non sinis ire jugum.
Limina jam nostris valeant lacrimantia verbis,
Nec tamen irata janua fracta manu.

At

in eo conveniunt, quod, quae condita sunt, vetentur tangi. Posset & legi, *tua me in sacraria dedo.* Gellius L. 5. C. 13. *secundum eos* [parentes ac pupillos] *proximum locum clientes habere, qui se,e itidem in fidem patrocinium-que nostrum dediderunt.* Sed video & Lipsium hic legisse *condo*, Comm. in Senec. Epist. 10, an ex libris? non addit.

19. TUA ME IN SACRARIA CONDO] Claudianus de IV. Conf. Honor. 256.

Hos igitur potuit si quis sedare tumultus,
Intontussa dabit purae sacraria menti.

20. EXCIDERUNT] haec est Passeratii lectio, a Gebhardo probata. in libris fere est *Exciderant.* mihi omnium minime displicet *Exciderint*, quod post Livinejum etiam Nic. Heinsius malebat.

21. RISUS ERAM POSITIS INTER CONVIVIA MENSIS] admodum venuste haec dilatavit mellitissimus noster Secundus L. 1. Eleg. 11.

Tu Puer, o, Puerique parens Jove nata Dione,
Solvite me ingratis sollicitudinibus.
Et mihi, si merui, nocituras demite flammas,
Ne sim famosis fabula porticibus,
Vinosasque meo producant nomine mensas,
Ignorentque malum compita nulla meum.

28. TU BENE CONVENIENS NON SINIS ESSE JUGUM] noster primus, cum Groningano, & libris Gebhardi, *non sinis ire jugum.* Passeratius conjiciebat *isse*, unde postea factum fuerit *esse.* magis placet *ire* propter auctoritatem Plinii, Gebhardo quoque adductam, L. 3. Epist. 9. *Nobis tamen nullum certamen, nulla contentio: cum uterque pari jugo, non pro se, sed pro caussa niteretur.* Vaticanus quoque Livinejo inspectus habebat *ire.* videri debet Ausonius Epist. 24, Passeratio etiam laudatus, ubi longa adlusio ad *jugum* amicitiae. epitheton *conveniens* valde bellum est in hoc negotio. Terentius Andr. Act. 4. Sc. 2.

Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant;
Qui inter nos dissidium volunt.

Suetonius Tiber. C. 7. *Sublatoque ex ea* [Agrippina] *filio Druso, quamquam bene convenientem, rursumque gravidam dimittere, ac Juliam Augusti filiam confestim coactus est ducere non sine magno angore animi.* Ovidius Remed. Amor.

Quid lacrimas, odiose senex? bene convenit illis.
Officio natam laedis, inepte, tuo.

29. LIMINA JAM NOSTRIS VALEANT LACRIMANTIA VERBIS] insolens & durum Nic. Heinsio videbatur *verbis lacrimantia limina*; ideoque reponebat,

Limina jam nostris valeant halantia sertis,

Not. in Ovid. L. 1. Fastor. ℣. 287. vellem addicerent libri: nunc secus est. nec tamen dubito de sanitate loci; quum sciam verbis simplicibus uti tam crebro Aurelium nostrum pro compositis, ut illa tantum non adfectare videatur, ita hic *lacrimantia* posuit pro illacrimantia, sive collacrimantia: quasi limina Cynthiae, ipsius lacrimis rigata, non potuissent non collacrimari cum misero & excluso amante. Poetae cum liminibus, foribus, januis agunt tamquam cum rebus animatis. scelestas vocant exclusi, crudeles,

du-

At te celatis aetas gravis urgeat annis;
    Et veniat formae ruga finiftra tuae.
Vellere tum cupies albos a ftirpe capillos,
    Et fpeculo rugas increpitante tibi.
Exclufa inque vicem faftus patiere fuperbos:
    Et quae fecifti, facta quereris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
    Eventum formae difce timere tuae.

duras, invidas: qui minus bonas dicant recepti, mites, faciles, amicas? Catullus etiam vocalem fecit januam, dialogo longe lepidiffimo: quod imitatus eft nofter non minus feftive L. 1. Eleg. 16. poffe autem tangi commiferatione alieni doloris, iftic vidimus. & videre praeterea poffumus in Curculione Plautina Act. 1. Sc. 1. non igitur infolens aut mirum, fi janua aliqua paullò mollior poffit etiam flere. lege fis iftam, quam indicavi, poëtae noftri elegiam: neque enim melior tibi aut plenior in hunc locum commentarius inftitui poteft. animum tam mitem marmoreo pavimento dedit Hoofdius nofter, aeternum illud Pindi Belgici decus,

Leenig marmor, vleefche fteenen,
Die, vermurruwt door myn weenen,
All' de traantjes houdt te raadt,
Die myn weemoedt loopen laat; &c.

verum Propertii ac germanum fenfum etiam ante me Pafferatius viderat: quem more fuo expilavit interpres Parifinus.

33. VELLERE TUM CUPIES] Vaticanus Livineji *cupias:* fed folus. rectum eft *cupies:* nam vaticinatur, & futura canit. unde apparet in difticho fequente fcribendum effe *patiere*, & *querere:* quae jam non amplius pendent ab imprecatione, fed, ut dixi, a vaticinio. Horatius L. 1. Od. 25.

Invicem moechos anus arrogantis
Flebis in folo levis angiportu.

plura iftic funt, bene huc facientia. verfus autem hic paene totus in Tibullo legitur L. 1. Eleg. 9.

Tollere tunc cura eft albos a ftirpe capillos.

oblitus eram monere, in Colbertinorum altero legi *cum capias.* id quod ideo in medium profero, ut Carmentalis aliquis Magifter habeat cauffam proclamandi, agnofcere fe expreffa veftigia Propertianae manus, quam fic reponat,

Vellere tum capiare albos a ftirpe capillos.

34. AH SPECULO] Beroaldi, ac Gebhardi libri, cum Borrichiano, habebant *Et fpeculo.* recte. ita etiam citavit hunc verfum Cyllenius ad Tibull. I. 9. *Tollere tunc cura eft albos a ftirpe capillos.* etiam ipfo fpeculo, nequicquam muto, exprobrante tibi frontis rugas & formae damna. de elegante ufu particulae *et* dictum fupra ad L. 2. Eleg. 19. ỷ. 32. pulcre Aufonius de Laide fpeculum fuum Veneri ponente:

Lais anus fpeculum Veneri dico: dignum habeat fe
Aeterna aeternum forma minifterium.
At mihi nullus in hoc ufus: quia cernere talem,
Qualis fum, nolo: qualis eram, nequeo.

35. FASTUS PATIERE SUPERBOS] Secundus nofter L. 2. Eleg. 8.

Sera tibi veniet faftus vindicta fuperbi:
Aetatis tenerae crimina flebis anus.

plura iftic funt, quae videre volupe erit, magno artificio Umbri noftri lineas & colores referentia.

SEX.

SEX. AURELII PROPERTII

LIBER QUARTUS.

I.

HOc quodcumque vides, hoſpes, qua maxima Roma eſt,
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.
Atque ubi Navali ſtant ſacra palatia Phoebo,
Evandri profugae procubuere boves.

Ficti-

1. HOC QUODCUMQUE VIDES, HOSPES, QUAM MAXIMA ROMA EST] τὸ *quodcumque* valde eſt ſignans, & magnum aliquid notat. adductis a Paſſeratio exemplis unum e Statio adde L. 11. Theb.

Nec pretium deforme morae, caſſique labores:
Hoc quodcumque madent campi, quod ſanguine fumant
Stagna, quod innumero Lethea examine gaudet
Ripa, meae vires, mea laeta inſignia.

qua maxima Roma eſt bene emendavit doctiſſimus Gronovius L. 3. Obſerv. C. 19. *qua* valet, ea parte Latii ubi nunc eſt urbs aeterna. Janus quoque Douza P. correxerat *qua* in margine ſui libri, qui nunc meus eſt, liberalitate Viri eruditi ac reverendi Caſparis Brantii. etiam Lud. Carrio ſic legebat L. 1. Ant. Lect. C. 5.

2. AENEAM] *Aenean* eſt in Groning. recte.

4. EVANDRI PROFUGAE PROCUBUERE BOVES] Membranae Palatinae Gebhardi, noſter ſecundus, Groninganus, duo Regii, cum editione Veneta, & Borrichianus pro diverſa lectione, concubuere. i. e. ſimul procubuere, feſſae de via. qua ratione apud Feſtum legitur: *Conſecerunt, una fecerunt.* tum apud Terentium Phorm. Act. 2. Sc. 1. *Bonas me abſente hic confeciſtis nuptias.* ut in Feſti loco exponit Andreas Dacerius. recte autem obſervavit Paſſeratius, honeſtum verbum uſu vulgi turpe eſſe factum. qualia non pauca in ſermone Latino. videndus idem Feſtus, in *penem:* & Cicero L. 9. ad famil. Epiſt. 22. qui vulgatam volet defendere, Livium habet auctorem L. 1. C. 7. *Herculem in ea loca Geryone interemto boves mira ſpecie abegiſſe memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua prae ſe armentum agens nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo laeto reficeret, boves, & ipſum feſſum via procubuiſſe.* eſt ſane aliquid ſuavitatis in alliteratione & repetitione particulae *pro*.

4. CONCUBUERE] pari notione infra Eleg. 8. ℣. 36.

Unus erat tribus in ſecreta lectulus herba.
Quaeris concubitus? inter utramque fui.

quod cave de coitu interpreteris. deſcribit enim ordinem jacendi inter epulas & vina. Sic ferme Cicero L. 9. ad famil. Epiſt. 26. *Audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. In eo igitur, inquit, convivio Cicero ille?* &c.

Fictilibus crevere Deis haec aurea templa:
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
Unus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Buccina

5. FICTILIBUS CREVERE DEIS HAEC AUREA TEMPLA] non constat sibi C. Barthius L. 42. Advers. C. 28: & L. 44. C. 6: in enarratione hujus versiculi, & nescio quas tenebras in Propertio videt. At enim omnia sunt clara, dicitque poëta, in tantam majestatem crevisse urbem Romam, ut nunc aurea ibi sint templa, ubi olim stabant Dei non nisi e luto ficti. istos *Deos fictiles* bene illustrarunt Beroaldus & Passeratius. quibus adjicere potes egregium Sapientis Romani locum, Barthio quoque laudatum, extrema Epist. 31. *Subsilire in coelum ex angulo licet: exsurge modo, & te quoque dignum finge Deo. Finges autem non auro, non argento: non potest ex hac materia imago Deo exprimi similis. cogita illos, cum propitii essent, fictiles fuisse.*

6. NON FUIT OPPROBRIO] meliores libri, *Nec fuit opprobrio.* alii *Hec*, quod firmat τὸ *nec.*

8. ET TIBERIS NOSTRIS ADVENA BOBUS ERAT] *advena* hic notat peregrinum. Virgilius L. 7. Aen.

advena classem
Cum primum Ausoniis exercitus adpulit oris.

ut sit sensus: Tiberis, qui nunc est urbanus, ab initio extra territorium Romanum fluebat, eratque peregrinus nostris armentis, valde angustis tunc imperii limitibus. vide sis Beroaldum, ac Passeratium. *bubus* est in Groningano: reliqui nihil mutant. quocirca mirari subit Galeotti Martii Narniensis, qui praeceptor fuit & Epistolarum Magister Matthiae Corvino Pannoniae Regi, expostulationem super corrupto a novellis Criticis hoc ipso Propertii loco, ejusdemque restitutionem antiquae, ut ipse putat, lectionis,

Et Tiberis nostris advena tutus erat.

leguntur ista cap. 59, libri de Doctrina promiscua, & tam absurdè tamque ridiculè exponuntur, ut referre meritò pigeat. retudit autem Galeottum jam olim Rob. Titius L. 9. Locor. controvers. C. 23. Ceterum *bubus* ex auctoritate optimorum codicum ubique scribendum esse contendit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Epist. Oenonae, ad eum versiculum,

Nil profecturis litora bubus aras.

quid igitur Ausonio fiet, apud quem *bubus* pyrrichium facit? Epigr. 62.

Pasce greges procul hinc. ne quaeso, bubulce, Myronis
Aes, veluti spirans, cum bubus exagites.

quid? nisi ut dicas, id sibi permisisse poëtam supercilii saepe non nimis severi. Et tamen Vinetus istic observare sibi visus est, priorem in *bubus* syllabam corripi, quae producatur in *bobus*, idque fugisse Grammaticos. Verum quum hoc arcanum prosodicum nullo idoneo teste fulciatur, licebit opinor nobis ampliare: ita tamen, ut nec in sententiam Sam. Gloneri transeamus, qui priorem in *bobus* brevem facit, eo quod ibi sit crasis τοῦ *bovibus.*

11. CURIA PRAETEXTO QUAE NUNC NITET ALTA SENATU] illustravit hunc versum Jo. Sarius Zamoscius L. 1. de Senatu Romano. & eumpse cum tribus sequentibus pro testimonio citavit scriptorum Christianorum disertissimus L. Caelius Lactantius Divin. Instit. L. 2. C. 6. *Romulus urbem conditurus, pastores, inter quos adoleverat, convocavit: quumque is numerus condendae urbi parum idoneus videretur, constituit asylum. Eò passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique, sine ullo conditionis discrimine. ita conflavis ex*

his

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato saepe senatus erant.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro:
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quaerere divos,
Quum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
Qualia nunc curto lustra novantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:
Ducebant macrae vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci:
Pastor & ad calamos exta litabat ovis.

25 Ver-

his omnibus populum; legitque in senatum eos, qui aetate anteibant; & Patres appellavit: quorum consilio gereret omnia. de quo senatu Propertius elegiarum scriptor haec loquitur. &c. ad laudem nostri poetae pertinebat a tanto viro laudari.

12. PELLITOS HABUIT RUSTICA CORDA PATRES] Lactantius eodem loco: *Hi sunt Patres, quorum decretis eruditi ac prudentes viri devotissime serviunt, idque verum ac inmutabile omnis posteritas judicet, quod centum pelliti senes statutum esse voluerunt.*

14. CENTUM ILLI IN PRATO SAEPE SENATUS ERAT.] Latinitatis ratio poscit *erant.* tales centum in prato aliquo saepe constituebant senatum. nimirum scriptum fuit primo *erat*, per adbreviaturam, ut vocant.

22. DUCEBANT MACRAE VILIA SACRA BOVES] attenuatae ab opere & aratro. Sed duo Gebhardi, unusque noster. *Ducebant matres.* quam lectionem si admittis, Fordicidia intellige, quae erant XVII. Calend. Maji: & Ovidium consule L. 4. Fastor. a ℣. 630. est enim locus paullò longior, quam ut hic adscribatur. nec tamen puto sollicitandam esse vulgatam, quum tantum de Romuli rebus agatur, deque tenuibus urbis novae initiis.

24. PASTOR ET AD CALAMOS EXTA LITABAT OVIS] Galeottus Martius, eo quem modo indicavi loco, reposuit hic verbum longe mirificissimum, quodque merito ad haruspices deferatur, *excalitabat oves*: i. e. inquit, cantu calamorum vocabat ut lustrarentur. ostendit deinde *calare*, & ejus frequentativum *calitare*, esse verba bene Latina; inde componi *excalitare*, quod sit, quasi e grege aut e caula evocare oves, ut ad sacra veniant, quum *calitare* significet ad sacra invitare. Haec, inquam, & his plura inanis cerebri deliramenta istic legere est; quae refellere, sit bono otio male abuti. Videtur autem hunc hominem in errorem induxisse Servii auctoritas, non credentis *litare sacra*, adeoque nec *litare exta*, Latine dici, comment. ad illa Aen. L. 4.

Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis
Indulge hospitio, & caussas innecte morandi.

Diis, inquit, *litatis debuit dicere. Non enim sacra, sed Deos sacris litamus, id est, placamus. Ergo nove dixit.* atqui Servius, si quidem haec certò sunt Servii, quomodo potuit ignorare hunc ipsum nostri locum, tam clarum, tam apertum? quomodo item alterum Nasonis? L. 4. Fastor.

Tertia post Veneris cum lux surrexerit idus,
Pontifices, forda sacra litate bove.

est & alius non minus clarus Papinii L. 10. Theb.

Phoebe, tibi exuvias monstratae praemia noctis,
Nondum ablutus aquis, (tibi enim haec ego sacra litavi)
Trado ferus tripodum miles, Phoebique sacerdos.

nisi credere malimus, non bene perspexisse hunc

Verbera pellitus setosa movebat arator,
  Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
  Miscebant usta praelia nuda sude.
Prima galeritus posuit praetoria Lucmo:
  Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Tities Ramnesque viri Luceresque coloni:
  Quatuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
  Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii;

Et

hunc Narniensem, quid esset *ad talamos litare*, & putasse non nisi ad tibias sacra fieri solere, etiam primis illis angustiis pastoritiae paupertatis.

25. VERBERA PELLITUS SETOSA MOVEBAT ARATOR] nihil hic sollicito: nec tamen volo dissimulare, in nostro primo perspicuis literis legi *Verbera p. foetosa m. a.* Vox ea, fateor, nusquam mihi penes ullum scriptorem est lecta: (quamquam *faetuosus* reperitur apud Hieronymum contra Jovinian.) sed potest fuisse glossa marginalis τοῦ *foecunda*. certe non abludit Ovidius L. 2. Fastor.

Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe foecundae patienter verbera dextrae:
Jam socer optati nomen habebit avi.

nam in eum finem praecipue instituta Lupercalia. Juvenalis Sat. 2.

steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas praebere Luperco.

Sint tamen haec aestimatio potius, quam judicium. nam τὸ *setosa* multis modis praeplacere debet. vide Servium in L. 8. Aen. ℣. 343. & Festum in *Februarius*.

28. MISCEBANT USTA PRAELIA NUDA SUDE] nostri libri *praelia facta*, quod non est nauci. *nuda* vocat *praelia*, quae conferuntur sine ferro, sine justis armis. Gratius initio Cyneget.

nuda silvas virtute movebant
Inconsulti homines, vitaque erat error in omni.

Seneca Hippolyto:

venit imperii sitis
Cruenta, factus praeda majori minor:
Pro jure vires esse. sum primum manu
Bellare nuda, saxaque & ramos rudes
Vertere in arma.

plura e Papinio Passeratius collegit. de *sudibus* videndus Lipsius L. 4. Poliorcet. cap. 4.

31. HINC TITIES RAMNESQUE VIRI LUCERESQUE COLONI] habes populum Romanum universum. Festus Pompejus: *Sex Vestae sacerdotes constitutae sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum; quia civitas Romana in sex est distributa partes: in primos secundosque Titienses, Ramnes, Luceres.* v. Columna ad Ennium p. 32. b.

32. QUATUOR] imo primus Camillus id fecit. v. Plutarchus T. 3. p. 132. C.

33. SUBURBANAE PARVA MINUS URBE BOVILLAE] dicit, Bovillas tunc temporis majores fuisse ac spatiosiores, quam esset recens Roma. quod firmat Dionysius Halicarnassens Antiq. Rom. L. 8. Aurelii nostri tempestate viculus erat desertus, tantum sacello Bonae Deae conspicuus. Asconius argum. Milonianae: *occurrit ei circa horam nonam Clodius paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonae Deae sacellum est.* libri tantum non omnes *Violae* habent, errore prorsus ridiculo. originem nominis, si quidem ea vera est, docet Nonius: HILLAS *intestina veteres esse dixerunt; unde Bohilla, oppidum in Italia, quod eo bos intestina vulnere trahens advenerit.* quae tamen non usquequaque placere potuit Jo. Joviano Pontano L. 1. de Adspiratione: ubi, *Hilae hilarum*, inquit, *quae est prisca*

Et ſtetit Alba potens, albae ſuis omine nata,
  Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium, niſi nomen, habet Romanus alumnus:
  Sanguinis altricem nunc pudet eſſe lupam.
Huc melius profugos miſiſti, Troja, penates.
  O quali ducta eſt Dardana puppis ave.
Jam bene ſpondebant tunc omina, quod nihil illam
  Laeſerat abiegni venter apertus equi;

Quum

vox, ſignificabatque genus farciminis, ſive, ut Feſtus dicit, inteſtina, quae veteres hoc nomine appellabant: a qua voce Boillas vicum dictum putarunt, quod eo bos inteſtina trahens advenerit. Quod ſi eſt, hoc quoque nomen adſpirationem tenet in media ſyllaba. Ego in vetuſtiſſimo lapide ſcriptum vidi non Boillas, ſed Bovillas, cum litera v. fallor, an is eſt lapis ille literatus qui apud Gruterum legitur CIↃ LXXXIX. 6. iſtic conſulendus, utpote grandiuſculus. Feſtum autem perperam pro Nonio poſuiſſe Pontanus videri poteſt: nam & haec ipſa apud Nonium leguntur, neque exſtant hodie in Feſto. quem vide voce *Hira*. aliam nominis originem adfert Matth. Raderus ad Martial. L. 2. Epigr. 6. *Bovillae dictae ſunt a boum multitudine, quaſi boum villa; mendicorum ſtatio; ibi enim ſtipem colligebant.* quae quam vera ſit, mihi quidem non liquet. Nonium ſequebatur Nicolaus Perottus, Sipontinus olim antiſtes.

34. QUI NUNC NULLI] ſane vix erant ulli ea tempeſtate. Cicero pro Plancio C. 9. *niſi forte te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat. quibus e municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur.*

40. O QUALI VECTA EST DARDANA PUPPIS AVE] melior lectio eſt unius codicis Regii, ac primarum editionum, *quali ducta eſt.* aves enim talium fere itinerum duces ſabulata eſt antiquitas. Vellejus Paterculus L. 1. C. 4. *Nec multo poſt Chalcidenſes, Hippocle & Megaſthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Hujus claſſis curſum eſſe directum alii columbae antecedentis volatu ferunt;* &c. Papinius L. 4. Silv. 8.

Tu ductor populi longe emigrantis Apollo,
Cujus adhuc volucrem laeva cervice ſedentem.
Reſpiciens blande felix Eumelis adorat.

Curtius L. 4. C. 7. *Quatriduum per vaſtas ſolitudines abſumtum eſt. Jamque haud procul oraculi ſede aberant; quum complures corvi agmini occurrunt, modico volatu prima ſigna antecedentes: & modo humi reſidebant, quum lentius agmen incederet; modo ſe pennis levabant antecedentium iterque monſtrantium ritu.* ſic Athenienſes quum ducerent Ionicas colonias, Muſas claſſis duces fuiſſe ſub apum ſpecie, auctor eſt Philoſtratus L. 2. Imag. in Melete. ſic Orchomenios cornicis ductu inveniſſe Heſiodi oſſa Naupacti jacentis, e Graecorum commentariis refert Nic. Leonicus Thomaeus L. 2. Var. Hiſt. C. 85. de legionibus Vitellii (non de ipſo, ne erres) tale quid memoriae tradiderunt duo graves Hiſtorici. Suetonius Vitell. C. 9. *compoſitis Germanicis rebus, partitus eſt copias, quas adverſus Othonem praemitteret, quaſque ipſe perduceret. Praemiſſo agmini laetum evenit auſpicium. ſiquidem a parte dextra repente aquila advolavit, luſtratiſque ſignis, ingreſſos viam ſenſim anteceſſit.* Tacitus L. 1. Hiſtor. C. 62. *Laetum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipſo profectionis die, aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit: longumque per ſpatium, is gaudentium militum clamor, ea quies interritae alitis fuit, ut haud dubium magnae & proſperae rei omen acciperetur.* talem hic utique ducem intellexit noſter poëta: qualem & ſupra tetigerat L. 2. Eleg. 20.

quum rudis Argûs
Dux erat ignoto miſſa columba mari.

& L. 3. Eleg. 21. ℣. 13. in Beroaldi editione primulum viſum eſt iſtud *vecta:* ipſe tamen, quare priorem ſcripturam deſeruerit, rationem reddit nullam.

Quum pater in gnati tremulus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Decii, Brutique secures,
Vexit & ipsa sui Caesaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojae
Felix terra tuos cepit, Iule, Deos.
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo:

Aut

43. QUUM PATER IN NATI TREMULUS CERVICE PEPENDIT] *gnati* habet noster secundus, proba & poëtica scriptura; ac deinde *tremidus* pro *tremulus*; ceteri ferè *trepidus*. Verum an vox sit bene Latina *τὸ tremidus*, non habeo dijudicare. apud Papinium vulgo editur L. 11. Theb.

ad lituos hilarem, intrepidumque tubarum
Prospiciebat equum.

ubi Barthius notat, duos meliores libros, qui ipsi essent in mundo, disertè scribere, *intremidumque*, neque posse se ex facili damnare vocem fortasse in pluribus scriptoribus corruptam. videtur tamen contra stare Virgilius L. 3. Georg. ubi equorum *tremor* numeratur inter indicia vividissimi vigoris:

si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit; micat auribus, & tremit artus.

& deinde:

Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?

cui Olympius Nemesianus accedit Cyneget.

lumina vivida torquent,
Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant.

dispiciendum igitur cautius, an Statio expediant Barthii membranae. nisi si *intremidus* est valde tremidus; qua ratione vocula *in* saepe auget & intendit significatum. Vox *fremidus* ad eamdem notam percussa est, quam Nic. Heinsius Ovidio dedit L. 5. Metam. ỳ. 2. noster hac ipsa Elegia *tremulam* vocat Sibyllam: infra quoque *annos tremulos* posuit pro aetate senecta, Eleg. 7.

Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie.

Catullus Carm. 54.

Te suis tremulus parens
Invocat.

Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 3.

Continuo adcurrit ad me, quam longe quidem,
Incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens.

sic & Priamum, huic Anchisae coaevum, describit Juvenalis Sat. 10.

Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara.

& Peliam Seneca Med. ỳ. 258.

Senio trementem debili, atque aevo gravem
Patrem peremtem queritur, & caesi senis
Discissa membra.

Simus his Catonibus contenti, dum eruditior aliquis *τὸ tremidus* donet civitate.

49. AVERNALIS] epitheto habitationem Sibyllae designat. Virgilius L. 3. Aen.

Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem,
Divinosque lacus, & Averna sonantia silvis,
Insanam vatem aspicies quae rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas, & nomina mandat.

erat autem haec Sibylla Phemonoë, tradente hic Servio.

49. CORTINA SIBYLLAE] videndus Gifanius Indice Lucretiano in *Praestringere*. novam de cortina opinionem fovebat illustris Peireskius, quam exponit in ejus Vita summus Vir Petrus Gassendus L. 4.

50. AVENTINO REMO] epitheton ex historia ductum. Festus: *Remurinus ager dictus, quia possessus est a Remo, & habitatio Remi Remona: sed & locus in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.* Livius L. 1. C. 6. *quoniam gemini essent, nec aetatis verecundia discrimen facere posset, ut Dii, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret,*

qui

Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum, Danai: male vincitis. Ilia tellus
Vivet; & huic cineri Jupiter arma dabit.
Optima nutricum nostris Lupa Martia rebus,
Qualia creverunt moenia lacte tuo!
Moenia namque pio conor describere versu.
Hei mihi, quod nostro parvus in ore sonus.

Sed

qui conditam imperio regeret. Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. v. Columna ad Ennium p. 20. a. noster infra Eleg. 6.

Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.

quid igitur dicas movisse patrem Ennium, cur dissentiret? dissentit enim apud Ciceronem L. 1. de Divinat. C. 48.

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam simul auspicio, augurioque.
Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam
Solus avem servat. At Romulu' polcher in alto
Quaerit Aventino, servans genus altivolantum.

certior puto est auctoritas Messalae auguris, Aventinum montem extra pomoerium exclusum fuisse tradentis, quod in eo monte Remus urbis condendae gratia auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque a Romulo sit, referente doctissimo morum veterum scriptore A. Gellio L. 13. C. 14.

54. ILIA TELLUS VINCET, ET HUIC CINERI JUPITER ARMA DABIT.] omnes libri qua scripti, qua cusi, *ilia tellus Vivet.* quod rectum est, nec debebat mutari. & evincebat aperte illud cineris emblema. Lucretius L. 4.

Quippe ubi nulla latens animaï pars remaneret
In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis:
Unde reconflari sensus per membra repente
Possit, ut ex igni caeco consurgere flamma.

Ovidius Remed. Amor.

Ut paene exstinctum cinerem si sulfure tangas;
Vivet, & e minimo maximus ignis erit.

& L. 7. Metam.

Ut solet a ventis alimenta adsumere, quaeque
Parva sub inducta latuit scintilla favilla,
Crescere, & in veteres agitata resurgere vires.

pari Florus imagine utitur L. 4. C. 2: *Quis non peractum esse cum Pompejo crederet bellum? atqui acrius multo atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluere.* Cicero orat. pro Sextio C. 31. *res erat & causa nostra eo jam loci, ut erigere oculos & vivere videretur.* interrogat. in Vatin. C. 9. *deinde sanctissimas leges, Aeliam & Fusiam dico, quae in Gracchorum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in cruore Cinnano, etiam inter Sullana arma vixerunt, solus conculcaris ac pro nihilo putaris.*

55. OPTIMA NUTRICUM NOSTRIS LUPA MARTIA REBUS] ea deinde pro numine habita, in gratiam populi late tyranni. lapis Eporitanus apud Gruter. CV. 11.

LVPAE. ROMANAE
M. VALERIVS. PHOEBVS
VI. VIR. AVG.

55. OPTIMA &c.] v. Columna ad Ennium p. 14. b. sq.

57. MOENIA NAMQUE PIO CONOR DISPONERE VERSU] ita est in Groningano, Regiis, & Colbertinis. supra L. 3. Eleg. 3.

Corpora disponens, mentem non vidit in arte.

nostri autem libri, & Comelinianus Gebhardi, *describere* habent: quod magis placet. *Describere* est partiri, in limites & certum in ordinem digerere, positis terminis dividere, rectis ac certis finibus quid constituere. Virgilius Eclog. 3.

Def-

Sed tamen exiguo quodcumque e pectore rivi
Fluxerit, hoc patriae serviat omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

Scan-

Descripsit radio totum qui gentibus orbem.
& L. 6. Aen.

coelique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.

Cicero 1. Catilin. C. 4. *Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina: distribuisti partes Italiae: statuisti quo quemque proficisci placeret: delegisti quos Romae relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia.* pro P. Sextio C. 65. *Haec est una via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris: a bonis viris, sapientibus, & bene natura constitutis, laudari, & diligi: nosse descriptionem civitatis, a majoribus nostris sapientissime constitutam.* L. 1. de Divinat. C. 17. *Quis veterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Navio per lituum regionum facta descriptio?* L. 2. de Oratore C. 15. *ipsa autem exaedificatio posita est in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem:* &c. Horatius Epist. ad Pisones:

Descriptas servare vices, operumque colores,
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poëta salutor?

60. Hoc patriae serviat omne meae] quidam libri *serviet.* non male. Ovidius L. 4. Pont. Epist. 8.

Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
Restat in ingenio, serviet omne tibi.

vulgatam juvat Cicero, orat. pro Sextio C. 1. *iis potissimum vox haec serviat, quorum opera & mihi, & vobis, & populo Romano restituta est.*

61. Ennius hirsuta cingat sua dicta corona] redimiat Ennius & libros & crines suos corona rudi, incomta, & plexa fine arte, hispida, ac dura. Plinius L. 21. C. 27. *Acinon & coronarum caussa & ciborum Aegyptii serunt. Eademque erat, quae ocymum, nisi hirsutior ramis ac foliis esset.* & L. 24. C. 19. *Philanthropon herbam Graece appellant hirsutam, quoniam vestibus adhaerescat. ex hac corona imposita capitis dolores sedantur.* qui primus usus coronarum apud mensas. hinc translatè *hirsutum* vocabant quod esset rigidum, tetricum, ac severum. Martialis L. 9. Epigr. 48.

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Catonas,
Quidquid & hirsutis squalet imaginibus.

Ovidius L. 2. Trist.

Sumserit Annales: nihil est hirsutius illis.

id est, nihil est illis gravius, & magis compositum ad morem severioris disciplinae. quamquam inventus est nuper, qui istud Ovidii *hirsutum* pro libidinoso exponeret ad Sueton. Tiber. cap. 45. talem coronam noster *duram* dixit L. 3. Eleg. 1.

Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtae:
Non faciet capiti dura corona meo.

quod vero ait de libris Ennii (hos enim *sua dicta* appellat) corona redimitis, id sumtum est e palaestra citharoedorum, adeoque ab ipso Apolline. Papinius L. 6. Theb.

Finis erat; differt avidas audire sorores:
Dumque chelyn lauro, textumque illustre coronae
Subligat, & picto distinguit pectora limbo, &c.

Lutatius interpres: *citharoedorum disciplinam expressit, quibus moris est finito carmine coronam, detractam capiti, citharae subligare.* Petronius: *Damnabat Apollo noxias manus, lyramque resolutam modo nato flore honorabat.* Angelus Politianus, vir suo aevo major, in elegia de violis:

His ego crediderim citharas ornare corollis
Permessi in roseo margine Pieridas.

64. Umbria Romani patria Callimachi] hoc est, Propertii, eum apud Romanos numerum obtinentis, quem Callimachus apud Graecos. id nunc etiam pueri sciunt; nec tamen semper sciverunt viri.

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo.
Roma fave, tibi surgit opus: date candida cives
Omina, & inceptis dextera cantet avis.
Sacra, diesque canam, & cognomina prisca locorum:
Has meus ad metas sudet oportet equus.
Dicam, Troja cades, &, Troïa Roma resurges.
Et maris, & terrae longa sepulcra canam.
Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti?
Non sunt ah dextra candida fila colo.

Aver-

Blondus certe Flavius, Romanarum Antiquitatum ferè primus vindex, novum hinc poëtam nobis concinnavit, *Romanum Callimachum* nomine; errore prorsus joculari. audi ipsummet Italiae illustratae Reg. 4. p. 319. edit. Froben. *Postquam verò Propertii testimonium de se ipso attulimus, alium Umbriae poëtam dare volumus, ignotae nobis, sicut & ipsi Propertio fuit, patriae. Nam in eodem Elegiarum IV. sic dicit:*

Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.

tetigit, ante me, Blondi lapsum Jos. Castalio Dec. 8. Observ. C. 8. Blondo tamen ignosci haud difficulter potest, in spissis illis tenebris. Sed quis patienter ferat, Altorfium oppidum vetus transfigurari in Altorfium hominem adolescentulum? id factum est nuper, in tam clara luce rerum Europaearum, a scriptore Gallo: cui prodesse debet gentile solum, & solis Gallis propria ingenii venustas. nam Germanus aliquis, vel crassa aure Batavus, si fecisset idem, haud sic abiret. porro Umbriae non exigua laus est, protulisse duo ab omni memoria longe jucundissima atque amoenissima ingenia, M. Accium Plautum dico, & S. Aur. Propertium nostrum. quibus si tertium adjunxero, non suae tantum patriae, verum totius Italiae lumen splendidissimum, haud quaquam peccavero. is est Joannes Jovianus Pontanus, Cereti in Umbria natus, *quo illo tempore* (arbitrum do virum excellentem Augustum Buchnerum) *nec doctiorem, nec sapientiorem, nec omnibus studiis liberalibus instructiorem alium tota propemodum habuit Europa.* Patriam ipse suam Pontanus celebrat L. 1. Amor.

O si post cineres & me quoque jactet alumnum
Umbria, carminibus non inhonora meis.
Umbria Pieridum cultrix, patria alta Properti,
Quae me non humili candida monte tulit,
Vigia quem gelidis placidus circumfluit undis,
Et nar sulfureis fontibus usque calens.
Hic ubi me viridi puerum sub valle canentem
Audiit irrigui caerula Nympha loci.

71. TROÏCA ROMA RESURGES] Gebhardi libri habebant *Troïa.* quae vera est scriptura, operosè & doctè adserta Nic. Heinsio Not. in Ovid. Epist. Penelopes ỳ. 28.

71. TROJA CADES, ET TROÏA ROMA RESURGES] Seneca Agamemn. ỳ. 870.

vicimus victi Phryges.
Bene est, resurgis Troja. traxisti jacens
Pares Mycenas.

73. QUO RUIS IMPRUDENS] hunc versum, & tres istos qui sequuntur, egregie, si quid ego hic video, restituit Nic. Heinsius Not. in Ovid. L. 3. Amat. Art. ỳ. 672.

Quo ruis imprudens vaga dicere facta Properti?
Non sunt ah dextra candida fila colo.
Aversus Charisin cantas: aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra.

rationes ipse suas istic deputavit: tria ego verba addam. *vaga* legitur in uno Regio, itemque in nostro secundo. *condita fila* agnoscunt omnes libri: verum quid rei sit *condere fila*, ubi de stamine sermo est, nemo facile expediverit. itaque proximum erat *candi-*

da

Averſis Chariſin cantas: averſus Apollo
Poſcitur invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; aut ego vates
Neſcius aerata ſigna movere pila.
Me creat Archytae ſoboles Babylonius Horos,
Horos, & a proavo ducta Conone domus.
Dii mihi ſunt teſtes, non degeneraſſe propinquos;
Inque meis libris nil prius eſſe fide.
Nunc precium fecere Deos, & fallitur auro
Jupiter obliquae ſigna iterata rotae.
Dixi ego quum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante Deo)

Non

da reſcribere, mutato *o* in *a*, & *t* in *d*; quod jam compluries probatum eſt. *colo* eſt in omnibus libris, non *colu*: quamquam id parum refert. *Accerſis* (ſic fere membranae, non *Arceſſis*) manifeſta praefert veſtigia τοῦ *Averſis*. *cantas* habent tres libri. *Charites*, quod e ſuo Scaliger produxit, firmat Comelinianus Gebhardi. *averſus* exſtat in Colbertinis & in noſtro utroque. *Poſcitur* quoque elegantius eſt altero iſto pervulgato. ſic Ovidius L. 4. Faſtor.

Expedit errantem nemori gratiſſima conjux;
Et dixit, gravidae poſceris exta bovis.

Horatius L. 1. Od. 32.

Poſcimur: ſi quid vacui ſub umbra
Luſimus tecum, &c.

ita recte ibi ſcriptum eſt in membranis Clariſſimi Graevii. quod firmant ſcholia antiqua. Hiſce ſingulis bene examinatis, non poteris quin gratias agas divino ſummi Viri ingenio, locum depoſitum tam feliciter perſanantis.

77. HAUD EGO VATES] in ſex ſcriptis, inque editione Veneta, legitur *aut ego vates*, ſenſu arguto; Certa tibi canam auctoribus certis, aut ego artem, quam profiteor, non intelligo. expreſſit noſter Maronem ſuum L. 10. Aen.

Quid ſi, quod voce gravaris,
Mente dares? atque haec Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror.

Ovidius Epiſt. Leandri:

Aut ego non novi, quam ſit temerarius; aut me
In freta non cautus tum quoque mittet Amor.

81. NON DEGENERASSE PROPINQUIS] *propinquos*, noſtri libri, & Groninganus, cum altero Regio. ita etiam correxerat Nic. Heinſius Not. in Ovid. L. 3. Pont. Epiſt. 1. & compluribus optimorum auctorum firmaverat exemplis. τὸ *degenerare* cum tertio caſu fere junxerunt poſteriores. Manilius L. 4.

Degenerant nati patribus, vincuntque parentes,
Ingeniumque ſuum retinent.

Claudianus de IV. Conſ. Honor.

Aequalis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama ſolus
Verteret, & patri non degeneraret Achilli.

Papinius L. 1. Theb.

magni de ſtirpe creatum
Oeneos, & Marti non degenerare paterno
Accipies.

apud eumdem poëtam *degener* legitur cum caſu ſecundo, elegantia Graecanica, L. 9.

oſtendi natum, poſuique trementem
Ante tuos confeſſa pedes. nec degener ille
Sanguinis, inque meos reptavit protinus arcus.

idem quoque *turpare* dixit, pro degenerare, L. 7.

Hic & mente Lacon, crudi torrentis alumnus,
Nec turpavit avos.

Non poſſe ad patrios ſua pila referre penates.
Nempe meam firmant nunc duo buſta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum ſaucia protegit ora,
Heu ſibi prolapſo non bene cavit equo.
Gallus at in caſtris dum credita ſigna tuetur,
Concidit ante aquilae roſtra cruenta ſuae.
Fatales pueri, duo funera matris avarae,
Vera, ſed invito, contigit iſta fides.
Idem ego, quum Cinarae traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junoni votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit. libris eſt data palma meis.
Hoc neque arenoſum Libyae Jovis explicat antrum,
Aut ſibi commiſſos fibra locuta Deos.

Aut

90. HEU SIBI PROLAPSO NON BENE CAVIT EQUO] Equis quum intellectum & conſenſum in facta dominorum adſcribant poëtae; non mirum ſi in illos rejicitur, ubi dominis accidit aliquid ſiniſtri. Virgilius L. 10. Aen. ỳ. 590.

Excuſſus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis adfatur amaris!
Lucage, nulla tuos currus fuga ſegnis equorum
Prodidit, aut vanae vertere ex hoſtibus umbrae.
Ipſe rotis ſaliens juga deſeris.

Seneca Oedip. ỳ. 143.

Segnior curſu ſonipes in ipſo
Concidit gyro, dominumque prono
Prodidit arvo.

Valerius Flaccus L. 6. ỳ. 207. de Caſtore pedite:

Simul obvius haſtam
Pectus in adverſum Gelae jacit: alipedemque
Inſilit excuſſo victor duce: riſit ab alta
Nube pater, prenſiſque equitem cognovit habenis.
At pariter luctuque furent niſuque Medores
Tyndaridem petit, & ſuperos ſic voce precatur:
Hunc, age, vel caeſo comitem me reddite fratri:
Primus & hic noſtra ſonipes cadat inpius haſta,
Credita qui miſero non rettulit arma parenti,
Meque venit contra, captivaque terga miniſtrat.

vide Naſonem II. Metam. 400. quem tamen locum pro ſpurio habuit Nic. Heinſius.

99. HOC NEQUE ARENOSUM LIBYAE JOVIS EXPLICAT ANTRUM] Cicero L. 6. ad famil. Epiſt. 6. *non igitur ex alitis involatu, nec e cantu ſiniſtro oſcinis, nec ex tripudiis ſoliſtimis, aut ſoniviis tibi auguror: ſed habeo alia ſigna, quae obſervem, quae etſi non ſunt certiora illis, minus tamen habent vel obſcuritatis vel erroris.*

99. Hoc &c.] v. Tibullus 1, 9, 3.-2, 5, 11. Seneca Oedip. ỳ. 390. inibi Delrius Com. p. 104. Statius IV. Theb. 409. Heinſius ad Silium p. 331.

100. SIBI COMMISSOS FIBRA LOCUTA DEOS] id extulit Statius, *verum ſpirantibus extis*, L. 4. Thebaidos; & deinde L. 5.

niger omnibus aris
Ignis, & in nullis ſpirat Deus integer extis.

Naſonem opinor ſecutus L. 15. Metam.

ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt, mentemque Deûm ſcrutantur in illis.

Tibullus L. 1. Eleg. 9.

Nec mihi ſunt ſortes, nec conſcia fibra deorum:
Praecinit eventus nec mihi cantus avis.

Cicero L. 1. de Divinat. C. 10. *quid fiſſum in extis, quid fibra valeat, accipio: quae cauſſa ſit, neſcio.* noſtrum ante oculos habuit Martianus

Aut si quis motas cornicis senserit alas:
  Umbra neque haec magicis mortua prodit aquis.
Adspicienda via est caeli, versusque per astra
  Trames, & ab zonis quinque petenda fides,
Felicesque Jovis stellae, Martisque rapacis,
  Et grave Saturni sidus in omne caput.
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
  Laetus & Hesperia quid Capricornus aqua.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
  Ille bene haerentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
  Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
  Supprime, & Euboicos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
  Et natat exuviis Graecia pressa tuis.

Victor

tianus Capella, L. 1. de nupt. Philolog. p. 5. ubi de Mercurio: *ipse pedibus talaria nectit aurea, & nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denuntiata pecudum caede physiculatis extorum prosiciis viscera loquebantur, quibusque sortitus excedere, vel logia personare, sagaci eum investigatione disquirunt.* leve mendum est in voce *physiculatis*, pro qua jam olim viri docti *fissiculatis* restituerunt.

102. UMBRA] v. Barthius ad Statium T. 2. p. 827.

105. JOVIS STELLAE] Cicero Somn. Scipion. C. 4. *deinde est hominum generi prosperus & salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis: tum rutilus horribilisque terris, quem Martium dicitis.* v. Macrobius I. C. Comm. 19.

108. LOTUS ET HESPERIA QUID CAPRICORNUS AQUA] noster secundus, *Laetus & Hesperia.* quod non possum non amplecti. Virgilius L. 2. Aen.

Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, & laetus Eois
Eurus equis.

ita hic Capricornus laetus occiduo mari, cujus ei regnum dederunt poetae. Horatius L. 2. Od. 17.

tyrannus
Hesperiae Capricornus undae.

neque mirum si exsultet, & sese efferat in suo ipsius regno. pari ratione eidem poetae Notus dicitur *arbiter Hadriae* L. 1. Od. 3. ditione minus lata.

115. NAUPLIUS ULTORES SUB NOCTEM PORRIGIT IGNES] historiam eleganter, suo more, exponit L. Septimius L. 6. C. 1. & Seneca multa cum pompa Agamemn. Act. 3. ante utrumque fecerat Pacuvius Duloreste, unde haec producit Priscianus L. 5.

Pater
Achaeos in Caphareis saxis pleros perdidit.

plura Cicero nobis servavit L. 1. de Divinat. C. 14. & L. 3. de Orat. C. 39. *Quid? gubernatores nonne falluntur? an Achivorum exercitus, & tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio,*

Ut profectione laeti piscium lasciviam
Intuerentur, nec tuendi satias capere posset.
Interea prope jam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque & nimbûm occaecat nigror:
Flamma inter nubeis coruscat, coelum tonitru contremit,

Victor Oilide, rape nunc, & dilige vatem,
  Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiae. nunc ad tua devehor astra.
  Incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Umbria te notis antiqua penatibus edit.
  Mentior? an patriae tangitur ora tuae?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
  Et lacus aestivis intepet Umber aquis,

Scan-

Grando mixta imbri largifluo subita praecipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines:
Fervit aestu pelagus.
nam & haec eodem pertinebant. Utinam integrum exstaret grande illud Pacuvii drama, & intercidissent potius languentes aliquot atque elumbes recentiorum foetus!

118. QUAM VETAT AVELLI VESTE MINERVA SUA] alii libri, indicante Passeratio, *avelli ex aede*; alii, *avelli sede.* frustra. Cassandram enim una cum Palladis simulacro, quod erat amplexata, ex adytis traxit violentia Ajacis. recte igitur ipsam amiculo suo contectam avelli vetat Minerva. Talem olim pinxerat nobilis artifex Polygnotus, cujus tabulam enarrans Pausanias in Phocicis, *Sedet*, inquit, *ipsa Cassandra humi, Palladium complexa; quod ipsum e suis sedibus virgo avellit, cum supplicem ab ara Ajax abstraxit.* Lucilius L. 26. *Nec mihi Oilei proferatur Ajax, quod Cassandram signo deripuit.* puto istic legendum, *cum signo deripuit*, subintellecto *ex adytis.* Quamquam (fatebor enim) Romani a Polygnoto non semper steterunt. Hyginus Fab. 116. *Ilio capto, & divisa praeda, Danai cum domum redirent, ira Deorum, quod fana spoliaverant, & quod Cassandram Ajax Locrus a signo Palladio abripuerat, tempestate & flatibus adversis ad saxa Capharea naufragium fecerunt.* haec itaque conjectura esto. tamen nostrum poëtam, Graecos libenter sequentem, potius ex Pausania interpretandum opinor. Eodem ferme modo Hipsipyle patrem Thoanta contra furentes Lemniades defendit sub ipso Liberi patris signo, apud Valerium Flaccum L. 2. Argon.

tunc excipit artus,
Obnubitque caput, tacitumque ad conscia Bacchi
Templa rapit: primoque manus a limine tendens,
Exime nos sceleri, pater, & miserere piorum
Rursus, ait. tacita pavidum tunc sede locavit
Sub pedibus dextraque Dei: latet ille receptus
Veste sacra.
& Cassandram quidem inimici regis filiam mitius habuit furiosus ille Ajax, quam suam germanam Tryphaena ista Grypi; *quae vocatis ipsa militibus*, (ita Justinus L. 39. C. 3.) *misit qui sororem confoderent. Qui ut in templum intraverunt, cum evellere eam non possent, manus amplexantis Deae simulacrum praeciderunt.*

123. QUA NEBULOSA CAVO RORAT MEVANIA CAMPO] *Quam* reponebat Nic. Heinsius Not. ad Claudian. L. 1. in Rufin. ℣. 385. habet & *quam* noster primus, & unus Regius. quod tamen huc non facit. neque enim dici potest Mevania campo nebuloso rorare Propertii patriam Mevaniam. *Qua* est adverbium loci; cui adcrevit τὸ *m* ex vicinitate vocis *nebulosa.*

124. ET LACUS AESTIVIS INTEPET UMBER AQUIS] idem ille liber noster, *Ut lacus aestivis. Ut*, adverbium temporis, significat quam primum, simul ac, &c. Virgilius L. 8.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acris concussit equos, utque impulit arma,
Extemplo turbati animi.

hac ratione sensus esset, Mevaniam tum maxime nebulas exhalare, quum lacus Umber

cae-

Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua quum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos fallax opus: haec tua castra:
Scribat ut exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.

Nam

caepit aestivis aquis intepescere. sed quis est ille *Umber lacus*, & quidem *tepens?* nescio. Schoppius in Paradoxis Literariis dicit Johannem Metellum Sequanum in melioris notae codicibus perscriptum invenisse,

Et sacer aestivis intepet Imber aquis.

additque, *Imbrem sacrum* fuisse fontem aquae calidae, muro inclusum, cujus etiam tunc praeclarae viserentur reliquiae; *Inversate* hodie dici, vel *Imbersato*, &c. indicasset heros iste hybrida, in qua parte terrarum adserventur praeclari isti codices Johanni Metello inspecti. nam eorum, qui ad hunc usque diem innotuerunt eruditis, tale quid habet nullus. itaque de *Imbre sacro* cras credemus, hodie nihil. nam etsi Batavorum aures quarumvis fabularum capaces pronuntiat ibidem dictator Schoppius; tamen nondum inventus est Batavus ullus, qui sibi persuaderi sit passus, Schoppium fuisse virum bonum & honestum. Ceterum si quis putat Schoppium hic aliquid novi procudisse; is sciat quidquid hoc est rei de *imbre sacro* jam olim, ante Schoppium natum, fuisse literis proditum a summo viro Lilio Gregorio Gyraldo, Dial. 4. de Histor. Poëtar. p. 163.

125. SCANDENTISQUE AXIS] facile adsentior Passeratio, e vetere libro *arcis* reducenti. de quo etiam monuerat Canterus noster, & doctissimus Livinejus. vide tamen Lipsium L. 5. Ant. Lect. C. 10.

127. OSSAQUE] v. Douza Schediasm. succidan. p. 18. sqq.

128. IN TENUES COGERIS IPSE LARES] τὸ *ipse* legitur in libris melioribus. valde abutuntur bono otio, qui multa hic argutantur pro suo *isse*, *iisse*, *ire*, *esse*. non erant tanti.

131. BULLA RUDI DEMISSA EST AUREA COLLO] noster primus, cum duobus Gebhardi, *dimissa*, i. e. collo demta, & Laribus donata. aliud sane est *demissa* apud Virgilium L. 7.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

per *bullam auream* exprimit sui ordinis conditionem. ea enim fuit puerorum ingenuorum, quorum patres equo stipendia justa meruissent. vide Macrobium L. 1. Sat. C. 6. & Scholiastem Juvenal. in Sat. 5. ℣. 164. pulcre Cicero Accus. 1. in Verr. C. 58. *Itaque tibi, Hortensi, non illius aetas, sed causa: non vestitus, sed fortuna popularis videbatur. neque te tam commovebat, quod ille cum toga praetexta, quam quod sine bulla venerat. vestitus enim neminem commovebat is, quem illi mos & jus ingenuitatis dabat. quod ornamentum pueritiae pater dederat, indicium atque insigne fortunae, hoc ab isto praedone ereptum esse graviter & acerbe homines ferebant.*

137. MILITIAM VENERIS BLANDIS PATIERE SUB ARMIS] male hic *annis* substituunt. est enim perpetua translatio a re militari. confer Nasonem L. 1. Amor. Eleg. 9. quamquam

Nam tibi victrices, quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas.
Et bene quum fixum mento decusseris uncum,
Nil erit hoc. rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem, lucemque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiae, nec te signata juvabunt
Limina: persuasae fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
Octipedis cancri terga sinistra time.

quam & istinc *annis* adstruat aliquis argutator, hic sane *armis* habent veteres membranae.

141. FIXUM MENTO DISCUSSERIS UNCUM] legendum, *decusseris*. praeeunt duo Regii, & noster secundus, in quibus *descusserit*.

145. NEC TE SIGNATA JUVABUNT LIMINA] v. Salmasius de Modo Usurar. p. 451.

149. TELLUS DIDUCAT HIATUM] bene noster primus, cum Groningano, *diducat hiatu*. τὸ *diducat* agendi figura positum, patiendi tamen intellectu capiendum est. quod ego nunc ope veterum membranarum, id olim solo ingenii acumine praestitit, & exemplis idoneis adstruxit, capitalis ille Valens Acidalius Vellejan Lection. C. 8. L. 1. atque ita ferme Cicero III. de Offic. 9. *Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit.*

150. OCTIPEDIS CANCRI] Politianus Rustic. ℣. 50.

Quippe hiemem excipere, & ventos, coelique ruinam
Suetum, atque octipedem nec opaco vertice cancrum.

v. ibi Nic. Beraldus p. 18.

II.

QUid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, Tuscis orior: nec poenitet inter
Praelia Volsanos deseruisse focos.

Haec

Hujus Elegiae epigraphe est fere in libris priscis, *Fabula Vertumni:* in nostro primo, *de Deo Vertumno.* Joannes Goropius mallet *Signum Vertumni*, quia ipsum Vertumni signum loqui fecerit Propertius. posses & *Vertumnus* simpliciter scribere; quo modo infra *Hercules* dicitur in membranis Elegia 10. verum omnes isti tituli parentes librarios habuerunt, auctoribus suis merito redonandi.

2. ACCIPE VERTUMNI SIGNA PATERNA DEI] libri omnes *Vertumni*, scriptura antiqua, cui favet, & frequentem in nominibus Deorum docet, insignis Lipsius L. 1. Saturn. C. 2. in Junii Columellae exemplaribus priscis legitur *Vortumnus*, hoc versu,

Mercibus ut vernis dives Vortumnus abundet.

ita certe istic invenisse se dicit Jo. Baptista Pius Annot. poster. C. 33. quamquam neque id infrequens est in aliorum voluminibus vetustis, atque etiam in lapidibus literatis. sic VORTUMNUS legitur apud Gruterum XCVI. 3. potest autem varie scribi hoc nomen, cujus varias caussas jam reddet noster. vide Dausqui Orthographica, volumine secundo.

3. TUSCUS EGO, ET TUSCIS ORIOR] τὸ & abest a plerisque libris: nec multum juvat,

Haec me turba juvat: nec templo laetor eburno:
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat: & ajunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.

Prima

vat, etiamsi adsit. alii legunt *e Thuscis.* mihi neutrum probatur. Livius L. 26. C. 6. *Medixtuticus, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat; loco obscuro tenuique fortuna ortus.* Horatius L. 4. Od. 6.

Virginum primae, puerique claris
Patribus orti.

4. VOLSCINOS DESFRUISSE FOCOS] ita vulgatae; Borrichianus *Volsinos*; quum melius legeretur *Volsinios*, praeeunte in commentariis Beroaldo. sed nostri libri, ac Groninganus, & Commelinianus Gebhardi, habent *Volsanos.* quod placuisse video magno Lipsio ad Tacit. L. 4. Annal. C. 65. alii *Volscanos* agnoscunt, alii *Volscanios*, haud multum a vera lectione abludentes. in primis editionibus est *Velsanios*, leviter itidem deflexum. Antonius Volscus legebat *Clusinos*, nescio quo auctore. *Vulsinii* & *Vulsinienses* saepe leguntur in monumentis antiquis. nos & libros meliores & ducem Lipsium sequemur.

5. NEC ME TURBA JUVAT] ita libri; in quibus fere confundi solent N & H initiales literae. bene autem e codice Vaticano emendavit praeclarissimus Lipsius *Haec me turba juvat*, L. 5. Ant. Lect. C. 10. quod sanis rationibus in Vertumno suo firmavit Joannes Goropius.

11. VERTENTIS FRUCTUM PERCEPIMUS ANNI] noster secundus claris literis *praecepimus* habet, i. e. primi cepimus. elegans est notio τοῦ *praecipere.* Virgilius L. 6. Aen.

Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.

Albinovanus Eleg. ad Liviam Aug.

Fingebas reducem, praeceptaque mente fovebas
Gaudia, & ante oculos jam tibi victor erat.

Ovidius Epist. Helen.

Ad possessa venis praeceptaque gaudia servus.

Caesar L. 3. Bel. Civ. C. 31. *a publicanis suae provinciae debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam praeceperat.* ibidem C. 87. *magna spe & laetitia omnium discessum est. ac jam animo victoriam praecipiebant, quod de re tanta, & a tam perito imperatore, nihil frustra confirmari videbatur.* Cicero 13. Philipp. C. 20. *Sed jam se colligit, & ad extremum incipit philosophari. Si me rectis sensibus euntem Dii immortales, ut spero, adjuverint: vivam libenter. Sin autem aliud me fatum manet: praecipio gaudia suppliciorum vestrorum.* —— *Praecipias licet gaudia: omnes te Dii, homines, summi, medii, infimi; cives, peregrini; viri, mulieres; liberi, servi oderunt.* Florus, de Ptolemaeo Cypri rege, L. 3. C. 9: *& ille quidem ad rei famam veneno fata praecepit.* idem elegans scriptor L. 4. C. 12: *Postquam extrema barbari vident, certatim igne, ferro, venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxis exprimitur, praecepere mortem.* Festus: *praecipuum, quod ante capitur.* Solebant autem fructuum primitiae Vertumno dari, quod hic videmus, & apud Nasonem L. 14. Metam.

Quid, quod amatis idem? quod, quae tibi poma coluntur,
Primus habet; laetaque tenes tua munera dextra?

12. VERTUMNI RURSUS CREDIDIT ESSE SACRUM] adsentior Goropio, *creditur* legenti: quod & Passeratius e libris monuerat. Creditur Vertumni rursus sacrum adesse, quia vertentis anni fructus praecepimus. sic paullo ante *ajunt, dicor*; paullo post *fama.* quae non ad certam aliquam personam referuntur, sed ad vulgi persuasionem communem.

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.
Hic dulces ceraſos, hic autumnalia pruna
Cernis, & aeſtivo mora rubere die.
Inſitor hic ſolvit pomoſa vota corona,
Quum pirus invito ſtipite mala tulit.
Mendax fama noces. alius mihi nominis index.
De ſe narranti tu modo crede Deo.

Op-

15. DULCES CERASOS] recte: neque enim ſemper in Italia fuere fructu dulci. Servius ad L. 2. Geor. ℣. 18. *Ceraſus civitas eſt Ponti, quam cum deleſſet Lucullus, genus hoc pomi inde avexit, & a civitate ceraſum appellavit. nam arbor ceraſus, pomum ceraſum dicitur. Hoc autem etiam ante Lucullum erat in Italia, ſed durum, & cornum appellabatur: quod poſtea mixto nomine cornoceraſum dictum eſt.* aliter Plinius L. 15. C. 25. *Ceraſi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ad Urbis annum* DCLXXX, *is primum vexit e Ponto: annisque* CXX, *trans Oceanum in Britanniam uſque pervexere.* de nomine idem, quod Servius; de advectione in Italiam idem, quod Plinius, tradit Laurentius apud Athenaeum L. 2. C. 11. quem tamen Daphnus docet, Diphilum Siphnium, multis annis Lucullo antiquiorem, quippe qui vixerit ſub Lyſimacho rege uno ex Alexandri ſucceſſoribus, jam tum ceraſorum meminiſſe. unde probabile fit, ipſam urbem Ceraſunta nomen a ceraſis traxiſſe; ut multa alia locorum nomina ſunt ducta a plantis hic aut illic uberius provenientibus; obſervante in Animadverſionibus ad Athenaeum viro ſummo Iſaaco Caſaubono. cauſſam nominis prudenter diſſimulat, cetera Plinio haerens, Renatus Rapinus L. 4. Hortorum:

Quid memorem, ut Tiberim victor Romanus ad altum
Saepe triumphatos, peregrino e litore, fructus
Attulerit: Ceraſos ipſa ut Ceraſunte petitas
Lucullus patriis primum plantarit in hortis:
Ut ſua mala Urbi Medus, ſua pruna Damaſcus,
Lydiaque, atque omni cum gente Aegyptus, & Indi,
Ac domitae longo portarint agmine gentes?

15. AUTUMNALIA PRUNA] ejectis prunis hic *poma* ſubſtituit Borrichianus, & noſter primus. male. Plinius L. 15. C. 13. quod agit de prunis: *Et haec autem & perſica, & cerina, ac ſilveſtria, ut uvae, autumno cadis condita, uſque ad alia naſcentia aetatem ſibi prorogant: reliquorum velocitas cito miteſcentium tranſvolat.* auctor Copae:

Sunt & caſeoli, quos juncea fiſtina ſiccat:
Sunt autumnali cerea pruna die.

17. INSITOR] alii inſitionem & pomorum educationem referebant ad Saturnum. v. Macrobius I. Sat. 7. p. 181.

20. DE SE NARRANTI TU MODO CREDE DEO] nihil hic eſt quod quemquam morari poſſit, niſi intercederet Gebhardus, e codice Palatino (uti ait) reſtituens

De ſe veranti tu modo crede Deo:

quum *verare* ſit vera profari apud Ennium; & *veratrix* Apulejo dicatur mulier ſaga, quae conſulentibus vera reſpondere putatur. o abyſſum lectionis antiquae! Sane ſi ita ſcripſit poëta noſter, quos non putas ludos dediſſe Auguſto? Qui, Suetonio tradente C. 86. *genus eloquendi ſecutus eſt elegans, & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis atque inconcinnitate, & reconditorum verborum (ut ipſe dicit) foetoribus, praecipuamque curam duxit ſenſum animi quam apertiſſime exprimere.* nimirum, qualem quiſque veterum ſortitus eſt interpretem, talia fere procuduntur hujus ipſius ſcripta. quod vel maxime obtinuit ſaeculo ſuperiore, quum eſſet in pretio quaeſitus ille horror dictionis antiquae. numquam iis feliciter procedit, qui ſive in recenſione auctorum veterum, ſive in monumentis proprii ingenii, varias variarum aetatum loquendi formas confundere ſolent, ut olim multa jura coquus, nullo habito dilectu. *Quid oleas, neſcias, niſi ut male olere intelligas.*

Opportuna mea eſt cunctis natura figuris:
In quamcumque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella:
Atque virum ſumta quis neget eſſe toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime foeno:
Jurabis noſtra gramina ſecta manu.
Arma tuli quondam, &, memini, laudabar in illis:
Corbis in impoſito pondere meſſor eram.
Sobrius ad lites: at quum eſt impoſta corona,
Clamabis capiti vina ſubiſſe meo.
Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi:
Furabor Phoebi, ſi modo plectra dabis.
Caſſibus impoſitis venor: ſed arundine ſumta,
Faunus plumoſo ſum Deus aucupio.
Eſt etiam aurigae ſpecies Vertumnus, & ejus,
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Sup-

23. INDUE ME COIS] editiones primae *Caeis* habent. de qua ſcriptura dictum alibi quod ſatis ſit.

23. NON DURA PUELLA] ad inceſſum refert Douza Schediaſm. ſuccid. p. 69. ſq. ubi & alia huc facientia.

24. ATQUE VIRUM] *Meque virum* eſt in quinque libris. ſed illud alterum habent & priſcae editiones. utrum malis, parum referre puto.

28. CORBIS ET IMPOSITO PONDERE MESSOR ERAM] ſagaciter conjiciebat Petrus Francius, vir praeclarus, *Corbis in impoſito pondere m. e.* nam ita poſtea exaratum offendimus in noſtris libris, & in Groningano: quibus deinde acceſſit unius Regii, uniuſque Colbertini auctoritas. neque aliter editiones primae. iſtud *&* video ab Aldina primulum profluxiſſe. elegans hic eſt uſus voculae *in.* Virgilius L. 5. Aen.

occurrit Aceſtes
Horridus in jaculis, & pelle Libyſtidos urſae.

Phaedrus L. 5. Carm. 10.

Curſu volucri, pendens, in novacula,
Calvus, comoſa fronte, nudo corpore.

Statius L. 4. Theb.

procul ipſe gravi metuendus in haſta
Eminet.

& L. 7.

jactanti talia fruſtra
Turbidus aëria Capaneus occurrit in haſta.

Apulejus L. 3. Metam. *At illi barbari prorſus & immanes homines, neque fugam capeſſunt; & cum viderent in ferro, tamen audaciter reſiſtunt.* Ceterum *pondus* illud *corbis* decore dictum eſt. erant enim corbes iſtae meſſoriae ſic ſatis ſpatioſae. Cicero orat. pro Sextio C. 38. de Graccho illo inſitivo: *Senſit ruſticulus non incautus; neque enim homines nequam tacere potuerunt, ſuum ſanguinem quaeri ad reſtinguendam invidiam facinoris Clodiani: mulionicam penulam arripuit, cum qua primum Romam ad comitia venerat: meſſoria ſe corbe contexit.*

30. CLAMABIS CAPITI VINA SUBISSE MEO] Nic. Heinſius Not. in Ovid. L. 1. Artis Amat. ℣. 568, legit *capiti vina ſubiſſe tuo.* quod ego, ut verum fatear, quid rei ſit non ſatis capio. itaque, niſi ſi mendum eſt typographicum, ſuſtinebo donec prodeant Notae Viri incomparabilis in Aurelium noſtrum: quod brevi futurum animus mihi auguratur.

35. EST ETIAM AURIGAE SPECIES VERTUMNUS] non bene haec interpretatus eſt Paſſeratius: qua de cauſſa peſſimè intelle-

xerunt

Suppetat hoc, pisces calamo praedabor; & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est,
Hortorum in manibus dona probata meis?

Cae-

xerunt Marollius, ejusque fucus Phil. Silvius. Tu vide Salmasii Notas in Vopiscum p. 506. & Panvinium L. 1. de Ludis Circens. C. 9.

38. MUNDUS DEMISSIS INSTITOR IN TUNICIS] *demissae tunicae* sunt longiores, & ad feminarum tunicas propius accedentes, ut bene exposuit eruditissimus Ferrarius L. 3. de Re Vest. C. 6. iis utebantur homines molliores, & quibus cura erat ut mulieribus placerent. ideo recte *mundus* hic institor dicitur, h. e. elegans, comtulus, formosulus, & quasi de capsula totus. *Institores* autem sunt, quos Plautus *nugivendos* vocat, & quorum catalogum bene longum contexit Aulul. Act. 3. Sc. 5. Nonius: NUGIVENDOS *Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendant. Nam omnia, quibus matronae utuntur,* NUGAS *voluit appellari.* Hi nugivendi, aequum erat, ut ad mulierum ingenium sese componerent, neque nimis viriliter vestirent. ideo *discinctos* Ovidius vocavit L. 1. Art. Amat.

Institor ad dominam veniet discinctus emacem;
Expediet merces teque sedente suas.

At si lucrosae institoribus puellae, non minus quoque puellis lucrosi institores. erant enim mulierum magni amatores. Naso Remed. Amor.

Diligit ipsa alios: a me fastidit amari.
Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet.

Horatius L. 3. Od. 6.

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister
Dedecorum pretiosus emtor.

Et Epod. 17. ad Canidiam:

Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum & institoribus.

Scio *institoris* vocem latius extendi apud Jurisconsultos: sed eo, quem dixi, significatu fere ponunt poëtae.

39. PASTOREM AD BACULUM POSSUM CURARE] exponunt, pastorem esse, vel pastoris munus gerere. sic Vellejus *censorem implere* dixit, pro *censuram*, L. 2. C. 95. ubi sagacissimus Acidalius hunc nostri locum ad eam mentem interpretatur, adducto Apuleji altero L. 1. Metam. *annonam curamus, ait, & aedilem gerimus; &, si quid obsonare cupis, utique commodabimus.* cujus & hoc est L. 9. *Hic incinctus balteo militem gerebat.* At vero Passeratius elegantem lectionem (quam tamen ipsam idem ille meus Francius solerte conjectura divinaverat) profert e vetere suo libro,

Pastorem ad baculum possum curvare,

i. e. possum pastoris modo me ipsum incurvare, & baculo incumbere. Sane apud Gorlaeum, n. 49, gemma exhibetur, in qua lupa sub ficu duos infantes lactans, cum adstante pastore, qui incurvus baculo innititur: alteraque itidem, n. 53, in qua eodem habitu pastor cum cane ad pedes sedente, & hirco, sive is caper est, in arbusculam enitente.

40. SIRPICULIS MEDIO PULVERE FERRE ROSAM] Junius Columella L. 10.

Et vos agrestes, duro qui pollice molles
Demetitis flores, cano jam vimine textum
Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis:
Jam rosa distendat contorti stamina junci,
Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha.

videndus super *sirpiculis* Jos. Scaliger in Varron. L. 4. de L. L. quem sequitur Passeratius.

41. DE QUO MIHI MAXIMA FAMA EST] in nostro primo, & Borrichiano, ac Groningano legitur *maxima cura est*; quod multo videtur aptius, propter uxorem Pomonam, cui, ut par erat, plurimum obsequi volebat Vertumnus. ita ipse apud Nasonem L. 14. Metam.

nec

Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meae.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugae.

Sed

nec toto passim vagus errat in orbe:
Haec loca sola colit. nec, uti pars magna procorum,
Quam modo vidit, amat. Tu primus & ultimus illi
Ardor eris; solique suos tibi devovet annos.

42. HORTORUM IN MANIBUS DONA PROBATA MEIS] nempe olera, non tantum foetus arbutei. hinc ab olitoribus ac hortulanis cultum fuisse Vertumnum observavit Turnebus L. 23. Adv. C. 6. quod firmat Ovidius L. 14. Metam.

Sed neque jam foetus desiderat arbore demtos,
Nec quas hortus alit cum succis mitibus herbas;
Nec quidquam, nisi te.

50. UNDE HODIE VICUS NOMINA TUSCUS HABET] noster primus cum Borrichiano legit *u. h. Tuscus n. vicus h.* quod tamen non est magni momenti. Propertii tempore male audiebat hic vicus, & sola se vetustatis fama tueri poterat. Horatius L. 2. Sat. 3.

Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniant. quid tum? venere frequentes.
Verba facit leno. &c.

ecce non pauca collegia artificum honestissimorum: nec tamen nova, quippe quae jam inde a Plauti aetate istic quotidie suppullulabant. de origine istius vici aliquid habet Servius, quod & huc faciat, ad L. 5. Aen. ℣. 560. postea dictus fuit *Turarius*, tradente Helenio Acrone. habebat autem istic aedem suam Vertumnus, ipse Tuscus. Porphyrio in Horat. L. 1. epist. 20. *Vertumnus deus est praeses vertendarum rerum, hoc est, emendarum ac vendendarum, qui in vico Turario sacellum habuit.* Asconius in Accus. 1. in Verr. C. 59. *Signum Vortumni in ultimo vico Turario est, sub basilicae angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem. Vortumnus autem deus invertendarum rerum est, id est mercaturae.* in hoc ipso vico Tusco, anno MDXLIX. basis praegrandis marmorea effossa est, ante aedificium illud quadratum quod Statoris putant, cum hac epigraphe,

VORTVMNVS
TEMPORIBVS
DIOCLETIANI. ET
MAXIMINIANI

ita legitur in codice Stephani Vinandi Pighii manu scripto: rectius autem MAXIMIANI apud Gruterum XCVI. 3.

51. TEMPORE QUO SOCIIS VENIT LUCOMEDIUS ARMIS] noster secundus habet *Lycomedius*; quod non nihil firmat Joannis Goropii emendationem, *Lucumonius* restituentis. est enim is ipse, qui supra *Lucmo*, sive *Lucumo*, nuncupabatur. ad eam formam dicebant *Tiberis, Tiberinus*; *Anien, Anienus*; *Icarus, Icarius.* & quae id genus sunt plura. vide Servium, loco proxime laudato, & Lucium Joannem Schoppium. L. 1. Collectan. C. 18.

Sed facias divum ſator, ut Romana per aevum
Tranſeat ante meos turba togata pedes.
Sex ſuperant verſus. te, qui ad vadimonia curris,
Non moror. haec ſpatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe Deus.
At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae,
Tellus artifices ne terat Oſca manus:
Qui me tam dociles potuiſti fundere in uſus.
Unum opus eſt, operi non datur unus honos.

58. HAEC SPATIIS ULTIMA CRETA MEIS] τὸ *creta* ex ſuo libro dedit Scaliger. & ſanè ita habent plures ſcripti. ego autem Groninganum illum libentius ſequor, in quo *meta*. quomodo fere ſolent poetae. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 2.

Me miſerum! metam ſpatioſo circuit orbe.

L. 1. Art. Amat.

Hic modus; haec noſtro ſignabitur area curru:
Haec erit admiſſa meta tenenda rota.

L. 4. Triſt. Eleg. 8.

Nec procul a metis, quas paene tenere videbar,
Curriculo gravis eſt facta ruina meo.

Virgilius L. 3. Geor.

Hic vel ad Elei metas & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas.

& L. 5. Aen.

Jamque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant.

noſter hujus libri Eleg. 1.

Has meus ad metas ſudet oportet equus.

& L. 1. Eleg. 3.

Illa fuit lacrimis ultima meta meis.

L. 3. Eleg. 12.

Pulverulentaque ad extremas ſtat femina metas.

in his certè qui ad *cretam* confugerit, ne ille laboraverit incaſſum.

61. AT TIBI MAMURI] Ovidius ſecundam in *Mamurius* corripit L. 3. Faſtor. & quidem tribus locis: ne quis putet vitium eſſe ſcribae librarii.

III.

HAec Arethuſa ſuo mittit mandata Lycotae,
Quum toties abſis, ſi potes eſſe meus.

Si

1. HAEC ARETHUSA SUO MITTIT MANDATA LYCOTAE] Epiſtola eſt Aeliae Gallae ad Poſtumum, ſcripta ad imitationem Heroidum Ovidianarum, ut recte obſervavit Nic. Heinſius. neque enim dubitari poteſt quin incidat in idem tempus, quo Naſo Artes ſuas elucubrabat, teſte hoc loco ex L. 1.

Ecce paras Caeſar domito quod deſuit orbi
Addere. nunc oriens ultime noſter eris.

Tunc vero jam evulgati erant & libri Amorum, & Heroidum Epiſtolae. ſic enim ipſe L. 3. Art. Amat.

Déve tribus libris, titulus quos ſignas Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.
Vel tibi compoſita cantetur Epiſtola voce:
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.

placuit amoeniſſimi inventi felix ſucceſſus, & aliorum quoque ingenia excitavit. Aulus Sabinus ad multas Ovidianas reſpondit, indice

Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis.

5 Aut

dice ipso Ovidio L. 2. Amor. Eleg. 18. quamquam, quae istic memorantur, omnes interierunt. tentavit & noster hac ipsa, quae nunc prae manibus est, elegia. cujusmodi utinam plures edidisset. *Mandata* esse absentium ad absentes, recte docet Passeratius. erant tamen praesentium quoque ad praesentes. Ovidius Epist. Sapphus:

Non tecum lacrimas, non oscula summa tulisti.
Denique non timui, quod dolitura fui.
Non mandata dedi. neque enim mandata dedissem
Ulla, nisi ut nolles immemor esse mei.

verbum *suo*, sic solum, plus aliquid est, quam si addidisset *marito*. noster L. 3. Eleg. 12.

Et licet in triviis ad latus esse suae.

eleganter id expressit Vir undequaque summus, Balthasar Castilioneus, in Epistola illa multo pulcerrima, quam sub nomine Hippolytae Taurellae uxoris suae ipse conscripsit:

Hippolyte mittit mandata haec Castilioni,
Addideram imprudens, hei mihi, paene Suo.

priorem versum perperam produxit Paulus Colomesius Cimel. Liter. Cap. 26.

Hippolyte ἐμπράττειν jam dicit Castilioni.

ubi etiam credere videtur, ipsam Hippolytam esse auctorem nitidissimi carminis: in quo vehementer errat. ea enim nihil in literas misit. Barbarae quidem Taurellae nota sunt carmina, sed vulgari Italorum conscripta idiomate, non autem Romano. deinde, tamquam pro cimelio huc usque inviso quod habuerit, in eo quoque frustra est: quum jam pridem lectum fuerit in Carminibus quinque poëtarum illustrium Italorum, inque Deliciis Italicis Jo. Matthaei Toscani; unde postea transiit in collectionem Gruteri. sed Colomesium, ut erat poëseos indiligentior, in hunc errorem induxit auctoritas Caelii Secundi Curionis, qui primus ausus fuit hanc elegiam sub nomine Hippolytae Taurellae in lucem proferre, una cum monumentis ingenii clarissimae feminae Olympiae Fulviae Moratae, Basileae A. 1562. quid igitur in caussa esse dicemus, cur tam ingrato silentio Hippolytae nomen praeterierint illi, qui mulierum eruditione illustrium praeconia in literas miserunt? quid denique movisse maritum ipsum, ut ne in epitaphio quidem, quod uxori posuit, tam rarae laudis voluerit meminisse? ita enim habet: si quis tamen & haec videre desiderat:

HIPPOLYTAE. TAVRELLAE
VXORI. DVLCISSIMAE. QVAE
IN. AMBIGVO. RELIQVIT
VTRVM. PVLCHRIOR. AN. CA-
STIOR. FVERIT. PRIMOS. IVVENTAE
ANNOS. VIX. INGRESSAE
BALTHASAR. CASTILIONIVS
INCREDIBILITER. MOERENS
P
MDXXV.

Sed neque in Italia super auctore hujus carminis ulla umquam controversia fuit. Gaspar sane Schoppius (id quod Colomesius non debuit ignorare) in Paradoxis Literariis ita loquitur, Epist. 5. *in Balthasaris Castilionis summi poëtae elegia, plorantibus opinor Musis*, rideo *prima correpta profertur hoc versu:*

Huic ego delicias facio, arrideoque, jocorque.

& nobilissimus tam sanguine quam ingenio Douza nostras in Echo:

Scin, quibus est odio Joviani carmen, & Acti,
Sordet & Hippolyte Castilionis? ὄντως.

voluit opinor Caelius gentibus exteris ostentare excellentiam ingeniorum Italicorum, ipse Italus, productis ex uno opido duabus mulieribus tam insuetatae eruditionis.

4. Haec erit e lacrimis facta litura meis] Cicero L. 14. ad famil. epist. 3. *Accepi ab Aristocrito tris epistolas, quas ego lacrimis prope delevi.* hae erant legentis. cum scribente Arethusa facit Sappho:

Scribimus, & lacrimis oculi rorantur obortis.
Aspice, quam sit in hoc multa litura loco.

aliquanto ominosius Canace:

Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris,
Oblitus a dominae caede libellus erit.

Ddd 2

Aut si qua incerto fallet te litera tractu,
Signa meae dextrae jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus;
Te modo munito Sericus hostis equo;
Hibernique Getae; pictoque Britannia curru;
Ustus & Eoo decolor Indus equo.

Haec

5. AUT SI QUA] Gebhardi libb. *At si qua.*

6. DEXTRAE JAM MORIENTIS ERUNT] Groningan. *erant.*

8. MUNITO BETICUS HOSTIS EQUO] valde hic turbant libri. quorum tamen pars potior *Hericus* habet, haud dubie mutandum in *Sericus.* id quod jam olim indicavit Beroaldus. τὸ *Beticus* Scaligeri nusquam comparet. neque *Persicus*, aut *Parthicus* Douzae F. admitti potest, ex Modiano *Duricus:* quum in Modiano (is est Groninganus) legatur *Euricus*, quod ex *Hericus* manavit. *Seres* & *Bactra* etiam apud Horatium junguntur L. 3. Od. 29.

Tu civitatem quis deceat status
Curas: & Urbi sollicitus times,
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.

& L. 4. Od. 15.

Non Seres, infidive Persae,
Non Tanaim prope flumen orti.

& L. 1. Od. 12.

seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oris
Seras & Indos.

adposite Lucanus L. 1.

Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes.

nam ejus fluminis mentio fiet paucis abhinc versibus. Mela L. 1. C. 2. *in ea primos hominum accepimus ab oriente, Indos, Seres, & Scythas.*

10. USTUS ET EOA DISCOLOR INDUS AQUA] Gebhardus, tamquam rem magnam ostensurus, Passeratium ignorantiae postulat, eò quod nescierit vi aquarum homines plurimum ferè colorari. miror. nam illud ipsum ex Strabone jam docuerat Passeratius, firmandae lectioni receptae; quum tamen ipse mallet *Eois equis.* Indi utrum aqua sua inficiantur & colorentur, an vero aestu solis propinquioris, disquirant philosophi. nobis res est cum poëta, poetice explicando. veteres illi omnes caussam nigri in Indis coloris semper soli dederunt, aquae numquam. Tibullus L. 4.

Et quascumque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus equis.

& L. 2. Eleg. 6.

Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.

noster L. 3. Eleg. 11.

Felix Eois lex funeris una maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.

Lucretius L. 6. quo loco de Nilo agit:

Ille ex aestifera parti venit amnis ab austro,
Inter nigra virum percoctaque saecla calore.

Seneca Oedip. ℣. 120.

Promit hic ortus, aperitque lucem
Phoebus, & flamma propiore nudos
Inficit Indos.

Ovidius L. 2. Metam. ubi incendium a Phaëthonte:

Sanguine tum credunt in corpora summa vocato
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.

Macrobius L. 2. in Somn. Scip. C. 10. ubi de humore, quo ignem aetherium nutriri ajunt: *& hoc esse volunt quod Homerus, divinarum omnium inventionum fons & origo, sub poëtici nube figmenti virum sapientibus intelligi dedit, Jovem cum Dis ceteris, id est cum stellis profectum in oceanum, Aethiopibus eum ad epulas invitantibus. Per quam imaginem fabulosam Homerum significasse volunt, hauriri de humore nutrimenta sideribus: qui ob hoc Aethiopas reges epularum coelestium dixit, quoniam circa oceani oram non nisi Aethiopes habitant, quos vicinia solis usque ad speciem nigri coloris exurit.* quae singula fortiter militant contra Gebhardum; quamquam plura etiam in medium adferri possunt. itaque omnino recipienda videtur Passeratii emendatio;

Haecne marita fides, hae pactae sunt mihi noctes,
Quum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quae mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est: nupsi non comitante Deo.

Omni-

datio: nisi malis *Eoo equo*, ut fiat hypallage numerorum. porro *decolor* legendum est, pro *discolor*, cum eodem viro magno. exemplis ab eo adductis conferre potes quae Jac. Nicolaus Loënsis L. 8. Epiphyll. Miscell. C. 10, observavit. non quo ea probent *decolor* esse idem quod *niger*; sed quia *decolor* dicitur de colore vitiato, & deperdito, ac deformato. & tamen recte pro *nigro* posuit Petr. Dan. Huetius, vir perfectissimus, in Vite: nam quum dixisset,

Interea longum nigros carpebat ad Indos
Bacchus iter, caedesque viris ac vincla parabat.

subdit deinde:

Jamque triumphatis victor remeabat ab oris
Bacchus: eum circum gravibus constricta catenis,
Nec bene servitii patiens, gens decolor ibat.

11. Haecne marita fides, et pactae jam mihi noctes] legendum e vestigiis meliorum codicum, *hae pactae sunt mihi noctes?* quomodo Beroaldus ediderat. Ovidius Epist. Hypsipyl.

Heu, ubi pacta fides? ubi connubialia jura?

13. Quae mihi deductae fax omen praetulit] integrum hunc locum luculenter illustravit M. Ant. Delrius Comment. in Senecae Medeam ℣. 17. alioqui Furiis adsignabant deducendi officium in nuptiis parum auspicatis. Ovidius L. 6. Metam. de nuptiis Terei & Procnes:

non pronuba Juno,
Non Hymenaeus adest, non illi Gratia lecto.
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides stravere torum: tectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit.

& Epistola Hypsipylae:

At mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis Erinnys
Praetulit infaustas sanguinolenta faces.

Valerius Flaccus L. 2. ℣. 173.

adglomerant sese, nudisque sub astris
Condensae fletus acuunt; ac dira precantur
Conjugia, & Stygias infanda ad foedera taedas.

Papinius L. 4. Theb. ℣. 133.

humeros ac pectora late
Flammeus orbis habet: perfectaque vivit in aure
Nox Danai. fontes Furiarum lampade nigra
Quinquaginta ardens thalami: pater ipse cruentis
In foribus, laudatque nefas, atque inspicit enses.

14. Traxit ab everso lumina nigra rogo] Ovidius Epist. Phyllidis:

Adfuit Alecto brevibus torquata colubris;
Suntque sepulcrali lumina mota face.

Valerius Maximus L. 9. C. 1. de L. Catilina: *filium suum, quem & solum & aetate jam puberem habebat, veneno sustulit: protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit.* nihil poterat dirius excogitari. tales enim faces ipsae Eumenides gerebant in crudelissimis quibusque sceleribus. Juno apud Senecam Herc. fur. ℣. 103.

Incipite famulae Ditis; ardentem incitae
Concutite pinum: & agmen horrendum anguibus
Megaera ducat, atque luctifica manu
Vastam rogo flagrante corripiat trabem.

pulcre autem noster *lumina* dixit *nigra*. sic & Horatius L. 4. Od. 12. *Nigrorumque memor, dum licet, ignium.* Virgilius L. 4. Aen. *sequar atris ignibus absens.* Ovidius L. 4. Fastor.

Conde tuas Hymenaee faces, & ab ignibus atris
Aufer: habent alias moesta sepulcra faces.

15. Et Stygio sum sparsa lacu] non erat ullum omen infelicius. Servius in L. 4. Aen. ℣. 167. *Varro dicit*, Aqua & igni mariti uxores ducebant. *Unde hodieque & faces*

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.
  Texitur haec castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
  Et struxit querulas rauca per ossa tubas:
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno:
  Aeternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
  Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
  Det mihi plorandas per tua colla notas.

Di-

praelucent, & aqua petita per felicissimum puerum aliquem, aut puellam, de puro fonte, intersit nuptiis, de qua nubentibus solebant pedes lavari. hic pro puro fonte est obscoena Stygis aqua. ita & Ovidius Ibin suum lavari facit, jam primulum natum:

Qui simul impura matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam foedo corpore pressit humum;
Protinus Eumenides lavere palustribus ulvis,
Qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis.

17. OMNIBUS HEU PORTIS PENDENT MEA NOXIA VOTA] noster secundus habet, *mea maxima vota.* Passeratius de suo libro promit, *mea pendent anxia vota.* sed nihil est mutandum. tantum abesse dicit, ut vota sua pro reditu Lycotae aliquid juvent & prosint, ut prius noceant ac laedant. cur autem vota apud portas suspendit? credo vel in portis, vel prope portas urbium, fuisse signa Larium Vialium, quae salutarint & qui proficiscebantur peregre, & qui peregre redibant. Plautus Merc. Act. 5. Sc. 2. *invoco Vos Lares Viales, ut me bene tutetis.* in Bacchidibus, Chrysalus redux Act. 2. Sc. 1.

Herilis patria salve! quam ego biennio,
Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui aedibus
Propinquus nostris accolis.

de his Larium signis capiendus opinor Lucretius L. 1.

Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conspicimus: tum portas propter, ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Saepe salutantum tactu, praeterque meantum.

quos versus multo aliter, nescio an multo melius, exposuit Andreas Alciatus L. 8. Parerg. Juris C. 10. quae Turnebus illustrando huic nostri loco attulit L. 23. Advers. C. 6, ea se tueri debent scribentis auctoritate.

23. DIC MIHI] artificiose exponit sollicitudinem amantis puellae. sic supra L. 3. Eleg. 4.

Dic mihi de nostra, quae sentis, vera puella:
Sic tibi sint dominae, Lygdame, demta juga.

in re hilaritatis Martialis L. 9. Epigr. 94.

Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calocisse, Deorum
Sex jubeo cyathos fundere: Caesar erit.

Claudianus, Laude Serenae Reginae:

Dic mihi, Calliope, cur tanto tempore differs
Pierio meritam serto redimire Serenam?

Virgilius Ecl. 3.

Dic mihi, Damoeta, cujum pecus? an Meliboei?

ex quo Virgilii loco quam vere collegerit Donatus, *τὸ dic mihi* semper esse injuriosum, ego quidem dispicere non possum: quamquam video omnes poëtae interpretes hoc horribile arcanum certatim transcripsisse ex Commentario in Terent. Andr. Act. 4. Sc. 1. Melius idem ille magister (si tamen est idem) tradit, verbum esse instantis audire, & curiosius interrogantis, in Hecyr. Act. 3. Sc. 2. quod repetitur ferme in Phorm. Act. 2. Sc. 3.

Diceris & macie vultum tenuasse, sed opto,
E desiderio sit color ille meo.
At mihi quum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta jacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aves.

Nocti-

28. E DESIDERIO SIT COLOR ISTE MEO] *color ille*, Vaticanus Livin. quod non displicet. Ovidius L. 1. Trist. Eleg. 1.

Nec te purpureo velent vaccinia fuco:
Non est conveniens luctibus ille color.

tum & *mei*, prae *meo*, poterat rectius videri. Cicero L. 7. ad famil. Epist. 18. *Quae ego paullisper in te ita desideravi, non imbecillitate animi tui, sed magis ut desiderio nostri te aestuare putarem.* L. 16. Epist. 1. *Paullo facilius putavi posse me ferre desiderium tui, sed plane non fero.* L. 1. ad Attic. Epist. 3. *Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse.* orat. post reditum ad Quirit. C. 1. *ut aliquando vos, patres conscriptos, Italiamque universam memoria mei, misericordia, desideriumque teneret.* ibidem C. 3. *Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos inflecteret, qui suo fletu desiderium mei memoriamque renovaret.* ibid. *filiique parvi desi derium mei, lacrimaeque pueriles.* de Harusp. respons. C. 23. *postea quam respirare vos a metu caedis, emergere auctoritatem vestram e fluctibus illius servitutis, reviviscere memoriam ac desiderium mei vidit.* pro Sextio C. 56. *flens & recenti laetitia, & misto dolore ac desiderio mei, egit aperte multo gravioribus verbis meam causam, quam egomet de me agere potuissem.* ibid. C. 35. *quorum ille telis libenter in tanto luctu ac desiderio mei, non repugnandi, sed moriendi causa, suum corpus obtulisset, nisi suam vitam ad spem mei reditus reservasset.* in L. Pison. C. 11. *Quorum Capuae te praetextatum nemo adspexit, qui non gemeret desiderio mei.* pro Milon. C. 15. *Omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei.* quamquam non est cur vulgatam omnino deseramus: nam & Terentius ita locutus est Heaut. Act. 2. Sc. 3.

mulier telam deserit
Continuo, & lacrumis opplet os totum sibi:
Ut facile scires desiderio id fieri tuo.

& Phorm. Act. 5. Sc. 8.

Nam neque neclegentia tua, neque odio id
fecit tuo.

& Cicero orat. pro Muren. C. 9. *sed tamen ego mei satietatem magno meo labore superavi, & tu idem fortasse: verumtamen utrique nostrum desiderium nihil obfuisset.*

29. QUUM NOCTES INDUXIT VESPER AMARAS] Gebhardus e membranis Palatinis reponit *reduxit*, motus loco paullo post excutiendo, qui est Eleg. 8.

Recidit inque suos mensa supina pedes.

non ignoro *re* in compositis esse anceps, ob eamque rationem admitti posse τὸ *reduxit*: id vero quo minus faciam, in caussa est Ovidii locus parissimus, in quo ejusdem verbi idem usus, L. 5. Fastor.

At simul inducunt obscura crepuscula noctem,
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.

& L. 2. Metam.

summam petit arduus arcem,
Unde solet latis nubes inducere terris:
Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
Sed neque, quas posset terris inducere, nubes
Tunc habuit: nec, quos coelo dimitteret, imbres.

tum post aliquod spatium:

Talia dicentem circumstant omnia Solem
Numina: néve velit tenebras inducere rebus,
Supplice voce rogant.

ad eam faciem verbo *infundere* utitur Maro L. 9. Aen.

Jam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat.

Sed & hoc ipso *inducendi* verbo, L. 4. Geor. sub finem:

Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus.

32. LUCIS ET AUCTORES NON DARE CARMEN AVES] Galli gallinacei dicuntur *lucis auctores*, non quia ipsi lucem producunt, sed quia cantu suo praenuntiant. sic graculum

plu-

Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera ducta suos.
Cogor & e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & haec docti sit positura Dei.

Et

pluviae auctorem vocat Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 6.

Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
Milius, & pluviae graculus auctor aquae.

ubi cur Nic. Heinsius *augur* maluerit, caussa nulla fuit.

34. ET TYRIA IN GLADIOS VELLERA SECTA SUOS] Passeratius e suis libris reponit, *Et Tyria in clavos.* quod quomodo procedat, non video. Beroaldus exponit de vestimento virgato, quod intextis quasi gladiolis dividebatur. Eam sententiam (si tamen τὸ *gladios* verum est) juvare poterant, opinor, ista Apuleji L. 8. Metam: *Quidam tunicas albas, in modum lanciolarum quoquoversum fluente purpura depictas, cingulo subligati, pedes luteis induti calceis,* &c. sed obstat mos Romanae militiae, ubi nullus usus vestium virgatarum. itaque Lipsium audio & sequor, cui accedit Merula ad Ennium p. 322. *in radios* feliciter emendantem L. 5. Ant. Lect. C. 10, ex libro Farnesiano, ubi *in gradios.* quo loco geminum errorem eluit in versu Ennii, quem producit Nonius in *Gracilentum:*

Deducunt habiles radios filo gracilento.

videndus Columna ad Ennium p. 72. b. ibi quoque *gladios* legitur vulgo. quamquam totus ille Ennii versus (quod obiter moneo) praetermissus est in editione Merceri; aut, quod credere malo, excidit potius incuria operarum. sane *pensa* & *radios*, itidem ut hic noster, etiam Maro conjunxit L. 9. Aen. ubi de matre Euryali:

at subitus miserae calor ossa reliquit.
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.

& Claudianus L. 3. de R. P.

Attritosque manu radios, projectaque pensa,
Cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo,
Ceu natam, pressas gremio.

tum hos secutus nobilis cumprimis scriptor, & ab eloquentia & ab eruditione commendatissimus, Caelius Calcagninus, in Noctibus Penelopeis:

Ite agite, o radii, textumque retexite pensum,
Ut fiant nostrae tempora longa morae.

sed τῷ *secta* quid fiet? id non dubito quin fuerit *sucta*, corruptum olim ex *ducta*. proprium huic rei hoc verbum. Ovidius L. 4. Metam.

Minyeïdes intus
Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,
Aut haerent telae, famulasque laboribus urgent.

firmat & pater Ennius, loco jam laudato, & plures alii passim reperiundi. Nicolaus Heinsius refingebat,

Et Tyria in calathos vellera lecta suos:

aut, — *in radios vellera texta, suis.*

ad Valer. Flacc. VI. 223. p. 356.

35. COGOR] forte *Conor.*

35. E TABULA PICTOS EDISCERE MUNDOS] tabularum geographicarum institutum longe est antiquissimum, utpote quarum inventarum gloria Anaximandro Milesio datur, qui claruit Olympiade 58. vide quae doctissimus medicus Marsilius Cagnatus notavit L. 4. Var. Observ. C. 5. quaeque Vir supra laudem Ger. Jo. Vossius lib. de Philolog. C. 11. quibus adde Agathemerem Orthonis F. cujus Expositiones Geographiae compendiariae in lucem publicam prodierunt cura Sam. Tennulii.

36. QUALIS ET HAEC DOCTI SIT POSITURA DEI] non est valde frequens istud *positura*; tamen probum. Lucretius L. 1.

sunt quaedam corpora, quorum
Concursus, motus, ordo, positura, figurae
Efficiunt igneis; mutatoque ordine mutant
Naturam.

& L. 2.

Propterea, magni quod refert, semina quaeque
Cum quibus, & quali positura contineantur.

qui versus paullo post iterum repetitur; & bis positus est libro primo. Gellius L. 5. C. 3. ubi de rudimentis studiorum Protagorae: *prope accedit, & vincturam posituramque ligni scite*

Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aqua Parthus millia currat eques.
Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet una soror curis; & callida nutrix
Deierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis:
Essem militiae sarcina fida tuae.
Nec me tardarent Scythiae juga, quum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus; sed aperto in conjuge major.
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.

Nam

scite periteque factam considerat, petitque ut paullum acquiescat. & L. 14. C. 1. *coepta fieri observatio est, ut animadverteretur quo habitu, quaque forma, quaque positura stellarum aliquis nasceretur.*

37. Et disco qua parte] hoc distichon male occupaverat sedem superiorem, nimirum ante illud, *Cogor & e tabula.* itaque huc revocavi. neque aliter sentiet, qui expendere voluerit.

38. Quot sine aqua Parthus millia currat eques] nescio quare hic *equus* malint. nam profecto plerique veteres & hominem equo insidentem, & equum qui insideretur, *equitem* dixerunt. Virgilius L. 3. Georg.

Fraena Pelethronii Lapithae gyrosque dedere
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Junius Philargyrius: *Hic* EQUITEM *sine dubio equum dicit, maxime cum inferat, insultare solo. Ennius Annal.* VII.

Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti
Proiciunt sese.

Minucius Felix, scriptor castigatissimus: *Tertius & Curtius, qui equitis sui vel mole vel onere hiatum profundae voraginis coaequavit.* consulendus Noctium Atticarum luculentus auctor L. 18. C. 5. &, qui eum exscripsit, Macrobius L. 6. Saturn. C. 9.

41. Pallida nutrix] proba est ac vera emendatio Nic. Heinsii, *callida*, Not. in Ovid. L. 6. Metam. ℣. 576. vafra illa anus tuas moras imputat tempestatibus hibernis, per quas integrum non sit tibi iter facere. pro *pejerat*, quod est in versu sequente, malebat Livinejus *dejerat.* amplector ego, & sequor. neque enim satis decore dicat Arethusa, nutricem suam desiderium languentis dominae perjurio solari consuevisse. Est autem *dejerare* sancte jurare. Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 3.

Illum liquet mihi dejerare his mensibus
Sex septem prorsum non vidisse proximis,
Nisi nunc, cum minime vellem.

& Hecyr. Act. 5. Sc. 2.

Phidippe, Bacchis dejerat persancte.

respondet Phidippus:

Nec pol istae metuunt Deos:
Neque has respicere Deos opinor.

Suetonius Caligul. C. 24. *neque umquam postea quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusilae dejeravit.* vitiatum est hoc verbum apud eumdem Tranquillum in Nerone, C. 28. *Acten libertam paullum absuit quin justo matrimonio sibi conjungeret, submissis consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent.* sane sententiam postulare *dejerarent*, res opinor est liquida.

Nam mihi quo, Poenis ſi purpura fulgeat oſtris,
  Cryſtalluſque ſuas ornet aquoſa manus?
Omnia ſurda tacent: raris aſſueta Kalendis
  Vix aperit clauſos una puella lares.
Glaucidos & catulae vox eſt mihi grata querentis:
  Illa tui partem vindicat una tori.
Flore ſacella tego, verbenis compita velo,
  Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit ſtans noctua tigno,
  Seu voluit tangi parca lucerna mero:
Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
  Succinctique calent ad nova lucra popae.

Ne,

51. NAM MIHI, QUO POENIS] monſtroſiſſime haec Galli interpretes expoſuerunt, Marollius puta ac Silvius. neque mirum: quum ipſum Paſſeratium, quem iſti ſequuntur ubi adſequi poſſunt, deceperit corrupta lectio, ita reſtituenda,

Nam mihi quo, Poenis ſi purpura fulgeat oſtris,
Cryſtalluſque ſuas ornet aquoſa manus?

hoc ſenſu: Quid enim mihi prodeſt, quod oſtrinis tunicis conſpicua pilam cryſtallinam delicata manu verſo, quum interea cogor ſola dormire, & carere tuo amore? omnis mihi domus nihil niſi ſolitudo eſt mera. &c. τὸ *ſi* Nic. Heinſio debemus, Viro unice ad ſalutem poëtarum Latinorum nato: quem etiam videre debes ſuper elegante uſu particulae *quo* Not. ad Ovid. Epiſt. Phyllid. ℣. 53: & doctiſſimum Gronovium ad Senec. L. 1. Nat. Quaeſt. C. 16. & L. 1. Controv. 2. ex *tuas* levi mutatione ego *ſuas* feci. eleganter, ni fallor, & poëtice. Ovidius Epiſt. Hypermneſtrae:

Haec ego: dumque queror, lacrimae ſua verba ſequuntur.

& Epiſt. Medeae:

Auſus es, o juſto deſunt ſua verba dolori,
Auſus es, Aeſonia, dicere, cede domo.

& L. 10. Metam.

Tendit onus matrem: nec habent ſua verba dolores.

de cryſtallo dictum eſt aliquid ad L. 2. Eleg. 18.

53. RARIS ADSUETA CALENDIS] omnes libri *rariſque.* quod non erat valde neceſſarium. *Kalendis* habent Groninganus ac noſter ſecundus, proba & priſca ſcriptura.

56. ILLA TUI PARTEM VINDICAT UNA TORI] libri fere *toro.* unde Gebhardus faciebat

Illa tuam partem vindicat una toro.

quod tamen eodem redit. lectus autem prae ceteris debebat Arethuſam ſui conjugis admonere. L. 11. Metam.

Ut nec vela videt; vacuum petit anxia lectum:
Seque toro ponit. renovat lectuſque locuſque
Halcyonae lacrimas: & quae pars admonet abſit.

60. SEU VOLUIT TANGI PARCA LUCERNA MERO] perperam Beroaldus & Paſſeratius, *tingi* malebant, pro *tangi*, quod eſt in omnibus libris. Ovidius L. 5. Faſt.

Rurſus aqua tangit, Temeſaeaque concrepat aera.

Virgilius L. 3. Georg.

Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca.

Martialis L. 6. Epigr. 74.

Medio recumbit imus ille qui lecto,
Calvam trifilem ſemitactus unguento.

62. SUCCINCTIQUE CALENT AD NOVA LUCRA POPAE] novis victimis purgaturi mala omina gementis noctuae, & lucernae deficientis. Erant *popae* in infima plebe, &, ni fallor, liberti. Cicero pro Milon. C. 24. *Quin etiam fuerit audiendus popa Licinius neſcio qui de circo maximo, ſervos Milonis apud ſe ebrios factos ſibi confeſſos eſſe de interficiendo Pompejo conjuraſſe. —— ſed mirabar tamen,*

cre-

Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum tortae sparguntur pondera fundae,
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva foedera lecti.
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armaque quum tulero portae votiva Capenae
Subscribam, *Salvo grata puella viro.*

credi popae, confessionem servorum audiri. Asconius: *Produxerant* [tres tribuni] *ad populum Cn. Pompejum, & ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suae vitae insidiari Milonem. Responderat Pompejus, Licinium quemdam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis, itemque libertos comparatos esse ad caedem suam: nomina quoque servorum edidisse.* Hunc popam satis liquet non fuisse ex gente Licinia, clara illa atque honoratissima: est autem verosimile, accepto pileo patroni nomen, id quod moris erat, ad suum nomen pristinum adjecisse.

63. NE PRECOR ADSCENSIS TANTI SIT GLORIA BACTRIS] Gebhardus reponit *accensis*, i. e. inflammatis. non erat opus. monet Arethusa maritum suum ne primus velit adscendere hostiles muros, & gloriae simul avidus & praedae. Virgilius L. 9. Aen.

Quaerunt pars aditum, & scalis adscendere muros.

64. RAPTAVE ODORATO CARBASA LINA DUCI] etiam apud vicinas gentes luxus hic Parthicus. Valerius Flaccus L. 6. ℣. 221.

cadit impiger una
Inguine transfosso clari Taulantis alumnus
Semidea genetrice Tages; cui plurima telis
Pervigilat nocturna soror, cultusque laborat.
Tenuia non illum candentis carbasa lini,
Non auro depicta chlamys, non flava galeri
Caesaries, pictoque juvant subtemine bracae.

65. PLUMBEA QUUM TORTAE SPARGUNTUR PONDERA FUNDAE] ergo & Parthi glandibus plumbeis utebantur in praeliando. super eo amplius inquirendum. an morem Romanum Parthis adscripsit noster? ut L. 3. Eleg. 7. Graecis dedit, quod erat Romanorum:

Moenia quum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus arcis equus.

Horatius L. 1. Od. 16.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere: & altis urbibus ultimae
Stetere caussae, cur perirent
Funditus, inprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

66. SUBDOLUS ET VERSIS INCREPAT ARCUS EQUIS] ratio pugnandi apud Parthos receptissima, quam tamen ipsi a Scythis didicerunt: videlicet, arbitro in Parthicis Appiano, ut salutem simul protegant, simul tollant a fuga turpitudinem. Valerius Flaccus L. 6. ℣. 698. de Myrace, regis Parthorum legato ad regem Aeetam:

Ipse, pharetratis residens ad frena tapetis,
Nunc levis infesto procurrit in agmina curru:
Nunc fuga conversas spargit mentita sagittas.

67. SED TUA SIC DOMITIS, &c.] laborabant hi versus a prava distinctione; quam tu ita corrige;

Sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva foedera lecti.

mirum est, quomodo interpretes potuerint explicare quae non intelligebant. bene jam olim exposuerat Beroaldus: sed eum nemo audivit.

71. ARMAQUE QUUM TULERO PORTAE VOTIVA CAPENAE] intellige templum Martis extra portam Capenam. *intra portam aedes erat Camoenarum cum luco.* mendosus est in

in hac voce Servius, ad L. 7. Aen. ℣. 697. LUCOSQUE CAPENOS. *Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos Capenam, cum adolevissent, miserat. Unde & porta Capena, quae juxta Capenos est, nomen accepit.* rectius legebatur in editione Georgii Fabricii, viri accuratissimi, *quae juxta Camoenas est.* ita & P. Victor locat in prima regione, & Juvenalis initio Sat. 3.

I V.

TArpejum nemus, & Tarpejae turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis:

5 Sil-

1. TARPEJAE TURPE SEPULCRUM] Dan. Heinsius emendabat, *Tarpejae rupe sepulcrum*, Not. ad L. 1. Silii Italici. *Tarpejae in rupe sepulcrum*, Nic. Heinsius ad Ovid. T. 3. p. 363. fane istic fuisse sepultam constat. Varro L. 4. de L. L. *Capitolium dictum, quod heic cum fundamenta foderentur aedis Jovis, caput humanum inventum dicitur. Hic mons ante Tarpejus dictus a virgine Vestali Tarpeja, quae ibi a Sabineis necata armeis, & sepulta: ejus nominis monimentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes Tarpejum appellatur saxum.* paria tradit Servius ad L. 8. Aen. ℣. 347. & Sext. Pomp. Festus auctor est, Tarpejae imaginem exstitisse in aede Jovis Metellina. unice eam summi Viri lectionem firmare posset Dionysius Halicarnass. Ant. Rom. L. 2. ubi refert ex L. Pisone Censorio, sepulcri honore dignatam fuisse eo quo cecidit loco, & quotannis ei Romanos reddere inferias: quorum neutrum consecuturam fuisse credibile sit, si fuisset patriae proditrix. Verum quum ibidem fateatur Dionysius, Fabium & Cincium nihil tale reliquisse; & constet nobis in omnia alia discedere gravissimum virum Plutarchum; cur non licuerit Propertio seorsum ire a L. Pisone, aliosque sequi auctores? *malam* profecto vocat, & *proditricem:* quo nomine sepulcrum ejus merito *turpe* audit. neque ullus liber ab hac scriptura dissentit. Silius quoque Italicus Tarpejam in inferis apud impios collocavit, L. 13. pone finem:

Illa autem quae tondetur praecordia rostro
Alitis (en quantum resonat plangentibus alis
Armiger ad pastus rediens Jovis) hostibus arcem
Virgo, inmane nefas, adamato prodidit auro
Tarpeja, & pactis reseravit claustra Sabinis.
Juxta (nonne vides? neque enim leviora domantur
Delicta) illatrat jejunis faucibus Orcus,
Armenti quondam custos immanis Iberi,
Et morsu petit, & polluto eviscerat ungue.
Nec par poena tamen sceleri.

Sed quis ille *Orcus* latrator? Cellarius, nescio quem Marsum secutus, pro ipso Geryone cepit, ridiculo sane commento. *Orthus* erat, Echidnae filius, Cerberi frater, Geryone canis armentarius: quomodo ex Hesiodi Theogonia ante duo ferme saecula pulcre emendavit Laurentius Balbus Annor. in Valer. Flacc. L. 3. ℣. 555. atque ex Balbo repetiit Mart. Ant. Delrius Comm. in Senec. Herc. fur. ℣. 231.

3. EDEROSO CONDITUS ANTRO] scribe *hederoso* cum nostris libris; & *consitus*, cum Gulielmo Cantero. lucus consitus prope antrum multa hedera vestitum. Cicero de Senect. C. 17. *Cyrum minorem, regem Persarum, praestantem ingenio atque imperii gloria, & ceteris in rebus communem erga Lysandrum atque humanum fuisse, & ei quemdam conseptum agrum diligenter consitum ostendisse. Serere* & *conserere* propria in his rebus verba. noster L. 1. Eleg. 14:

Ut nemus omne satas intendat vertice silvas.

Horatius L. 3. Od. 10.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra satum tecta remugiat
Ventis?

ita

Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
  Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo praecingit acerno,
  Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
  Quum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
  Stabant Romano pila Sabina Foro?
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
  Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeja Deae fontem libavit: at illi
  Urgebat medium fictilis urna caput.
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
  Pictaque per flavas arma levare jubas.

Ob-

ita enim istic meliores membranae; non *situm.* Seneca Epist. 123. *Non vivunt contra naturam qui pomaria in summis turribus serunt, quorum silvae in tectis domorum ac fastigiis nutant, inde ertis radicibus, quo improbe cacumina egissent?* saepe in his vocibus librarii erraruni. sic vidi in priscis quibusdam Tibulli codicibus

Et tu, Bacche tener, jucundae conditor uvae,

pro quo *consitor* habent emendatiores.

6. FISTULA] v. Gorlaeus Gemmâ 127.- Macrobius II. in Somn. Scip. 3. *Quid mirum, si inter homines musicae tanta dominatio est, cum aves quoque, ut lusciniae, ut cygni, aliaeve id genus, cantum veluti quadam disciplina artis exerceant; nonnullae vero vel aves, vel terrenae seu aquatiles beluae, invitante cantu in retia sponte decurrant; & pastoralis fistula ad pastum progressis quietem imperet gregibus?*

13. MURUS ERANT MONTES. UBI NUNC EST CURIA SEPTA, &c.] Dan. Heinsius legebat,

Murus erat montes, ubi nunc est curia, septem.

Passeratius, *Purus erat fons hic* (qua ratione in tribus versibus ter habebimus eamdem vocem, quod est valde absonum) deinde *curiam septam* exponit muro & pariete munitam, qualis conspiciebatur aetate Propertii: nam sub Romulo senatum haberi solere in pratis. Josephus autem Castalio legit, *ubi nunc est curia, septa.* i. e. ubi hodie est curia, ibi tunc erant septa, sive castra & munitiones Sabinorum. vide ipsum, si lubet, Decade 2. Observ. C. 8. ubi simul videbis Schoppii immutationem prioris hemistichii, bene Schoppianam, *Mirus erat fons hic.* mihi sic visum erat: *murus erant montes*, asperum Tarpejae saxum erat loco murorum. *ubi nunc est curia septa*, ubi nunc conspicitur curia Hostilia, muro ac pariete clausa, prope lacum Juturnae & Forum Romanum, ibi tunc aquatum ibant equites Sabinorum. certe haec loca ita commemorantur in regione urbis octava apud P. Victorem. quod si Curia Hostilia longinquior alicui videbitur; ei integrum erit Pilam Horatiam intelligere, quae propius aberat a Juturnae lacu. ita enim Victor:

Pila Horatia, ubi tropaea locata, nuncupantur Curia.

Templum Castorum ad lacum Juturnae.

haec opinor interpretatio ceteris minus est incommoda, minusque difficilis. quam tamen nemo accipere debet tamquam a teste jurato. certiora qui me docuerit, ei memores & gratae habebuntur gratiae.

18. PICTA ARMA] vide Silium VIII. 467.

Obſtupuit regis facie, & regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Saepe illa immeritae cauſſata eſt omina Lunae:
Et ſibi tinguendas dixit in amne comas.

Sae-

19. OBSTUPUIT REGIS FACIE] cave cum Paſſeratio *faciem* hic capias pro vultu formoſo. *facies* eſt totius corporis filum atque habitus. quam in rem ut multa veterum loca congeramus nihil eſt neceſſe. unus Gellius pro multis eſto L. 13. C. 29. *quidam* faciem *eſſe hominis putans os tantum & oculos & genas, quod Graeci* πρόσωπον *dicunt: quando* facies *ſit forma omnis & modus & factura quaedam corporis totius, a faciendo dicta ut ab aſpectu* ſpecies, *& a fingendo* figura. *itaque Pacuvius in tragoedia, quae Niptra inſcribitur,* faciem *dixit* hominis *pro corporis longitudine.*

Aetate (*inquit*) integra, feroci ingenio,
facie procera virum.

—— *Ecce autem id quoque in mentem venit, quod etiam Plautus in Poenulo* faciem *pro totius corporis coloriſque habitu dixit. verba Plauti haec ſunt:*

Sed earum nutrix qua ſit facie, mihi expedi.
Statura haud magna, corpore aquilo 'ſt.
ipſa ea 'ſt.
Specie venuſta, ore parvo, atque oculis pernigris.
Formam quidem hercle verbis depinxti probe.

Praeterea memini Quadrigarium in undecimo faciem *pro ſtatura totiuſque corporis figura dixiſſe.* &c. Haec eſt illa rege digna *facies*, in qua ſtupuit Tarpeja: idcirco paullo poſt *formoſum* vocat. quod iterum ad vultum referri nequaquam debet. *Forma* enim, quae in ſpecie decora & in apta partium omnium compoſitione conſiſtit, non eſt ſemper idem quod *pulcritudo*. id quod perſpicuum fit ex verbis Ciceronis L. 9. ad famil. Epiſt. 14. *Nam cum te ſemper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti: tum his tuis factis ſic incenſus ſum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. nihil eſt enim (mihi crede) virtute formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius.* Corn. Nepos Iphicr. C. 3. *Fuit autem & animo magno, & corpore, imperatoriaque forma, ut ipſo aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui.* atque hac ratione potuit Tatius *formoſus* dici, quamquam ſenex. nam ſenem facit Virgilius L. 8. Aen.

Nec procul hinc Romam, & raptas ſine more Sabinas
Conſeſſu caveae, magnis Circenſibus actis,
Addiderat, ſubitoque novum conſurgere bellum
Romulidis, Tatioque ſeni, Curibuſque ſeveris.

certe non valde juvenem fuiſſe, etiam Livius innuere videtur L. 1. C. 10. *Jam admodum mitigati animi raptis erant. at raptarum parentes tum maxime ſordida veſte, lacrimiſque & querelis civitates concitabant. nec domi tantum indignationes continebant, ſed congregabantur undique ad Titum Tatium regem Sabinorum: & legationes eo, quod maximum Tatii nomen in his regionibus erat, conveniebant.*

20. EXCIDIT] expreſſit Seneca Hippol. ℣. 104.

Palladis telae vacant,
Et inter ipſas penſa labuntur manus.

21. IMMERITAE CAUSSATA EST OMINA LUNAE] unus Gebhardi, eum Groningano, *lumina lunae.* male. *omina* poëtis dicuntur viſa nocturna: *lunam* autem pro nocte noſter poſuit. *omina noctis* vocavit Tibullus L. 3. Eleg. 4. adi Paſſeratii Commentarios; & libr. Conjectur. C. 1. ubi multa eruditio poëtica. totum vero hoc diſtichon abeſt ab uno Regio: neque tamen debebat abeſſe. audi nunc Marollii ingenioſam verſionem: *pour expier quelques prodiges, qu'elle feignoit que la Lune luy avoit fait paroitre.* adeo verum eſt illud R. P. Buhurſii effatum: *On diroit que tout l'eſprit & toute la ſcience du monde ſoit maintenant parmi nous, que tous les autres peuples ſoient barbares en comparaiſon des François. Ce n'eſt pas un avantage & un merite en France que d'avoir de l'eſprit, parce que tout le monde en a.* Entret. ſur le Bel Eſprit. quam inſolenter hic Thraſo pullatus reddidit Vellejum (nam Vellejo ſublegit

hanc

Saepe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem laederet hasta Titi.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Retulit hirsutis brachia secta rubis,

Et

hanc gemmulam) L. 1. C. 18. *Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam universa Graecia, uberiusque floruit: adeo ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.* non addit prudentissimus scriptor, nullum interea hominem vixisse Athenis, qui non esset disertus & ingeniosus.

22. ET SIBI TINGUENDAS DIXIT IN AMNE COMAS] quaesita occasione, quò saepius Tatium videret. ablutione autem expiabant mala somnia. Valerius Flaccus L. 5. ℣. 330.

Forte deûm variis per noctem exterrita monstris,
Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
Rapta toris primi jubar ad placabile Phoebi
Ibat, & horrendas lustrantia flumina noctes.

tum somnium pavefactae virginis denarrat, additque:

His turbata minis fluvios ripamque petebat
Phasidis, aequali Scythidum comitante caterva.
Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus haerens
Pallados, hinc carae Proserpina juncta Dianae.

Papinius Theb. L. 9.

Tristibus interea somnum turbata figuris
Torva sagittiferi mater Tegeatis ephebi,
Crine dato passim, plantisque ex more solutis,
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas,
Purgatura malum fluvio vivente soporem.

& paullo post:

Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit,
Verbaque sollicitas matrum solantia curas
Addidit.

sed & bona quoque somnia ritu eodem. Virgilius L. 8. Aen.

nox Aeneam somnusque reliquit.
Surgit, & aetheri spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit.

Servius: *quia dicitur nox etiam solo somno polluere.* Apulejus L. 11. Metam. *confestim discussa pigra quiete, alacer exsurgo, meque protinus, purificandi studio, marino lavacro trado.* pessime haec ceperant primi illi Enarratores. Volscus de morbo comitiali exponit, cui maxime prodesse ex Cornelio Celso docet, si caput frigida perfundatur. Beroaldus vero ait, Tarpejam finxisse se a luna vexari. credas sensisse, lunaticam fuisse Tarpejam. id adeo iis accidit, quia quid sint *lunae omina* non intellexerunt. est autem *Luna* idem quod *Nox* numen, *Nox* idem quod *Luna*.

26. HIRSUTIS BRACHIA SECTA RUBIS] ridicule ex Palatinis Gebhardus *septa rubis* reponit, quasi rubis circumdata & plenae undique vepribus induta. idque probare, contendit loco mutilato Ciceronis, nihil omnino huc faciente. quem ecce tibi integrum e L. 5. Tusculan. *ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere & radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem: cujus ego Quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum undique & vestitum vepribus & dumetis indagavi sepulcrum.* vulgata lectio recta est ac proba. Tibullus L. 4.

Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum,
Candidaque hamatis crura notare rubis?

Ovidius L. 1. Metam.

Me miserum, ne prona cadas, indignave laedi
Crura notent sentes.

Virgilius L. 3. Georg.

vel cum tonsis inlotus adhaesit
Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres.

& Eclog. 10.

Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!

T. Calpurnius Eclog. 3.

duris ego perdita ruscis
Jam dudum, nullis dubitavi crura rubetis
Scindere.

Et sua Tarpeja residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi:
Ignes castrorum, & Tatiae praetoria turmae,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
Dum captiva mei conspicer ora TatI.
Romani montes, & montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus ille meos in castra reportet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum, in patrios Scyllam saevisse capillos?
Candidaque in saevos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Quum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados exstinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat: lacrimis spargitur ara meis.

Cras,

32. Dum captiva mei conspicer esse Tati] in Vaticano Livineji, uno Gebhardi, Borrichiano, Groningano, unoque nostro legitur *conspicer arma Taci.* quae lectio validissime firmat elegantem Viri doctissimi J. F. Gronovii emendationem, *ora Tati* restituentis L. 4. Obs. C. 6. dum vel sic, captiva, & in vinculis, propius spectem vultus illos regales Tatii mei. ita supra L. 3. Eleg. 11,

Gallica Parnasi sparsit in ora nives,

in Groningano codice legitur: pro quo alii *in arma*, vel in *arva*, habent. Tu vide (nam tanti est) notam ad L. 1. Eleg. 3. ў. 16. Nic. Heinsius *Titi* malebat, ne *Tatii* nomen toties repetitum, parum concinne iterum repetatur.

35. Ille meos in castra reponet amores] Douza P. malebat *reportet*; quod e membranis etiam Passeratius adfert. Virgilius L. 9. Aen.

maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.

Horatius L. 1. Epist. 17.

rectius hoc, &
Splendidius multo est, equus ut me portet, alat rex.

Cicero Orat. post redit. in senatu, C. 11. *itaque P. Lentuli beneficio excellenti, atque divino, non reducti sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives; sed equis insignibus & curru aurato reportati.* id si non recipimus, oportebit certe *reponat* legamus. sed melius est *reportet.* exponunt vulgo, ille equus incolumen sistet in castris eum quem ego amo. male. Utinam, inquit Tarpeja, (nam ista εὐχὴ repetenda e superioribus) utinam equus ille, tam carus Tatio, portet secum in castra me amantem. nam id optaverat modò:

O utinam ad vestros sedeam captiva penates.

τὸ *mei amores* tantumdem valet atque *ego amore percita.* Theocritus Idyll. 7.

Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον.

Catullus Carm. 65.

Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo.

43. Palladis exstinctos] libri meliores *Pallados*, usitata poetis flexione. Lipsius adolescens tentaverat *Palladus*, L. 2. Var. Lect. C. 8. quem foetum quamvis deinde

ipse

Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est, & perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O utinam magicae nossem cantamina Musae!
Haec quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet: non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae.

Sic

ipse abjecerit, atque exposuerit; non potuit tamen evitare latratus imbellium canicularum. atqui vir factus mutavit mentem, & hunc ipsum locum recte atque erudite exposuit C. 9, laudatissimi Syntagmatis de Vesta & Vestalibus. hoc vero mussant dicere, & factum nollent. *Palladis* nomine hic *Vestam* appellari ait Passeratius. cui favet illustris Spanhemius Obs. in Callimach. p. 588. atque huc etiam Lipsius ibat: & omnium primus Beroaldus.

44. LACRYMIS SPARGITUR ARA MEIS] hanc gemmulam Ciceroni noster debere videri potest. Sic enim ille pro Fontejo C. 17. *Nolite pati, judices, aras Deorum immortalium, Vestaeque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro judicio commoveri. Prospicite, ne ille ignis aeternus, nocturnis Fontejae laboribus vigiliisque servatus, sacerdotis vestrae lacrimis exstinctus esse dicatur.*

46. TU CAPE SPINOSI ROSCIDA TERGA JUGI] bono judicio Passeratius, & Nic. Heinsius restituunt *Tu cave*: & evincunt sequentia. quibus ista Jani adde, apud Nasonem L. 1. Fastor.

Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles & fora clivus erat.
Et jam contigerat portam: Saturnia cujus
Dempserat appositas insidiosa seras.
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
Ipse meae movi callidus artis opus.
Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi;
Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Ante tamen gelidis subjeci sulphura venis:
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.

v. Macrobius I. Sat. 9. loco non negligendo. eam fabellam paullo uberius legere licet sub finem L. 14. Metam. Etiam Servius retulit, sed sine Jani nomine aut mentione, ad L. 1. Aen. ỷ. 295. deinde *rorida terga* habent nostri duo, & Groninganus, cum Borrichiano, unoque Colbertino.

47. LUBRICA TOTA VIA EST, ET PERFIDA] rectam orationem fecit ex translatione pulcerrima Ciceronis sui, orat. pro M. Coelio C. 17. *Multa nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret: & interdum multas vias adolescentiae lubricas ostendit, quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione vix posset.*

51. QUEM SINE MATRIS HONORE NUTRIT INHUMANAE DURA PAPILLA LUPAE] optimo consilio addit nutricationem, quae vel sola inmane quantum valet in effingendis moribus. neque neglexit omnium poetarum sapientissimus L. 4. divini operis:

Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te Cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

eumque secutus Naso, sed in dispari affectu, L. 9. Metam. ubi Byblis de fratre suo Cauno:

Haec nocuere mihi. neque enim de tigride natus;
Nec rigidas silices, solidumve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leaenae.
Vincetur. repetendus erit.

idem ille Phoebi olor L. 3. Tristium Eleg. 11.

Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino;

Et

Sic hospes, pariamne tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minus; at raptae ne sint impune Sabinae,
Me rape, & alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptae,
Vos medium palla foedus inite mea.
Adde Hymenaee modos: tubicen fera murmura conde:
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem;
Ipsaque in Oceanum sidera lassa cadunt.

Expe-

Et dicam silices pectus habere tuum.
pulcrius etiam ac plenius L. 1. ejusdem operis, Eleg. 7.

Non ego te placida genitum reor urbe Quirini;
Urbe, meo quae jam non adeunda pede est.
Sed scopulis, Ponti quos haec habet ora sinistri:
Inque feris Scythiae Sarmaticisque jugis.
Et tua sunt silicis circum praecordia venae;
Et rigidum ferri semina pectus habent.
Quaeque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.

Auctor Herculis in Oeta, ℣. 146.

Quae cautes Scythiae, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te praeruptus Athos, te fera Caspia,
Quae virgata tibi praebuit ubera?

minor est in hac parte jucundissimus Catullus; quod equidem miror. Sic enim Ariadna a Theseo derelicta, Carm. 61.

Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla vorax, quae vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita?

& nescio quis alius in hoc pulcerrimo Scazonte:

Num te leaena montibus Libystinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte
Tam mente dura procreavit, ac tetra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? o nimis fero corde!

minorem esse dixi: nam quum de conceptu, & matre, & loco natali satis commode egisset; neglexit loqui de lacte, id est, de re in hoc negotio vel minime negligenda. Hoc qui mihi non credit, legat ille luculentam Phavorini philosophi disputationem apud nobilem scriptorem Noctium Atticarum L. 12. C. 1

53. PARIAMNE TUA REGINA SUB AULA] *aulam* pro regia non nisi nove dici putat Barthius XVI. Adv. 24. in quo fallitur plus quam dici potest. in promtu exempla sunt Virgilii, Horatii, Ovidii, Ciceronis.

55. SI MINUS] lege cum Gryphiana *Sin minus.* ultimam literam absorbuerat sequentis voculae prima.

62. IPSAQUE IN OCEANUM SIDERA LAPSA CADUNT] pariter L. 1. Eleg. 3.

Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis.

Ovidius L. 1. Fastor.

Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.

Statius L. 1. Achill.

ubi litora summa
Oceani, & genitor tepet illabentibus astris
Pontus.

Minucius Felix, Suada illa Christiana: *Sol demergit, & nascitur; astra labuntur, & redeunt, flores occidunt, & reviviscunt.* haec militant pro lectione vulgata. Verum quum astra dicantur excubare, apud poëtas, & stationes obire; non multum aberraturum ab vero duxerim, qui hic *lassa* legerit, id quod exstat in Borrichiano. Seneca certe ita loquitur, Hercule in Oeta, ℣. 1520. de luna:

O decus mundi, radiate Titan,
Cujus ad primos Hecate vapores
Lassa nocturnae levat ora bigae.

& in eodem dramate ℣. 781. de sole:

Euripus undas flectit instabilis vagas,

Septem-

Experiar somnum: de te mihi somnia quaeram:
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno,
Nescia ne furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacae felix tutela favillae,
Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscissos fertur aperta sinus.
Urbi festus erat, dixere Parilia patres.
Hic primus coepit moenibus esse dies.

Annua

Septemque cursus volvit, & totidem refert,
Dum lassa Titan mergat Oceano juga.
Valerius Flaccus L. 7. ỳ. 561.
ut extremis desertus ab orbibus axis,
Quem jam lassa dies, austrique ardentis harenae,
Aut quem Rhipaeas exstantem rursus ad arces
Nix & caerulei Boreae ferus abstulit horror.
& ipse etiam Papinius L. 2. Theb. ubi de Malea:
Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenus
Despicit, & tantum fessis insiditur astris.
Lutatius: *Super ipsum fessa astra considunt. id est, per eminentiam sui sedem praestat astris, rapido cursu fatigatis. altitudinem voluit exprimere, quasi illic astra requiem sumant.* accedit quod hae voces, *lapsa* & *lassa*, saepe confunduntur a librariis. apud eumdem Papinium libro eodem male legebatur,
hinc lapso mutata Pyracmone temnens
Fulmina.
id quod ostensum pridem viris doctis, & *lasso* repositum meritissimo jure. poetarum veterum vestigia secutus est noster ille Grotius in pulcerrima elegia, qua Hiemis commoda celebravit:
Saepe Deae Phoebus, Quid, ait, mea tempora perdis?
Jam dudum repetunt sidera fessa diem.
Saepe Aurora Deo, Quid, ait, mea gaudia turbas?
Quaere tibi Clymenen: me meus ignis habet.
Sed & ad alias res hanc lassitudinem referebant. Seneca Herc. in Oeta ỳ. 732.
Veque involutos frangit Ionio salo
Opposita fluctus Leucas, & lassus tumor
In litore ipso spumat.

63. DE TE MIHI SOMNIA QUAERAM] Heliodorus L. 3. Aethiop. *Haec dixit, statimque lychnus accensus ab ancilla senis jussu inferebatur: & libasionem faciebat, cum alios Deos, tum post ceteros Mercurium invocans: ac petebat felicem insomniis noctem: & ut sibi apparerent carissimi in somnis, suppliciter orabat.* expressit in re minus laeta mellitissimus Lotichius L. 3. Eleg. 3.
Tu quoque, si veterum memor est & pulvis amorum,
Occurras oculis saepe videnda meis.
Saepius in somno redeat tua dulcis imago,
Fidaque tangendas praebeat umbra manus.

69. ILLA RUIT] amentiae verbum ac furoris. Cicero Philipp. 3. C. 12. *Atque is ab hoc impetu abstractus consilio & copiis Caesaris, consensu veteranorum, virtute legionum, ne fortuna quidem fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere desinit.* Ovidius L. 2. Art. Amat.
In ferrum flammasque ruit, positoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta Dei.

70. STRYMONIS ABSCISSO FERTUR APERTA SINU] noli dubitare quin poeta scripserit *abscissos fertur aperta sinus*, familiari & sibi & aliis Graecismo. Virgilius L. 11. Aen.
At medias inter caedes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnae.
ubi *latus exserta* idem est quod nostri *sinus aperta*.

70. STRYMONIS] Amazon Thracia, pulcre Silius II. 73. sqq.

71. DIXERE PALILIA PATRES] veteres magistri

Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
  Quum pagana madent fercula deliciis.
Quumque super raros foeni flammantis acervos
  Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
  Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem.
  Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.
  Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia praebebant somnos. sed Jupiter unus
  Decrevit poenis invigilare suis.
Prodiderat portaeque fidem, patriamque jacentem:
  Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.

At

gistri scribunt *Parilia*. Sosipater Charisius L. 1. Palilia dicuntur. [videtur hic aliquid excidisse.] *Pales enim dea pastoralis est, cujus dies festus. nisi quod quidam a partu Iliae Parilia dicere maluerunt.* Marius Victorinus L. 1. Art. Gram. capite de Orthogr. *Parilia dicuntur, non Palilia: non a Pale dea, sed quod eo tempore omnia sata, arboresque & herbae parturiant pariantque.* Probus in Virgil. L. 3. Georg. ℣. 1. *Pales dea est pastorum, cui diem sacrum appellant Parilia, transposita litera; quae si suo loco esset, Palilia potius dicerentur. qui dies natalis est urbis Romae, quae a pastoribus est condita.* & sic plerasque membranas veteres Ovidii habere testatus est Nic. Heinsius. nostri libri hic *Palilia* exhibebant.

74. QUUM PAGANA MADENT FERCULA DIVITIIS] Beroaldus dicit, in quibusdam se codicibus invenisse *deliciis*. recte. nam istas Parilium delicias opponit ferculis quotidianis hominum rusticorum, duris, atque inopia horrentibus. deinde, unde agrestibus istis *divitiae*, urbe vix nascente? etiam Passeratius *deliciis* malebat: quem tandem aliquando intellexit Philippus ille Silvius, Buhursianae propaginis aureus termes. idem olim mendum in Cicerone haerebat, lib. de de Amicit. C. 15. *Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione habent cognitam, disputabunt.* erat enim in libris vulgatis *divitiis diffluentes*. id quod recte mutarunt viri eruditi, scriptorum codicum fidem secuti.

76. TRAJICIT IMMUNDAS EBRIA TURBA DAPES] legendum esse *immundos pedes*, pridem ostenderunt viri docti; Jo. Passeratius hoc loco; & Jos. Castalio Dec. 2. Observ. C. 8. qui tamen ne tralatitio quidem nominandi honore dignatus est Passeratium, auctore Schoppio (hunc enim auctorem vocat) contentus. meliore fide egit Nic. Heinsius Not. in Ovid. L. 4. Fastor. ℣. 781. Non semel *dapes* & *pedes* commutarunt. in Colbertino Tibulli codice, 1, 11, 8, sic scribitur: *Faginus adstabat quum scyphus ante pedes.* quum verum sit *ante dapes.* Pomponius Placenta:

Rustici edunt
Libenter pedibus tristis atros intybos.

ita quidem apud Nonium legitur in *intyba:* ubi recte *dapibus* emendavit Mercerus.

78. INTERMISSA CASTRA SILERE TUBA] Papinius L. 7. Theb.

dum castra silent, suspensaque bellum
Horrescit pietas.

id exponit vetus Scholiastes Barthii, *nondum nos oppugnans.* Erant itaque induciae, secundum nostrum, Romanos inter ac Sabinos. quod nescio an alibi legas.

85. PRODIDERAT PORTAEQUE FIDEM] clamculum ac furtive aperuerat, nullo strepitu,

At Tatius, neque enim sceleri dedit hostis honorem,
Nube ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum superobruit armis.
Haec, virgo, officiis dos erat apta tuis.
Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
A duce Tarpejo mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustae praemia sortis habes.

pitu, ita ut nemo sentiret. quod deinceps ne fieri posset, a patribus provisum fuit. Servius ad L. 1. Aen. ℣. 453: *Cautum fuerat, post proditum hostibus a Tarpeja virgine Capitolium, ut aerei cardines fierent, quo stridor possit aperta ostia omnibus indicare.*

89. INGESTIS COMITUM SUPER OBRUIT ARMIS] ita rem exhibet nummus L. Tituri. Plutarchus autem, in Romulo, tradit Tatium jussisse suis, ut conventorum memores, quae sinistris ferrent, omnia congererent in illam. ipsum ante alios detraxisse manui armillam, unaque cum hac scutum ei injecisse. Quum idem facerent omnes, auro illam injecto scutisque obrutam esse, & numero ac pondere oppressam, digna proditionis mercede. haud absimile est exemplum, quod refert Parthenius Nicaeensis Erot. C. 21. Achillem enim Methymnam Lesbi obsidentem, quum ei acriter resisterent incolae, fuisse consilii inopem, ac de urbe capienda desperasse ait. ibi tum Pisidicem, regis Methymneorum filiam, Achillem de muro conspexisse; & mox, amore incensam, misisse ad eum nutricem, quae polliceretur tradituram se illi urbem, si quidem ipsam velit habere pro uxore. id promisisse Achillem. postquam vero urbem in suam potestatem redegisset, commotum indignitate facti, exhortatum fuisse milites, ut puellam lapidibus obruerent. parem deinde historiam de Cyro ac Nanide Croesi filia subnectit capite insequente. de Scylla & Minöe omnia sunt nota.

91. ET SATIS UNA MALAE] huc revocavi hos duos versus; qui loco valde alieno legebantur sub ipsum Elegiae initium; nec puto invitis elegantioribus ingeniis.

94. O VIGIL, INJUSTAE PRAEMIA SORTIS HABES] admodum hic aestuat Passeratius, fassus tandem, locum esse valde obscurum. ceteri nihil adtulerunt. mihi videtur sermo esse de canibus Capitolii custodibus, quos Tarpeja omnes ferro necaverat, ne hostem proderent latratu. id sane canibus tum quidem nequiter expetivit: quamquam pejore etiam sorte fuerunt post urbem a Gallis Senonibus direptam, defensumque a Manlio Capitolium. Plinius L. 29. C. 4. *de anserum honore, quem meruere Gallorum in Capitolium ascensu deprehenso, diximus. Eadem de caussa supplicia annua canes pendunt inter aedem Juventatis & Summani, vivi in furca sambucea arbore fixi.* Servius ad L. 8. Aen. ℣. 652. *Manlius custos Capitolii Gallos detrusit ex arce, clangore anseris excitatus, quem privatus quidam dono Junoni dederat. Qua caussa postea eo die, quo hoc factum est, canes, qui tunc dormientes non senserant, cruci suffigebantur: anseres auro & purpura exornati in lecticis gestabantur.* dices, Quid ista canum contumelia ad canes Tarpejae? nihil sane. Videtur tamen noster duas istas historias confudisse & canum annua supplicia ex ipsis urbis primordiis deduxisse; quae instituta demum fuerunt post celebre illud facinus M. Manlii Capitolini. Pari certe errore poëta Simulus (cujus versus nobis Plutarchus servavit in vita Romuli) Tarpejam non Sabinis, sed Gallis prodidisse Capitolium, in literas misit. & noster, paullo altius, Scyllarum duarum historias uno disticho commiscuit. haec ego sic mecum cogitabam, non ut pro certis adstruerem, sed ut elicerem meliores doctiorum hominum sententias. si tamen ad has minutias descendere dignabuntur quidam eruditionis non minus profundae, quam fuit olim Democriti puteus, in quo latere Veritas credebatur.

V.

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim:
Nec sedeant cineri manes, & Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono:
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis.
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lascivo cogeret Antinoo.

Illa

2. ET TUA, QUOD NON VIS, SENTIAT UMBRA SITIM] o lena, sitias aeternum apud inferos, quae nunc tam inlibenter sitis. talis propemodum est Nasonis in lenam aniculam imprecatio L. 1. Amor. Eleg. 8.

Dii tibi dent nullosque lares, inopemque senectam,
Et longas hiemes, perpetuamque sitim.

nihil hoc loco mutant libri: tamen istud *quod non vis* nescio quo modo suspectum est mihi. ex literarum vestigiis, & ductu, conjici posse videtur, olim scriptum fuisse *quod meruit.* id deinde corruptum in *quod nevis*, concinnavit nobis frigidum istud *quod non vis.* quare vix est ut dubitem locum fore sanum, si legeris, pauxilla immutatione,

Et tua, quam meruit, sentiat umbra sitim.

vides, quam non coacte elementa in suam singula revocentur sedem, sensumque faciant non commodum modo, sed & concinnum, & argutum. nam anicula merobiba non poterat gravius puniri apud inferos, quam si semper sitiret, eam ob caussam videlicet quod apud superos semper bibisset. ingeniosior est Nic. Heinsii lectio, Not. in Ovid. L. 2. Fastor. ℣. 572:

Et vetula invisam sentiat umbra sitim.

verum quum paullo licentius abeat a membranis, promiseritque Vir summus dicturum uberius ad ipsum Propertium; sustinebimus adsensum, cum voto ut quamprimum in lucem ac manus studiosorum hominum veniat desideratissimus sagacis ingenii labor. interea neque nostram conjecturam tam cupide amamus, ut nolimus de via decedere meliora ac certiora adferenti.

5. DOCTA VEL HIPPOLYTUM VENERI MOLLIRE NEGANTEM] pari locutione Paullinus Nolanus,

Negant Camoenis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.

7. NEGLECTO RUMORE MARITI] male Passeratius *marito* supponit, vel *maritae*, h. e. fama pudicitiae conjugalis. *rumor mariti* est fama de marito sparsa in vulgus. Cicero L. 3. ad Quintum fr. Epist. 8. *Rumor dictatoris injucundus bonis: mihi etiam magis quae loquuntur.* rumor de dictatura Pompejo deferenda. Ovidius L. 6. Metam.

Lydia tota fremit: Phrygiaeque per oppida facti
Rumor it, & magnum sermonibus occupat orbem.

rumor de Arachme in araneam mutata. Penelope autem procorum nulli omnino nubere volebat, quia rumor erat Ulixem vivere etiamnum, neque in mari periisse. Lucilius, apud Priscianum L. 9.

Nupturum te nupta negas, quia vivere Ulixem
Speras.

8. NUBERE LASCIVO COGERET ANTINOO] invidiose auget aniculae noxiam scientiam, a re scilicet quam nullo modo fieri posse ipse statuebat. apud Homerum dicit Penelope, omnes sibi procos odio esse atque exsecrationi; Antinoum vero ante omnes: neque se minus reformidare eum, quam nigram mortem, L. 17. Odyss. ℣. 497.

Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse noverca suis.
Quippe & Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.
Audax cantatae leges imponere Lunae,
Et sua nocturno fallere terga lupo.

Pos-

11. COLLINAS AD FOSSAM MOVERIT HERBAS] intra portam Collinam, ubi Sceleratus Campus. Festus: *Sceleratus campus appellatur prope portam Collinam, in quo virgines Vestales, quae incestum fecerunt, defossae sunt vivae.* talibus locis gaudebant tales aniculae. Papinius L. 4. Theb.

Stygiis accommoda quippe
Terra sacris, multoque placent sola pinguia tabo.

Lucanus L. 6. in re pari:

vanum saevumque furorem
Adjuvat ipse locus, vicinaque moenia castris Aemonidum.

hodie quoque sacra fere sua facere dicuntur circa cruces, & patibula, & sepulcreta facinorosorum. ejus moris antiqui exemplum valde ridiculum narrabit tibi hortorum custos apud Horatium L. 1. Sat. 8. non inultus testis, diffissis prae terrore ficulnis natibus. Erat & templum Veneris Erycinae prope Collinam portam, ubi Lethaeus Amor, auctore Ovidio Remed. Amor. & L. 4. Fastor. ista autem Venus fere a meretricibus professis colebatur. itaque non sine dilectu bono haec anicula coram Diis praesidibus artes suas exercebat, quibus hominum mentes aut illaquearet in amorem, aut solveret. *Fossam* hic capiunt pro ea qua defodiebantur Vestales. male. de scrobe magica accipiendum recte Scaliger monebat. Ovidius L. 7. Metam.

Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit; cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit; & patulas perfundit sanguine fossas.

Horatius loco laudato:

scalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt. cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.

plurima his alia aliorum loca adjici possunt: sed hauserunt omnes ab Homero L. 10. Odyss. ỷ. 607. & L. 11. ỷ. 24. ita etiam exposuit Delrius L. 2. Disquisit. magic. Quaest. 11. & nunc quoque mentio frequens est talium scrobium in quaestionibus sagarum. *Stantia* sunt segetes, frutices, arbores, & quidquid supra terram exstat ac prominet. haec enim praecipue subitis imbribus ad interitum dare, aut etiam letali grandine converberare dicuntur maleficae mulieres. interpres Parisinus, homo quantivis pretii, hunc locum esse valde obscurum pronuntiat: deinde, post missa in compendium verba Passeratii, prudenter sibi ac verecunde silendum judicavit. Marollius admodum signanter verterat: *Si elle jette dans une fosse les herbes qui croissent sur les collines.* Ite nunc, juventus nostra, & legendis Scriptorum Latinorum versionibus Gallicis liberale otium vestrum oblectate.

14. ET SUA NOCTURNO FALLERE TERGA LUPO] nihil hac fabella decantatius: & posset facile grandis aliquis liber expleri solis nominibus eorum, qui rem ultro citroque discusserunt. pro eo tibi ego aliquid dabo, unde Servium expleas, in libris vulgatis hac parte mutilum, ad L. 1. Geor. ỷ. 16. SALTUSQUE LYCAEI. *Montis Arcadiae.* addit liber scriptus: λύκος *Graece dicitur Lupus, unde in Lycaeo quibusdam sacris degustatis vertebantur in lupos, & post decem annos revertebantur in pristinum statum, si hominum carnibus non vescerentur.* aliquanto explicatius Pausanias, de quo Servius hausisse videtur, initio Arcadicorum, sive L. 8. ubi de Lycaone: *at hic ad Jovis Lycaei aram infante mactato, humanum sanguinem libavit: quare inter ipsa sacra in lupum mutatum tradunt. cui certe famae facile possum assentiri. ------ ------ Nam & post Lycaonem, in iisdem Lycaei Jovis sacris, alium*

quem-

Possit ut intentos astu caecare maritos,
Cornicum emeritas eruit ungue genas.

Con-

quemdam fuisse ex homine lupum factum tradunt: non tamen in reliquum omne vitae tempus; sed decimo tandem anno, si interea humana carne abstinuisset, pristinam hominis figuram recepisse: sin hominis carnes gustasset, lupum esse numquam desisse. sacrorum degustatio, quam Servius tangit, apud Platonem est, sub finem L. 8. de Rep. nimirum apud templum Lycaei Jovis in Arcadia, quisquis humana viscera cum aliarum victimarum visceribus incisa atque commixta forte gustasset, eum coactum fuisse lupum fieri. tempus alii uno anno coarctarunt: nempe ut novem annos essent lupi, decimo humanae figurae restituerentur. sic Euanthos apud Plinium L. 8. C. 22. sic Varro apud Augustinum L. 18. de Civit. Dei C. 17. Nostrates hoc versipelle hominum genus elegante vocabulo *weerwolven* vocant, quasi qui vicissim nunc homines sint, nunc iterum lupi. & sane ita loquitur Pomponius Mela L. 2. C. 1. *Neuris statum singulis tempus est, quo, si veline, in lupos, iterumque in eos qui fuere, mutentur.*

15. POSSET ET INTENTOS] sententia exigit, *Possit ut intentos.*

15. ASTU CAECARE MARITOS] ut ne viderent quae videbant. Tibullus L. 1. Eleg. 2.

Haec mihi composuit cantus, quis fallere posses.
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam:
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.

addit vero non sine lepóre, & ut amatorem in rem suam callidum decebat,

Tu tamen abstineas aliis. nam cetera cernet
Omnia: de me uno sentiet esse nihil.

tale pharmacum, sine ulla incantatione, invenerunt feminae Lusitanae in herba *Dutroa.* super qua videndus Linschotanus noster, & rerum Indicarum Scriptores.

16. CORNICUM IMMERITAS ERUIT UNGUE GENAS] recte dixit *ungue.* solebant enim sagae ungues nutrire quam longissimos. Horatius Epod. 5.

Hic irresectum saeva dente livido
Canidia rodens pollicem.

& L. 1. Sat. 8.

scalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt.

hanc porro aniculam cornicibus oculos effodere, non re vera, sed allegorice dictum exponit Beroaldus; eumque secutus Passeratius; &, qui utrumque inclementissime expilavit, Philippus Silvius T. E. C. P. ut adludatur proverbium *cornicum oculos configere.* quod si verum est; vellem ostendisset nobis Hercules iste Celta in sua, quam vocat, interpretatione, quem sensum hoc loco faciat id proverbium. magnis istis nominibus ignosco: patimur enim quisque suos manes: huic fuco inerti non possum, exscribenti passim quae numquam intellexit. imo vero ipsissimos cornicum oculos effodiebat anicula, non allegorice, sed re vera. insignis eorum usus in rebus magicis, sed praecipue si exemti essent atque eruti cornicibus quam maxime vetulis. auctorem do Nasonem L. 7. Metam.

nec defuit illic
Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri,
Vivacisque jecur cervi: quibus insuper addit
Ora caputque novem cornicis saecula passae.

unde simul observabis legendum videri apud Nostrum *emeritas genas*, i. e. veteres vetustas, ut Plautus loquitur, annosas, ac cariosas, jam innumerorum annorum stipendiis functas, ducta a re castrensi translatione. quales poëtis creberrimae in hac ipsa voce. vide quasdam insigniores apud J. F. Gronovium L. 4. Observ. C. 19. apud Nic. Heinsium Not. in L. 15. Metam. ỷ. 186. noster quoque, eleg. ult. *emeritum rogum* vocat, qui desiit ardere. istud *im* ex syllaba ultima voculae proxime praecedentis enatum fuit, quo errore nihil popularius apud librariorum nationem. Cornicem inter aves mali auspicii ponit Plinius L. 10. C. 12. & Prudentius

Cur Cremerae in campis cornice vel oscine parra

Ne-

Consuluitque striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes foetae semina legit equae.
Exornabat opus verbis, ceu blanda perurat,
Saxosamque terat sedula culpa viam:
Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa,
Et quae sub Tyria concha superbit aqua:
Eurypylique placet Coae textura Minervae,
Sectaque ab Attalicis putria signa toris:
Seu quae palmiferae mittunt venalia Thebae,
Murreaque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, provolve Deos, mendacia vincant,
Frange & damnosae jura pudicitiae.

Et

Nemo Deûm monuit perituros Marte sinistro
Ter centum Fabios?

& Servius ad Eclog. 9. ℣. 15. recte igitur in apparatu magico. neque tamen soli istic oculi cornicum: suos ipsi quoque dracones largiri perhibebantur. Lucanus L. 6.

non spuma canum quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non dirae nodus hyaenae
Defuit, & cervi pasti serpente medulla;
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis echeneis aquis, oculique draconum.

19. EXORNABAT OPUS VERBIS] libri fere *exorabat* habent, quod non est nauci. Plinius L. 1. Epist. 8. *ii vero qui benefacta sua verbis adornant, non ideo praedicare, quia fecerint; sed ut praedicarent, fecisse creduntur.* Quintilianus L. 4. C. 2. *Ego vero narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia & venere exornandam puto.*

20. SAXOSAMQUE TERAT SEDULA CULPA VIAM] aliud agunt qui haec capiunt de via saera. Tu refer ad callidam industriam aniculae, corrumpentis sedula vafritie simplicem puellae animum. quod erat initio difficile, & laboris plenum. Et recte Scaliger vidit esse proverbii speciem, *terere saxosam viam*, pro eo quod est in difficultatibus versari. Festus: *Scrupi dicuntur saxa aspera & difficilia attrectatu. unde & scrupulosam rem dicimus, quae aliquid in se habet asperi.* Cicero Divinat. in Q. Caecil. C. 11. *intelligo, quam scopuloso difficilique in loco verser.* idem orat. pro P. Sextio C. 46. *Hanc ego viam, judicet, si aut asperam, aut arduam, aut plenam esse periculorum aut insidiarum negem, mentiar: praesertim cum id non modo intellexerim semper, sed etiam praeter ceteros senserim.* talia autem loca longo attritu fiunt planiora, & leviora. ad coenam asperam minusque mollem Plautus transtulit Capt. Act. 1. Sc. 2.

I modo, venare leporem: nunc erim tenes.
Nam meus scruposam victus commeat viam.

utitur hac ipsa locutione purissimi oris scriptor M. Minucius Felix: *igitur ut qui viam terit, eo felicior, quo levior incedit: ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat.* ceterum *sedula lympha* legitur in nostro primo, inque Borrichiano. quod non debet attendi.

21. DORIXANIUM] ita Scaliger. mirifice hic turbant libri. Turnebus legebat *Doroxanium*, L. 21. C. 17. quod ego verum esse puto. certe in Groningano perspicue exstat,

Si te Eoa Doroxantum juvat aurea ripa.

ubi si *t* mutaveris in *i*, habebis rem factam. ceteras membranarum hallucinationes non libet memorare, ita extra oleas spatiantur.

26. POCLA COACTA SUIS] Salmasius in Solin. T. 1. p. 267. a. D. ex fide veterum librorum, qui non *focis* habeant, sed *suis*. At nos in nullo libro istud *suis* invenimus.

Et ſimulare virum, precium facit. utere cauſſis:
Major dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
Poſt modo mercata pace premendus erit.
Denique ubi amplexu Venerem promiſeris emto,
Fac ſimules puros Iſidis eſſe dies.
Ingerat Apriles Iole tibi: tundat Amycle,
Natalem Majis idibus eſſe tuum.
Supplex ille ſedet: poſita tu ſcribe cathedra
Quidlibet. has artes ſi pavet ille, tenes.
Semper habe morſus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet eſſe datos.
Nec te Medeae delectent probra ſequacis:
Nempe tulit faſtus auſa rogare prior.
Sed potius mundi Thais pretioſa Menandri,
Quum ferit aſtutos comica moecha Getas.

28. FRANGE ET DAMNOSAE JURA PUDICITIAE] in vulgatis eſt *Cedans damnoſae.* unde falſo Paſſeratius credidit τὸ *frange* eſſe gloſſema τοῦ *cedant.* omnes libri huc adludunt, & vel *frangent* habent, vel *feanget.* in Groningano claris literis legitur *Frange & damnoſae.* quo modo jam olim emendaverat acutiſſimus Lipſius L. 2. Ant. Lect. C. 20. admodum jucundus eſt Gebhardi conatus refingentis.

Caede & damnoſae dura pudicitiae.

ut dicat poeta: Duram pudicitiam, quae damnoſa eſt, concide ac demolire. talium ingeniorum labor debebat conſiſtere intra diligentiam contendendi inter ſe membranas vetuſtas, neque pennas extendere majores nido. nocent enim, dum volunt juvare. *frangere leges, feangeee foedus, feangere fidem,* & talia multa, paſſim apud Ciceronem leguntur.

29. ET SIMULARE VIRUM PRECIUM FACIT] v. Douza Schediaſm. ſuccidan. p. 72.

34. FAC SIMULES PUROS ISIDIS ESSE DIES] omnes membranae, quaſi olearii in Velabro, habent

Fac ſimiles puros ſideris eſſe dies.

unde Volſcus notavit, tranſlationem eſſe a ſereno ſole. primus Beroaldus verum vidit. qua eum laude minime fraudare debemus. de Caſto Iſidis omnia hodie nota: tum temporis non item.

38. QUIDLIBET.] *Quod libet* Gebhard. p. 171.

41. NON TE MEDEAE] magis placet Groningani ſcriptio, *Nec te Medeae.*

41. MEDEAE SEQUACIS] epitheton ignominioſum. ſic ſupra 2, 25, 8. *Colchis & ignotum nonne ſecuta virum eſt?* Catulli Ariadna in Nuptiis Thetidis: *Reſperſum juvenem featerna caede ſecuta.* apud Petronium, *mulier ſecutuleja.*

43. MUNDI THAIS PRETIOSA MENANDRI] *blandi* habet unus Regius, pro *mundi.* male. *mundus* hic valet elegans, cultus, totus a pyxide & ſpeculo. talis autem erat Menander. Phaedrus L. 5. Carm. 2.

In quis Menander, nobilis comoediis;
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fueeat ingenium Viri;
Unguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.

ita in Vertumno habuimus modo *mundum inſtitorem.* recte porro ac conveniente epitheto dicitur Thais *pretioſa,* quae noctem ſuam magno vendit, quae care habetur. ita ſupra L. 3. Eleg. 11.

Quaeeitis unde avidis nox ſit peetioſa puellis.

Cicero L. 3. de Offic. C. 23. ubi de Hecatone

In mores te verte viri: si brachia jactat,
I comes, & voces ebria junge tuas.

Ja-

tone Rhodio: *Quaerit, si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis.* Tibullus L. 2. Eleg. 4.

Nec prosunt Elegi, nec carminis auctor Apollo.
Illa cava pretium flagitat usque manu.

Beroaldi *praedosa* non placet: minus multo Gebhardi *spatiosa.* poterat eos expedire Clitipho ille Terentianus, Heaut. Act. 2. Sc. 1.

Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, tamen
Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciae.
Mea 'st potent, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis.

adde, si voles, J. F. Gronovium Observ. in Script. Eccles. C. 2. & scito, nos in octo libris *pretiosa* invenisse. quae vocula non tantum de ea dicitur, quae gaudiis suis elocandis pretium ipsa ponit, sed & de illo qui damnosa mercede conducit. Horatius L. 3. Od. 6.

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister
Dedecorum pretiosus emtor.

44. QUUM FERIT ASTUTOS COMICA MOECHA GETAS] quum servum aliquem vafrum & fraudulentum ipsa fraudulentior fallit, ac bolo opimo emungit. Translatio de ludo gladiatorio ducta, qualis illa L. 3. Eleg. 2.

Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.

praeiverat Terentius Phorm. Act. 1. Sc. 1.

porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi ea pepererit:
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies.
Ubi initiabunt: omne hoc mater auferet,
Puer caussa erit mittundi.

pulcre Epicharmus ille Umber Trinum. Act. 2. Sc. 1.

qui ab eo quod amat
Quam extemplo saviis sagittatis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes.
Ibi ille cuculus; Ocelle mi, fiat! & istuc,
& si amplius vis dari,
Dabitur! ibi illa pendentem ferit.

Marollium audi: *quand cette courtisane, personnage de tant de comedies, fait donner force coups de baston à des Geta rusez.* qui poterat festivius? Ceterum Thaida non meretricio cultu prodisse, sed matronali, qui castam ac pudicam mentiretur, docet nos Varronis fragmentum ex Meleagro: *Non modo surit apertis, sed pene natibus apertis ambulas: quum etiam Thais Menandri tunicam habeat ad talos demissam.* Tales erant matronarum. Horatius L. 1. Sat. 2. ℣. 95.

Matronae, praeter faciem, nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
Hoc facit insanum) multae tibi tum officient res;
Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
Ad talos toga demissa, & circumdata palla.

45. IN MORES TE VERTE VIRI] expressit hanc locutionem Papinius L. 5. Theb.

Ut fera, quae placido rabiem desueta magistro
Tardius arma movet, stimulisque & verbere crebro
In mores negat ire suos.

45. SI CANTICA JACTAT] ita omnes libri: neque obstat Latinitatis ratio. nam *jacere* & *jactare vocem, maledicta, convicia, contumelias, injuriam,* & plurima id genus, apud optimum quemque scriptorem reperiuntur. tamen verior mihi lectio videtur, quam reponit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. Remed. Amor. ℣. 334, *si brachia jactat.* h. e. si saltat. nam manuum magis & brachiorum motu, quam pedum, se commendabant veterum saltationes. vide quae istic & commode & copiose ex poetis Latinis adducuntur exempla. Lucretius L. 4.

Quod superest, non est mirum, simulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare, & cetera membra.

tum paullo post:

Quid

Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
 Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori;
 Nauta nec attrita, si ferat aera, manu.
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
 Cretati medio quum saliere foro.
Aurum spectato, non quae manus afferat aurum.
 Versibus auditis quid, nisi verba, feres?

Qui

Quid porro, in numerum procedere quom simulacra
Cernimus in somnis, & mollia membra movere,
Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt?
Et repetunt oculis gestum pede convenienti?

valide etiam juvat id quod statim sequitur, *voces ebria junge tuas.* neque enim saltatio apud veteres erat hominum bene sobriorum; neque in eo pretio, quo est hodie apud gentes cultiores. Horatius L. 2. Sat. 1.

saltat Milonius, ut semel icte
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Cicero Orat. pro Murena C. 6. *Saltatorem appellat L. Murenam Cato. Maledictum est, si vere objicitur, vehementis accusatoris: sin falso, maledici conviciatoris. Quare cum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convicio, neque temere consulem populi Romani* SALTATOREM *vocare: sed conspicere, quibus praeterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui vere istud objici possit. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit: neque in solitudine, neque in convivio moderato, atque honesto. Tempestivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum: relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest.* his recte perpensis, non possum quin ambabus manibus amplectar bellissimam Viri magni emendationem.

49. MILES NON FACTUS AMORI] Passeratius e suis profert, *miles modo factus amori:* quae etiam lectio est codicis Groningani, ac Borrichiani. non displicet vulgata. tamen & istam tueri possis collatione loci Ovidiani L. 3. Amor. Eleg. 8.

Ecce recens dives, parto per vulnera censu,
Praefertur nobis sanguine pastus eques.

52. CAELATI MEDIO CUM SALIERE FORO] *Cretati* conjiciebat Passeratius, quia servorum venalium pedes gypso notati, & sigillo, vel heri, vel reipublicae, signati. ante Passeratium id quoque in mentem venerat Jano Durantio Casellio L. 1. Variar. C. 10. omnino recte. alii *gypsatos* dixerunt, quod tantumdem valet. Tibullus L. 2. Eleg. 6.

regnum ipse tenet, quem saepe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 8.

Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus,
Despice gypsati nomen inane pedis.

Juvenalis Sat. 1.

Vincant divitiae: sacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Plinius L. 35. C. 17. *Est & vilissima* [creta] *qua Circum praeducere ad victoriae notam, pedesque venalitiorum trans mare advectorum denotare instituerunt majores.* & C. 18. ejusdem libri: *Hoc est insigne venalitiis gregibus, opprobriumque insolentis fortunae: quos & nos adeo potiri rerum vidimus, ut Praetoria quoque ornamenta decerni a Senatu, jubente Agrippina Cl. Caesaris, viderimus libertis, tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent.* qui locus unice facit ad tuendam ac probandam hujus versiculi emendationem. cui alicubi calculum suum adjecisse scio doctissimum Gronovium. Joannes Rhodius *caelatos* exponit, cauterio inustos, Not. ad Scribon. Larg. p. 310. quod huic loco bene ut conveniat, vix mihi patior persuaderi. Nic. Heinsius *Elati* reponebat Not. ad Valer. Flacc. L. 2. ℣. 270.

Qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
  Istius tibi sit surda sine aere lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
  Utere, ne quid cras libet ab ore dies.

Vidi

55. Qui versus, Coae dederit nec munera vestis] legendum opinor *vesti*. qui versus tibi dederit, non addito auro, unde ematur vestis Coa. ellipsis est, bonis scriptoribus frequens. v. Turnebus XXIII. Adv. 1. Taubmannus ad Plaut. Curcul. 4, 4, 22. p. 351. b. Ovidius L. 1. Art. Amat.

Quid, quasi natali quum poscit munera libo,
Et quoties opus est, nascitur ipsa sibi?

Martialis L. 11. Epigr. 27.

Vel, quum perfricuit frontem, posuitque pudorem,
Succida palliolo vellera quinque rogat.

Valerius Flaccus L. 2. ℣. 488.

Jam cui candentes votivo in gramine pascit
Cornipedes genitor, nostrae stata dona saluti.

Apulejus Apolog. *nam petisse eum a me aliquid tersui dentium, versus testantur.* & mox: *sunt enim similiter etiam in ista vitae humanae tempestate levia sustentatui, gravia demersui.* vide notata doctissimo Gronovio ad Senec. L. 2. de Ira C. 25. tamen vulgata ferri potest, neque est sine exemplo. Corn. Nepos Phocion. C. 1. *Hic cum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret.* Ovidius L. 14. Metam.

Adde, quod est juvenis: quod naturale decoris
Munus habet: formasque apte fingetur in omnes.

Seneca Oedip. ℣. 853.

Inutile isti munus infantem dedi.

Sermo est de Oedipode exposito, ut necaretur. sed liber Florentinus, ille omnium optimus, *infantis* habet. Catullus Carm. 66.

Non illam rarae labefactes munere vestis.

56. Ipsius tibi sit surda sine arte lyra] melius liber Groninganus, *Istius tibi sit surda sine aere lyra.* istius lyra, inops, & ab aere destituta, mutum tibi tinniat. atque ita etiam in suis invenerant Volscus, Passeratius, Gebhardus. neque Scaligero displicebat. Anicula alia apud Ovidium in eodem negotio eadem monet, L. 1. Amor. Eleg. 8.

Ecce, quid iste tuus, praeter nova carmina, vatis
Donat? amatoris millia multa leges.
Qui dabit, ille tibi magno sit major Homero.
Crede mihi; res est ingeniosa dare.

57. Dum rugis integer annus] minus recte haec Tibullo dedit. J. F. Gronovius Diatr. Statian. C. 51.

58. Ne quis eat liber amore dies] haec verba ut ut sensum faciunt non omnino malum, & ferri posse videntur; tamen sunt spuria ac supposititia. unde nosti? inquies. nam si in iis libris, quos tu consuluisti, non exstant; potuerunt sane exstitisse in aliis, quorum ad te usus non pervenit. Ita est. Verum ego te ad ipsum mangonii cubile ducam. Antonius Volscus, qui omnium primus ausus est manum admovere poëtae nostro, saepe interpolatricem, bis vel ter saluriferam, sic notatum reliquit in commentario suo: *Ita scriptum in vetustis codicibus observavimus, Ne quid cras libet ab ore dies: sed absonum adeo atque salebrosum videtur, ut rectius legi videatur, Ne quis eat liber amore dies.* Ea fuit istorum temporum libertas, an licentia, ut mutarent audacter quidquid non intelligebant; & explerent de suo si quam offendissent lacunam. Cujus rei testes ante alios idonei nobis esse possunt Lucretius, & Catullus: qui quum manibus multorum tererentur, experti sunt non perfunctorie malas multorum manus: ne quid nunc addam de aliorum scriptorum pari fato. nos itaque profligatis Volsci affaniis eò unde infelicem pedem attulerant, jure postliminii in sedem suam reponamus genuina poëtae nostri verba, addicentibus octo libris vetustis. Hanc tam elegantem tamque bellam lectionem quum ad oram sui codicis notasset Marcellus Cervinus, multorum olim MSS. librorum possessor; postea eam quasi pro conjectura Cervini examinandam eruditis obtulit Roberti Titii stupor L. 2. Locor. Controv. C. 8. pessima porro anicula firmat sententiam suam exemplo rosarum. neque poterat aptius. formae enim

 par

Vidi ego odorati victura rosaria Paesti,
Sub matutino cocta jacere Noto.
His animum nostrae dum versat Acanthis amicae,
* * *
Sed cape torquatae, Venus o regina, columbae
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos:
Atque animam in tegetes putrem exsputare paternas.
Horruit algenti tegula curta foco.

Exse-

par est admodum ac similis cum eo flore brevitas.

pereunt hodie, nisi mane legantur.

pulcre Seneca Hippolyt. ℣. 764. quo loco & lectio simul nostra corroboratur.

Anceps forma bonum mortalibus
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic prata novo vere decentia
Aestatis calidae despoliat vapor:
Saevit solstitio cum medius dies,
Et noctem brevibus praecipitat rotis,
Languescunt folio lilia pallido,
Et gratae capiti deficiunt rosae:
Ut fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.

& sapiens est effatum mali Imperatoris: *Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius.*

63. VENUS O REGINA] ut *reges* dicebantur omnes Dii, ita Deae omnes *reginae*, saepe vel rei vel loci nomine adjecto, saepe omisso. Horatius L. 1. Od. 30.

O Venus regina Cnidi Paphique,
Sperne delectam Cypron.

L. 3. Od. 26.

O quae beatam diva tenes Cyprum, &
Memphim carentem Sithonia nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloën semel arrogantem.

sic *Juno regina* passim legitur in utroque opere Homeri. Virgilius L. 1. Aen.

Ast ego, quae divûm incedo regina, Jovisque
Et soror & conjux.

L. 7.

Nec minus interea extremam Saturnia bello
Inponit regina manum.

Cicero Accus. 5. in Verr. C. 72. *teque, Juno regina, cujus duo fana duabus in insulis posita sociorum, Melitae, & Sami, sanctissima & antiquissima, simili scelere idem iste omnibus donis ornamentisque nudavit.* templum dictator Camillus *Junoni reginae* vovit, & Vejis captis in Aventino dedicavit, signo cum celeberrima pompa Romam translato. quod operose describit Livius L. 5. C. 21. 22. & Plutarchus in vita Camilli. erat & alterum templum *Junonis reginae* in Capitolio, a M. Aemilio votum praelio ultimo, quo cum Liguribus signis collatis conflixit. ejus templi meminit idem Livius L. 39. C. 2. & Cicero orat. pro domo sua C. 57. plurima mentio est *Junonis reginae* in antiquis inscriptionibus apud Boissardum, Manutium, Gruterum, Reinesium; uti & *Isidis reginae.* nam & haec Juno credita est. in gemma vetere Stephani Vinandi Pighii legebatur ISI. REGINA. AD. IWA. ME Ejus gemmae aposphragisma erat cornu copiae, sceptrum, malum punicum, temo, globus.

67. ANIMAM IN TEGETES PUTREM EXSPIRARE PATERNAS] non displicet Gebhardi *exsputare:* ut de anicula contemtissima maxime contemtibilia usurpet verba. Seneca Troad. ℣. 1169.

quo meas lacrimas feram?
Ubi hanc anilis exspuam leti moram?

& L. 3. de Ira C. 43. *jam ipsum spiritum exspuimus: interim dum trahimus, dum inter homines sumus, colamus humanitatem.* Phoenissis ℣. 44.

tandem

Exsequiae fuerunt rari furtiva capilli
Vincula, & immundo pallida mitra situ;
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Quum fallenda meo pollice claustra forent.

Sit

tandem spiritum inimicum exspue,
Desertor animi, fortis in partem tui.
v. Ovidius XII. Metam. 256. Seneca Herc. Oet. ỳ. 1469. plura subjiciet Justus Zinzerlingus Promulf. Crit. C. 14. unde disces, certam esse Gebhardi conjecturam, non arbitrariam. adlusit ad hoc verbum auctor Herculis furentis ỳ. 1310.
hanc animam levem,
Fessamque senio, nec minus fessam malis,
In ore primo teneo.
Ceterum *segetes paternas* valde mordaciter dixit poeta, objiciens lenae mendicitatem haereditariam. Beroaldus & Passeratius proferunt e libb. *segetes patentes*, i. e. undique apertas & rimosas. in nostris nihil tale offenditur. & friget sane, ac languet, ad acrimoniam vocis receptae.

68. HORRUIT ALGENTI PERGULA CURTA FOCO] mirifice hic turbant libri, in quibus *pergula curta*, vel *percula*, nonnumquam *pocula*, & *parvula*, *curva* quoque legitur. est autem omnino restituendum, cum *Salmasio* in Tertulliani Pallium p. 256. & Nic. Heinsio, *tegula curta*. tegulis sive testis ignem sibi petebant homines pauperculi. Auctor Rhetor. ad Herennium L. 4. C. 6. *Si Prometheus, cum mortalibus ignem dividere vellet, ipse a vicinis cum testa ambulans, carbunculos corrogaret, non ridiculus videretur?* haec autem anicula tam erat egens, ut ne tegulam quidem haberet integram; sed *curta* & confracta uti cogeretur. qualis Antiopes aut Chiones calix apud Martialem. Est etiam illud extremae egestatis, non habere ignem, & algore exstingui. talem Catullus Furium describit Carm. 20.
Furi, cui neque servus est, neque arca,
Nec cimex, nec araneus, neque ignis.
nec recusat Tibullus pauper esse, id est, fortis valde modicae, dum tamen habeat focum luculentum, L. 1. Eleg. 1.
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
& Martialis inter vitae beatioris commoda numerat *focum perennem*.

69. EXSEQUIAE FUERANT] repone cum Passeratio *fuerunt*: nam istorum praeteritorum credibile est ancipitem apud veteres modulationem fuisse. vide sis Oberti Gifanii Conlectanea ad Lucretium, in *Praeterita in Erunt*, & Nic. Heinsii Notam ad Ovid. Epist. Didus ỳ. 166.

70. IMMUNDO PALLIDA MITRA SITU] Nonius: PALLOREM, *vetustatem, & neglegentiam Lucilius libro* XXX. *voluit dici posse:*
Lanae opus omne perit, pallor, tineae omnia caedunt.
hic autem proprie mitra dicitur *pallida*, quae ex longo situ colorem amiserat, horridumque induerat lurorem. nam mitrae istae croco inficiebantur. Prudentius Psychomach.
Ut mitra, caesariem cohibens aurata virilem,
Combibat infusum croceo religamine nardum.

72. QUUM FALLENDA MEO POLLICE CLAUSTRA FORENT] libri fere *cultra forent*, vel *coltra forent*. unde Scaliger faciebat *claustra*. non male: nam *claustra* sunt in foribus ac portis. Catullus Hymenaeo Juliae:
Claustra pandite januae.
Virgo adest.
Apulejus L. 4. Metam. *Tunc itaque sublimis ille vexillarius noster Lamachus, spectata virtutis suae fiducia, qua clavi immittendae foramen patebat sensim immissa manu, claustrum evellere gestiebat.* Virgilius L. 2.
Inclusos utero Danaos, & pinea furtim
Laxat claustra Sinon.
Cicero orat. 1. contra Rullum C. 7. *nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi Romani possessionem, subsidium annonae, horreum belli, sub signoque claustrisque reip. positum vectigal servare non potuisse.* Beroaldus mutaverat in *clathra*. atque eo ducere videntur unus Regius, in quo *caltra* legitur; unusque Colbertinus, qui *clara* habet. sed negat Caper grammaticus *clatra* dici, & *clatros* tantum agnoscit, in libello de verbis dubiis.

Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo:
Urgeat hanc supra vis, caprifice tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis,
Mixtaque cum saxis addite verba mala.

74. URGEAT &c.] terram illi gravem optat. Seneca Hippol. ỳ. 1280. *istam terra defossam premat, Gravisque tellus impio capiti incubet.* v. ibi Delrius Adv. p. 116. & Com. p. 215.

75. QUISQUIS AMAS, SCABRIS HOC BUSTUM CAEDITO SAXIS] Livinejus malebat *caedite.* quod verum est. nam nomina singularia collectiva, ut grammatici vocant, & partitiva, eleganter cum verbo plurali ponuntur. Ovidius L. 1. Art. Amat.

Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes;
Pollicitisque favent vulgus adesse meis.

& Remed. Amor.

Publicus adsertor dominis oppressa levabo
Pectora: vindictae quisque favete suae.

Minucius Felix, aureus Scriptor: *dum unusquisque vestrum non cogitat, prius se debere Deum nosse, quam colere: dum inconsulte gestiunt parentibus obedire: dum fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere,* &c. inscriptio vetus Romae in hortis Julii tertii P. M.

HAC. LEGE. UT
QUOTIENS. QUIS. EORUM. SUIS. CORONAS. PONENT
ARAM. NOSTRAM. CORONENT.

de lapidatione sepulcrorum vide Scaligeri notam. pro turpi feritate merito traduxit Ovidius L. 3. Trist. Eleg. 11.

Quid inanem proteris umbram?
Quid cinerem saxis bustaque nostra petis?

Sed hic de lena agitur, adolescentium peste, ac pernicie communi.

76. MIXTAQUE CUM SAXIS ADJICE VERBA MALA] correctiunculam in superiore versu firmant duo codices Gebhardi, qui hic habent, *addite verba mala.* quod & Livinejus conjecerat. ista autem mala verba valde exhorrescebant veteres, & in sepulcrorum inscriptionibus non raro deprecabantur. testis lapis Romanus, quem Joannes Pierius Valerianus publicavit:

APUSULENA. GERIA. VIXI. ANN. XXII.
QUOT. QUISQUE. VESTRUM. OPTAVERIT. MIHI
ILLI. SEMPER. EVENIAT. VIVO. ET. MORTUO.

itemque alter apud Janum Jacobum Boissardum:

QUICQUID. MIHI. FECERIS. IDEM. TIBI. SPERES

VI.

SAcra facit vates, sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Serta Phileteis certent Romana corymbis,
Et Cyrenaeas urna ministret aquas.

Costum

3. CERA PHILETAEIS CERTET ROMANA CORYMBIS] libri omnes scripti *Philippeis* habent: quem errorem feliciter emendavit Antonius Volscus, minime privandus sua laude: quamquam hanc laureolam sibi vindicavit Philippus Beroaldus. inique profecto, si standum erit fide M. Antonii Sabellici in Dialogo de Latinae Linguae reparatione. *Acutior,*

inquit

Costum molle date, & blandi mihi turis honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Spar-

inquit ille, [quam Petrus Marsus] *in Poëtis explicandis, cultiorque, meo judicio, Antonius Volscus, & ipse Pomponii auditor, diligens in Nasonis Heroidibus, sed in Propertio diligentior. - - - - - Sunt qui Philippum Beroaldum Bononiensem & ipsum in Propertium Commentarios elegantissime conscriptos aut jam edidisse dicant, aut non multo post etiam editurum: sed de his, quae nondum vidimus, quid dicam, nihil habeo.* vides Beroaldum fuisse tempore posteriorem. itaque si Volsci laborem non viderat, potuit certe vidisse. pro *Cera* legendum omnino cum Scaligero *Serta.* nam *cera* quidem nullo modo componi potest cum *corymbis*; *serta* verò potest optime. Passeratius e vetere libro profert *Edra*, pro edera. eam ego *edram* veteri isti libro libens redonatam volo. *certeut* etiam legitur in nostro primo, non *certet.* quamquam neque hoc damnandum, quum *serta* feminino genere recte dicatur, & noster ita extulerit L. 2. Eleg. 24. sed licuit, opinor, nonnumquam variare orationem. plene Lucanus L. 10.

Accipiunt sertas nardo florente coronas,
Et numquam fugiente rosa.

quinimo & *sertos* dicebant. quod itidem plene extulit Apulejus L. 4. Metam. *in matutino progressu virginis, victimis & epulis Veneris absentis numen propitiatur. jamque per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis, & solutis adprecantur.* super quibus locutionibus consuli potest Servius ad L. 1. Aen. ỳ. 421.

5. COSTUM MOLLE DATE] proprie: est enim *dare* verbum sacrorum: v. Brissonius L. 1. de Formul. p. 25. Tibullus L. 3. Eleg. 3.

Quid prodest coelum votis implesse, Neaera,
Blandaque cum multa tura dedisse prece?

Ovidius L. 1. Art. Amat.

Expedit esse Deos: &, ut expedit, esse putemus.
Dentur in antiquos tura merumque focos.

Virgilius L. 8. Aen.

Una omnes juvenum primi, pauperque senatus
Tura dabant.

Servius: DABANT, *verbo sacrorum usus est. nam dici solebat in sacris,* DA QUOD DEBES DE MANU DEXTRA ARIS. hinc intelligendus Phaedrus L. 4. Carm. 19.

Tibi dico, avare, gaudium haeredis tui,
Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo.

Tus autem nostro *blandum* dicitur, non (ut volunt) quod eo facile Dii persuadeantur & exorantur, sed vero propter suavissimam odoris fragrantiam. nam est haec notio vocis *blandus* in re odorum. Lucretius L. 2.

Sicut amaracini blandum stactaeque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halant,
Cum facere instituas.

6. TERQUE FOCUM CIRCA LANEUS ORBIS EAT] nescio quos lemniscos hic intellexit Beroaldus; & ante eum Hermolaus Barbarus ad L. 16. Plinii C. 14. quos sequitur, nec tamen nominatos, Aegidius Menagius in expositione Italica Sonetti septimi Franc. Petrarchae, quam subjecit Historiae suae Mulierum Philosopharum: &, quod nimis est mirificum, colligit poëtas solere coronari laneis coronis. Passeratius vittam laneam in orbem circumactam exponit, qua ara fuerit circumcincta. Scaliger hunc sibi ritum esse penitus incognitum ultro fatetur. Habent itaque in quo dilucidando sese exerceant ingenia eruditorum: neque enim nihil restat inquirendum ac sedulo excutiendum in nostro poëta, saepe parum claro, sive id legentium vitio accidit, sive longa temporum injuria. Ego sane, ubicumque mihi aqua haeret, numquam erubescam fateri inopiam meam; meritas etiam gratias publice agere paratus, si quis comiter viam erranti monstrare dignatus fuerit. male consulunt rei literariae, qui in levioribus occupati, locos difficiles uno saltu transmittunt, ac si nihil esset istic quod quemquam remorari magnopere posset. Sed jam pridem talium heroum artes in vulgus innotuerunt. pergamus ad alia. pro *circa* legebat Demsterus *circum*, ut sit tmesis τοῦ *circumeat*: quomodo alibi recto ordine dixit poëta,

Cujus non hederae circumiere caput.

haec ille, Paralip. ad Ant. Rom. Rosini L. 4. C. 9. Scio grammaticos statuere *circum* esse loci, *circa* autem temporis. verum istam

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes: alio ſint aëre noxae:
Pura novum vati laurea mollit iter.
Muſa, Palatini referamus Apollinis aedem:
Res eſt, Calliope, digna favore tuo.
Caeſaris in nomen ducuntur carmina: Caeſar
Dum canitur, quaeſo, Jupiter, ipſe vaces.
Eſt Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua ſinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Julaeae pelagus monumenta carinae,
Nautarum votis non operoſa via.
Huc mundi coiere manus. ſtetit aequore moles
Pinea, nec remis aequa favebat avis.

Altera

legem paſſim migrant poëtae. Virgilius Culice:

Quem circa paſſim feſſae cubuere capellae.

Horatius L. 1. Od. 3.

Illi robur & aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus.

Seneca Herc. Fur. ỳ. 149.

Pendet ſummo ſtridula ramo,
Pennaſque novo tradere ſoli
Geſtit querulos inter nidos
Thracia pellex; turbaque circa
Confuſa ſonat, murmure miſto
Teſtata diem.

Valerius Flaccus L. 8. ipſo initio:

At trepidam in thalamis, & jam ſua fata paventem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
Patris habent.

atque adeo ipſe Tullius Catilinar. 4. C. 7. *Plenum eſt forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus hujus loci ac templi.* quare mutationis non neceſſariae gratiam faciamus Demſtero. cujus expoſitionem *orbis lanei* (nam & hoc erat indicandum) tam ſimilem invenies Paſſeratianae,

Ut ſit tam ſimilis ſibi nec ipſa.

8. TIBIA MYGDONIIS LIBET EBURNA CADIS] gravis eſt lapſus viri doctiſſimi Hieronymi Magii L. 1. Miſcell. C. 13. ibi enim poſtquam ex antiquis ſcriptoribus oſtendit, tibiarum funebrium originem Phrygibus deberi; & tibicines uſos Phrygio modo, apto ad evocationem animarum, quem Pelops Phrygius invenerit; addit, eas tibias ex ebore fieri conſueviſſe, inque eam rem ita laudat verſum Propertii,

Tibia Mygdoniis luget eburna ſonis.

non potuiſſet haec & tam male legere, & tam perverſe intelligere homo plurimarum literarum, ſi vel obiter inſpexiſſet librum auctoris laudandi. adeo labilis res eſt memoria.

11. PALATINI REFERAMUS APOLLINIS AEDEM] templum Apollinis Actii in Palatio. vide ſis Maronem L. 8. Aen. ỳ. 720. & quae inibi Servius notavit: quaeque Aſconius Pedianus in Ciceronis orationem contra C. Antonium & L. Catilinam.

11. PALATINI REFERAMUS APOLLINIS AEDEM] egregius eſt locus Aſconii Pediani in orat. in toga candida p. 983. in hac aede lychnos pependiſſe inſtar arboris mala ferentis, tradit P. Victor Regione X. Palatio.

13. CAESARIS IN NOMEN DICUNTUR CARMINA] libri omnes *ducuntur*; quod verum eſt. dictum, ni fallor, alibi.

19. STETIT AEQUORE MOLES PINEA] intellige de claſſe Antonii & Cleopatrae: nam Auguſti naves multo minus ſpatioſae erant.

Flo-

Altera classis erat tenero damnata Quirino,
Pilaque feminea turpiter apta manu.

Hinc

Florus L. 4. C. 11. *a senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis allevatae, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur. Quae quidem ipsa moles exitio fuit.* ille *gemitus maris* & *labor ventorum*, quos in aliquo declamatore vix ferremus, nescio cur tantopere placere potuerint eminentissimo Guidoni Cardinali Bentivolo, ut etiam voluerit imitari: sic enim scribit parte secunda Histor. Belgic. L. 4. *con tal ordine si dispos'el'armata. Veniva con tardo moto, quando anchè portava le vele piene: e quasi pareva che gemessero l'onde, e si stancassero i venti nel reggerne il peso.* tantum judicii deliquium miror, imo indignor, in viro alias judiciosissimo. melius haec & sanius suo ipse ore extulisset.

21. ALTERA CLASSIS ERAT TENERO DAMNATA QUIRINO] in MSS. est *teucro Quirino*: unde Beroaldus bono judicio fecit *tenero*. eumdem errorem observavi in antiquo codice Virgilii, alias valde boni commatis, quem ego beneficio P. Francii, viri praestantissimi, contendi olim cum vulgatis. locus est L. 11. Aen. ubi de Metabo & Camilla:

Hic natam in dumis, interque horrentia lustra,
Armentalis equae mammis & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.

membranae habent *teucris labris*. cujus vitii medicina quum nemini non sit in promtu, frustra plura dixero. *tener Quirinus* (hoc etiam Beroaldus monuerat) est mollis atque effeminatus in Cleopatrae sinu Antonius. pari ratione C. Julium Caesarem Catullus infamaverat Carm. 26.

Cinaede Romule, haec videbis, & feres?

& Syllam Sallustius vocat *scaevum istum Romulum*, apud Servium ad Eclog. 3. Aeneam rex Iarbas *Parin*, Aen. L. 4. Domitianum Juvenalis *calvum Neronem* nominat Sat. 4. & haec quidem tria posteriora infamiam secum trahebant ex morum atque ingenii similitudine. usitatius autem homines degeneres, aut publice inutiles, aut generi suo ignominiosos, celebri aliquo viri clari ac fortis nomine traducebant. Sic L. Pisonem, qui vitiis suis lutulentis, & popinae ac ganeae, amorem philosophiae Epicureae praetexebat, *Epicurum* vocat Cicero, orat. in eum C. 16, quem multo fuisse frugalissimum non vana est opinio: *Confer nunc, Epicure noster, ex hara producte, non ex schola, confer, si audes, absentiam tuam cum mea.* deinde *Paullum*, ibidem: *Appellatus est hic vulturius illius provinciae, si Diis placet, imperator. Ne tum quidem, Paulle noster tabellas Romam cum laurea mittere audebas?* rationem exponit Asconius Pedianus: *Confido vos intelligere, L. Paullum hunc significari, qui fuit pater naturalis Africani posterioris, quique de Macedonia, atque ultimo ejus de rege triumphavit. Macedoniam autem Piso, in quem haec oratio est, obtinuit: propter quod PAULLUM eum appellat: irridens eum, quod ibi se non prospere gessit.* postrema ista, quod obiter monere liceat, leviter corrupta videntur, & scribendum, *ibi rem non prospere gessit.* sic M. Antonium, obsidendarum urbium non prudentissimum, *novum Hannibalem*, Philipp. 13. C. 11. *Veneficam audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia invenit? quem ita obsides, nove Hannibal, aut si quis acutior imperator fuit, ut te ipse obsideas, neque te istinc, si cupias, possis explicare.* Caesarem Octavianum, exercitum contra se ducentem pro optimatibus, M. Antonius in edictis suis *Spartacum* appellabat, referente Tullio Philipp. 3. C. 8. ipsum vicissim Antonium Tullius Philipp. 4. C. 6. *Est igitur, Quirites, populo Romano victori omnium gentium omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco. nam, quod se similem esse Catilinae gloriari solet, scelere par est illi, industria inferior.* Philipp. 13. C. 10. *O Spartace! quem enim te potius appellem? cujus propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina.* Catilinam deinde ipse se fore dicit orator, si verus esset rumor ab hominibus sceleratis confictus, velle eum post victoriam Mutinensem cum fascibus descendere, Philipp. 14. C. 5. *in aliquem credo hoc gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse consultum, non in eum, qui, ne quid tale in republica fieri posset, effecerit. an ut ego, qui Catilinam haec molientem sustulerim, everterim, afflixerim, ipse existerem repente Catilina?*

Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus:
Armorum radiis picta tremebat aqua.

Quum

na? non potest ferri eorum hominum stupor, qui hunc *Teucrum* (si Diis placet) *Quirinum* volunt esse Octavianum Augustum, & *damnatam* classem exponunt, addictam jam & adjudicatam Quirino Teucro. nemo ita loqui potest, qui quidem Latine volet loqui. & convincere eos debuerat ipse Propertius L. 2. Eleg. 13.

Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inanis
Actia damnatis aequora militibus.

nam Antonius bello Perusino totius Senatus suffragiis judicatus fuit hostis. non erat animus insistere in his frivolis, & lubens pepercissem memoriae Viri magni, turpiter hic (quod nollem) offendentis; nisi me movisset interpretis Parisini supina simplicitas, qui maluit alieni erroris accessio fieri, id quod semper facit, quam suo Marte investigare sensum scriptoris, quem temere explicandum suscepit. Quod nisi tales librorum pestes excutiantur de manibus juventutis, brevi futurum video ut in antiquam revolvamur barbariem.

22. PILAQUE FEMINEA TURPITER APTA MANU] Groninganus ac Borrichianus habent *acta manu*, quod & Passeratius ex aliis libris protulit. non accedo. insectatur enim mollem istam manum eunuchorum ac spadonum in armis stantium, & hostem opperientium, nondum tamen pugnantium. Horatius Epod. 9.

Romanus (eheu, posteri, negabitis)
Emancipatus feminae
Fert vallum & arma miles, & spadonibus
Servire rugosis potest.

apta hic valet aptata: ut saepe alias apud optimos scriptores.

24. SIGNAQUE JAM PATRIAE VINCERE DOCTA SUAE] Jam adsueta & vetus victoriarum de perduellibus, qui sub signis Romanis bellum inferebant Reipublicae. Antonium intellige, bello Mutinensi & deinde Perusino profligatum; Cassium & Brutum caesos; exutum trecentarum quinquaginta navium classe Sextum Pompejum. certe C. Caesar adolescens in ipsis motuum Antonianorum initiis solus stitit rempublicam labentem. Cicero Philipp. 5. C. 8. *Atque ille furens infesta jam patriae signa Brundisio inferebat: cum C. Caesar deorum immortalium beneficio, divini animi, ingenii, consilii magnitudine, quamquam sua sponte eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis meae, colonias patrias adiit, veteranos milites convocavit, paucis diebus exercitum fecit, incitatos latronis impetus retardavit.* at ille latro quatuor legiones Romanas sub signis habebat, non contemnendam manum. deinde etiam sex, ut videre est ex mandatis Antonii ad senatum missis Philipp. 8. C. 8. 9. *Signa patriae* paullo clarius expressit Lucanus L. 1.

infestis obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

pessime hic Passeratius: PATRIAE SUAE. *quasi non sibi, sed suis civibus, & imperii dignitati victoriam quaereret.* Marollius ita vertit, ut ipsummet appareat mentem suam non cepisse: *le navire d'Auguste avoit Jupiter favorable, qui lui donnoit un bon vent dans les voiles, signes asseurés qu'il devoit vaincre pour la patrie, comme il en avoit eu l'experience.* Haec quum Philippo Silvio T. E. C. P. obscura viderentur, ipsum Propertii versiculum sicco pede transmisit, neque sua interpretatione clariorem reddere dignatus est, neque in Notis illustravit. Sed & Beroaldus nihil dixerat. hinc illud silentium.

25. TANDEM ACIES] *aciem* habet Groninganus, nostri duo, unus Colbertinus.

26. ARMORUM ET RADIIS PICTA TREMEBAT AQUA] eleganter, & tamquam in re praesente. pariter L. Attius Epinausimache, apud Nonium:

Ab classe ad urbem tendunt, neque quisquam potest
Fulgentium armûm armatus ardorem obtui.

illustriore facundia Papinius L. 2. Theb.

Coeperat humenti Phoebum subtexere palla
Nox,

Quum Phoebus linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Ad-

Nox, & coeruleam terris infuderat umbram:
Ille propinquabat silvis, & ab aggere celso
Scuta virûm, cristasque videt rutilare. comantes,
Qua laxant rami nemus, adversaque sub umbra
Flammeus aeratis Lunae tremor errat in armis.

idem grandis poëta L. 5.

tellus jam pulvere primo
Crescit, & armorum transmittunt fulgura silvas.

& L. 9.

stupet hospita belli
Unda viros, claraque armorum incenditur umbra.

quae omnia Virgilio suo debet, ex L. 7. Aen.

non jam certamine agresti
Stipitibus duris agitur, sudibusve praeustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horrescit strictis seges ensibus, aeraque fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila jactans.

ceterum τὸ & in hoc ipso nostri versiculo non agnoscunt meliores libri: etiam ii quibus usus olim Gebhardus. Venustius sane abest, ac rotundius.

27. STANTEM SE VINDICE DELON] Statius L. 7. Theb. (est autem Bacchi ad Jovem oratio)

potuit Latonia frater
Saxa (nec invideo) defigere Delon, & imis
Commendare fretis.

Lutatius: *Apollinem dicit, qui Delon insulam in honorem materni partus stabilem fecit.* Sed cui non dictus Hylas? tu e plurimis Servium consulito in L. 3. Aen. ℣. 73.

8. NAM TULIT IRATOS MOBILIS UNA NOTOS] quid ego audio? una igitur ac sola Delos mobilis fuit, ventisque huc illuc agitata fluctuavit? nullae praeter Delon insulae? atqui multas tales facto catalogo enumerat Seneca L. 3. Quaest. Nat. C. 25. & Plinius L. 2. C. 95. multo etiam plures Claudius Dausquejus in *Terra & Aqua*. librorum scriptorum lectio est *mobilis unda*: quam, male corruptam, pejus deinde habuit Antonii Volsci sinistrum acumen. ita enim ille in Commentario: UNDA. *emenda* una: *nam una Delos passa est ventorum injuriam.* utinam tu, Antoni, altum stertere maluisses, quam impendere lucubrationes tuas deturpandis bonis auctoribus! in τῷ *unda*, latet vera lectio, quae est *ante*. fundum hujus mutationis do tibi Maronem L. 3. Aen.

Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereïdum matri, & Neptuno Aegeo:
Quam prius Arcitenens oras & litora circum
Errantem Gyaro celsa Myconoque revinxit,
Inmotamque coli dedit, & contemnere ventos.

ecce, *prius* istud exprimit nostrum *ante*. Seneca Agamemn. ℣. 368.

Tu maternam
Sistere Delon, Lucina, jubes
Huc atque illuc PRIUS *errantem*
Cyclada ventis. nunc jam stabilis
Fixa terras radice tenet;
Respuit auras; religatque rates,
Adsueta sequi.

Dices, ibi vulgo legi *pius Arcitenens*. fateor; sed vulgo. nam & ego in antiquis membranis *prius* inveni; & in multis aliis invenit Jo. Pierius Valerianus; & ipse denique Servius sua aetate consuevisse ita legi liquido testatur. libro quoque 3. Aen. idem vitium fuit, jam inde ab aliquot saeculis, hoc versu:

Multaque praeterea vatum praedicta priorum.

nam & istic *piorum* interpolaverant, eodem Servio teste. juvat etiam nos Ovidius Epist. Cydippes:

Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut vidi, Quid me fugis, insula, dixi?
Laberis in magno numquid, ut ANTE, *mari?*

& poëta vetus (Petronium faciunt) in collectione Pithoeana:

Delos, jam stabili revincta terra,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc & inde vento
Ibat fluctibus inquieta summis.

vide Callimachum Hymn. in Delum ℣. 190.

Adstitit Augusti puppem super; & nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae.
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
Mox ait, O longa mundi servator ab Alba,
Auguste, Hectoreis cognite major avis,

Vince

29. ADSTITIT AUGUSTI PUPPEM SUPER] Apollo simul Delon linquens simul super navem Augusti adstitit. magnae id fuit celeritatis, qualem in Diis suis agnoscunt poëtae, Valerius Flaccus L. 3. ℣. 83.

Bistonas in medios ceu Martius exsilit astris
Currus; ubi ingentes animae, clamorque, tubaeque
Sanguineae juvere deum.

Papinius L. 9. Theb. ℣. 678.

lapsa per auras
Vertice Dircaei velox Latonia montis
Astitit.

ibidem ℣. 831.

Desiluit justis commotus in arma querelis
Bellipotens; cui sola vagum per inane ruenti
Ira comes; reliqui sudant ad bella Furores.

Valerius Flaccus L. 4. ℣. 355.

Sensit Juno dolos, curaque accensa jugali
Aethere desiluit: dominum Lyrceia tellus,
Antraque deprensae tremuerunt conscia culpae.

ibidem ℣. 682.

hic Juno praecepsque ex aethere Pallas
Insiliunt pariter scopulos: hunc nata coërcet,
Hunc conjunx Jovis.

& poëtas ubique sequens Apulejus L. 4. Metam. de Venere: *Sic effata, & osculis hiantibus filium diu ac pressule saviata, proxima soras reflui litoris petit, plantisque roseis vibrantium fluctuum summum rorem calcavit. Ecce jam profundi maris udo resedit vertice: & ipsum, quod incipit velle, statim, quasi pridem praecepit, non moratur marinum obsequium.* expressit autem Nasonem L. 8. Metam.

Immensa est, finemque potentia coeli
Non habet: & quidquid Superi voluere, peractum est.

ceterum *puppim* habent nostri libri cum Groningano, non *puppem*.

34. EGESSITQUE AVIDIS DORICA CASTRA ROGIS] exhausit Graecorum exercitum crebris funeribus. Statius L. 1. Theb.

tumulisque carentia Regum
Funera, & egestas alternis mortibus urbes.

Sed hoc jam video Gebhardo monitum.

36. IMBELLES QUEM TIMUERE LYRAE] *imbelles lyrae*, bello contrariae, paci aptae, & ipso actu pacem praeferentes. Horatius L. 1. Od. 15.

Nequicquam Veneris praesidio ferox
Pectes caesariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides:

& libri ejusdem Od. 6.

dum pudor,
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris, & tuas,
Culpa deterere ingeni.

eadem ratione Tarentum vocat *imbelle*, L. 1. Epist. 7. urbem scilicet deliciis factam & quieti:

mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

& Valerio Flacco *imbellis* dicitur olea, i. e. pacem portans, L. 5.

Non tibi ab hoste minae, nec vis, ait, ulla propinquat,
Nec metus; externo jam flammea murice cerno
Tegmina, jam vittas, frondemque imbellis olivae.

37. LONGA MUNDI SERVATOR AB ALBA]

ve-

Vince mari: jam terra tua est, tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.
Solve metu patriam, quae nunc te vindice freta
Imposuit prorae publica vota tuae.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aves.
Et nimium remis audent, proh turpe, Latinis,
Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt prorae Centauros saxa minantes:
Tigna cava, & pictos experiere metus.

Fran-

venusta locutio, neque infrequens optimis scriptoribus. notat autem originem generis; non locum, unde aliquis venerit. Virgilius L. 7. Aen.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemtor divûm Mezentius.

Servius: *oriundo Tuscus, non qui nunc de Tuscia venit, quem antea pulsum a civibus constat.* atque ita capiendus Seneca Hippol. ỳ. 753.

Et tu thyrsigera Liber ab India,
Intonsa juvenis perpetuum coma.

nam Bacchum apud se & natum & educatum Indi gloriabantur. Mela L. 3. C. 7. *Urbium quas incolunt (sunt autem plurimae) Nysa est clarissima & maxima: montium Meros, Jovi sacer. Famam hinc praecipuam habent, quod in illa genitum, in hujus specu Liberum patrem arbitrantur esse nutritum. unde Graecis auctoribus, ut femori Jovis insutum dicerent, aut materia ingessit, aut error.* male Senecae verba trahunt interpretes ad expeditionem Indicam Bacchi Thebani.

43. MURORUM ROMULUS AUGUR] *auctor* est ii. uno Regio. sed praepollet vulgata. Cicero L. 1. de Divinat. C. 2. *hujus urbis parens Romulus, non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur.* Romulus autem hic *murorum augur* dicitur eadem ratione, qua paullo post Apollo se ipse vocat *temporis auctorem.*

48. INVITO] Seneca Agamemn. ỳ. 172.
Non est soluta prospero classis Deo.

49. QUODQUE VEHUNT PRORAE CENTAURICA SAXA MINANTES] videtur noster, per enallagen numeri, loqui de nave regia, quae habuerit depictum in prora Centaurum, ingens saxum minantem, quales olim isti semiferi steterant contra Lapithas. inde colligo, legendum esse, *Centauros saxa minantes.* quod, ni fallor, etiam Guyeto placebat. juvat nos Poëta princeps L. 10. Aen.

Filius, aequales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet: ille
Instat aquae, saxumque undis inmane minatur
Arduus, & longa sulcat maria alta carina.

hanc imaginem noster contemtim *pictos metus* vocat versu sequente: ac si omnis ab Antonio terror constiterit intra minacem apparatum. est apud Maronem in eodem libro etiam altera imago, quae huc facit:

Aeneia puppis
Prima tenet, rostro Phrygies subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.

vulgata lectio si recta esset, certe prorae omnino dici deberent *minaces*, non *minantes.*

50. PICTOS EXPERIARE METUS] nostri libri, & Groninganus, *experiere.* recte, & vere: senties, & re ipsa cognosces, terribiles istas navium moles esse tantum cava tigna, & cassas formidines.

Frangit, & attollit vires in milite caussa:
Quae nisi justa subest, excutit arma pudor.
Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, & pharetrae pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Caesaris hasta furit.

Vincit

51. FRANGIT ET ATTOLLIT VIRES IN MILITE CAUSSA] Ovidium horum versuum auctorem facit politissimus Menagius in egregio commentario, quo Franc. Malherbae poëmata illustravit. adeo res est fragilis memoria. cujus tamen virtute ac beneficio ille ipse Menagius non leviter jactare se solebat. Secutus est noster suum Ciceronem, Catilin. 2. C. 11. *si his rebus omissis, ipsas causas, quae inter se confligunt, contendere velimus, ex eo ipso, quam valde illi jaceant, intelligere possumus.* &c. locum ipsum dilatavit Papinius L. 4. Theb.

At parte ex alia Cadmi Mavortia plebes
Moesta ducis furiis, nec mollis territa fama,
(Quando his vulgatum descendere viribus Argos)
Tardius illa quidem, regis caussaeque pudore,
Verum bella movet. nulli destringere ferrum
Impetus, aut humeros clypeo clausisse paterno
Dulce, nec alipedum juga comere, qualia vulgi
Gaudia. dejecti trepidas sine mente, sine ira,
Promisere manus.

plura alii constiparunt super hujus effati veritate. sed viderint politici. sane mihi admodum sapienter Cicero, vir negotiorum reipublicae suae prudentissimus, scripsisse videtur ad M. Marcellum, L. 4. Epist. 7. *Ego eum te esse qui horum malorum initia multo ante videris, consulatum magnificentissime atque optime gesseris, praeclare memini: sed idem etiam illa vidi, neque te consilium civilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeji, nec genus exercitus probare, semperque summe diffidere. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis: & ego id semper egi ne interessem. Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, caussa, quae erant in nobis superiora: sed lacertis, & viribus quibus pares non eramus. Victi sumus igitur: aut, si vinci dignitas non potest, fracti certe, & abjecti.*

55. PHARETRAE PONDUS CONSUMIT IN ARCUS] grandius hoc & sonorius, quam si dixisset *in arcum.* quamquam ista enallage numeri non nisi unum arcum notat. ita Statius, qui omnia magna amat dicere, L. 2. Silv. 1. de puero formoso:

Hunc nec saeva viro potuisset carpere Procne:
Nec fera crudeles Colchis durasset in iras,
Editus Aeolia nec si foret iste Creüsa.
Torvus ad hunc Athamas insanos flecteret arcus.

& L. 1. Theb.

Unde graves irae cognata in moenia Baccho;
Quod saevae Junonis opus: cui sumserit arcus
Infelix Athamas.

Valerius Flaccus L. 1. itidem de arcu uno; sed Herculeo:

Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat: Arcadio cujus flammata veneno
Tela puer, facilesque humeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas.

aliter, in re dissimili, Horatius L. 3. Od. 8.

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber, sera domitus catena:
Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

est & *consumendi* verbum non sine insigni energia. Cicero, orat. pro Cn. Plancio C. 30. *sic mecum semper egisti, te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Plancii honorem consumerem.*

56. PROXIMA POST ARCUS CAESARIS HASTA FUIT] ingeniosa est & capitalis Nic. Heinsii emendatio, Not. in Ovid. L. 2. Fastor. ℣. 751, *Caesaris hasta furit.* proprium in pugnis verbum est *furere.* Virgilius L. 9. Aen.

Nec minor Euryali caedes. incensus & ipse
Perfurit.

& L. 7.

Pars

Vincit Roma fide Phoebi, dat femina poenas.
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Caesar ab astro,
Sum deus; en nostri sanguinis ista fides.

Pro-

Pars pedes ire parat campis: pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.

Valerius Flaccus L. I.

versam proles tua pandet Idumen,
(Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & in omni turre furentem.

idem ille grandis ac doctus poëta L. 2. ℣. 509.

Ecce ducem placitae furiis crudescere pugnae
Surgentemque toris stupet; immanemque paratu
Aeacides, pulsentque graves ut terga pharetrae.

L. 3. ℣. 86.

non segnius ille
Occupat arva furens; sequitur vis omnis Achivûm.

57. VINCIT ROMA FIDE PHOEBI] transitio admodum artificiosa. de praelio nihil: statim ad victoriam. duxit autem hunc colorem a summo magistro L. 4. Aen.

Dixerat. atque illam media inter talia ferro
Conlapsam aspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus.

& observarunt istic artificium Servius ac Donatus. recte vero noster victoriam adscribit numini ita pollicito, atque ab Augusti partibus stanti tamquam a caussa meliore. Cicero Catilin. 2. C. 11. *in hujusmodi certamine ac praelio, nonne etiam si hominum studia deficiant, Dii ipsi immortales cogent ab his praeclarissimis virtutibus tot & tanta vitia superari?*

59. AT PATER IDALIO MIRATUS CAESAR AB ASTRO] Virgilius Ecl. 9.

Ecce Dionei processit Caesaris astrum.

ipsius Augusti verba super hoc negotio Plinius nobis servavit L. 2. C. 25. *iis ipsis ludorum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies in regione coeli, quae sub septentrionibus est, conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus e terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Caesaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est.* quae secutus Suetonius Jul. C. 88. *in Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed & persuasione vulgi. siquidem ludis, quos primo ei consecratos heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam esse Caesaris in coelum recepti, & hac de caussa simulacro ejus in vertice additur stella.* paria Servius habet ad L. 8. Aen. ℣. 681. ubi pro *per triduum* emendari debet *per septem dies*; ut ex Plinio jam vidimus, ac Suetonio. Baebii Macri locum valde insignem videre debes apud eumdem doctissimum grammaticum ad Eclog. 9. ℣. 47. ubi similiter de aurea stella super caput Julii posita. talis annulus apud Gorlaeum conspicitur, Dactylioth. n. 3. ibidem quoque exhibetur, in gemma cyanea, columna cum insidente aquila & duabus hinc inde stellis, adscripto JULIUS CAESAR. hanc occiso Caesari plebs Romana posuerat, commemorante Suetonio C. 85. *solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque,* PARENTI PATRIAE. *Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem jurejurando distrahere perseveravit.* ea columna est n. 135. tertius annulus, qui est apud eumdem Gorlaeum n. 157, aquilam habet fulmen pedibus tenentem, cum stella ante rostrum, & a cervice JULIUS. in nummis etiam frequens est Caesaris caput cum adjuncta stella.

60. ET NOSTRI SANGUINIS ISTA FIDES] fortius eriges sententiam, si legeris, quo modo sane legendum arbitror, & in Pall. invenisse testatur Gebhardus,

en, nostri sanguinis ista fides.

elegantem hanc locutionem vidit & secutus est nobilis poëta Valerius Flaccus L. 1. Argonaut. ℣. 383.

Prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
  Plauserunt circa libera signa Deae.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
  Hoc unum jusso non moritura die.
Dii melius! quantus mulier foret una triumphus,
  Ductus erat per quas ante Jugurtha vias.
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod ejus
  Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
  Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
  Blanditaeque fluant per mea colla rosae.
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
  Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poëtis.
  Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros:
  Cepheam hic Meroën fuscaque regna canat.
Hic referat sero confessum foedere Parthum:
  Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
  Differat in pueros ista tropaea suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas:
  Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
  Injiciat radios in mea vina dies.

Hic vates, Phoebique fides non vana parentis
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
Cassis, & in summo laurus Peneïa cono.

65. DII MELIUS] formula deprecandi atque averruncandi res malas. noster hic in voto usurpat. quod notandum: neque memini alibi mihi lectum.

69. CITHARAM JAM POSCIT APOLLO VICTOR] expressit Seneca Agamemn. ℣. 322.

Arcus victor pace relata
Phoebe relaxa;
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; resonetque manu
Pulsa citata vocale chelys.

71. SUBEANT] forte *subeam*. v. Ovid. IV. Fast. 353.

80. REDDAT SIGNA REMI] Parthi signa reddiderunt A. V. 733. hinc exstimare licet de tempore, quo scripta fuit haec elegia. v. Florus 4, 12, 63. Horatius I. Epist. 18. ℣. 56.

VII.

SUnt aliquid manes: letum non omnia finit:
Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremae nuper humata viae:

Quum

1. SUNT ALIQUID MANES] noster hic multa de Homero mutuatus est, L. 23. Iliad. prope ab initio, ubi Patrocli anima de nocte apparet Achilli dormienti. singula conferre, non otiosae voluptatis fuerit legenti, & diligentius aestimanti. utrumque secutus est, sed generose ac suo more, nobilissimus & vir & poëta Balthasar Castilionus in prosopopoeia Ludovici Pici Mirandulani, digna auctore elegia.

2. LUCIDAQUE EVICTOS EFFUGIT UMBRA ROGOS] libri omnes, cum editionibus melioribus habent *lurida:* aptum & proprium epithetum umbrarum, a pallore cadaverum. Festus: *Luridi, supra modum pallidi.* vim vocis pulcre exprimit Lucretius L. 4.

Lurida praeterea fiunt quaecumque tuentur
Arquati: quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt simulacris obvia rerum;
Multaque sunt oculis in eorum denique mista,
Quae contage sua palloribus omnia pingunt.

Apulejus L. 1. Metam. *Ecce Socratem contubernalem conspicio. humi sedebat, scissili palliastro semiamictus, paene alius lurore, ac misera macie deformatus.* ab eo pallore ac macie larvarum quaesivit jocum vetus poëta in Priapeis:

Uvis aridior puella passis
Ad me nocte solet venire, & adfert
Pallorem maciemque laruàlem.

nihil autem huc facere potest illud Statii, Lucanum natali suo evocantis, L. 2. Silv. 7.

Adsis lucidus, & vocante Polla
Unum quaeso diem Deos silentum
Exores.

quare non est inde defendendus vulgatae lectionis error, quamvis antiquus, quippe qui Venetam anni 1475, editionem jam infederat. auctor Herculis in Oeta ℣. 1967.

Manes semel
Umbrasque vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis evictus tulit.

evicti rogi plane victi, exstincti, mortui. Virgilius L. 2. Aen.

Volneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit.

Valerius Flaccus L. 2.

Ilicet arrectae mentes, evictaque matrum
Corda sacer Veneris gemitus rapit.

4. MARMOR AD EXTREMAE NUPER HUMATA VIAE] istud *marmor* est ab adolescente Lipsio, & ab Aurato, contra omnes libros, nam ii *murmur* habent. sepulta fuit Cynthia via Tiburtina, quod in fine elegiae habebimus, ad ripam fluminis Anienis murmurantis & cum fragore labentis. inscriptio vetus in ponte Salario super Anienem:

CALCAMUS. RAPIDAS. SUBIECTI. GURGITIS. UNDAS
ET. LICET. IRATAE. CERNERE. MURMUR. AQUAE

decore & venuste ea vox aquis datur. noster elegia superiore:

Qua sinus Ioniae murmura condit aquae.

Virgilius L. 10. Aen.

laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristim desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.

Papinius L. 2. Silv. 7.

Sic ripis ego murmurantis Hebri,
Non mutum caput Orpheos sequebar.

pulcre Hier. Fracastorius (nam & illum jure optimo veteribus accensemus) Syphil. L. 1.

ereptum Musarum e dulcibus ulnis
Te miserum ante diem crudeli funere, MARCE

Quum mihi somnus ab exsequiis penderet amaris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitam digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethaeus triverat ora liquor.
Spirantisque animos, & vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:

Per-

ANTONI, *aetatis primo sub flore cadentem*
Vidimus extrema positum Benacide ripa,
Quam media inter saxa sonans Sacra abluit unda.

Passeratius e vetere libro profert, *Margine in extr. n. h. v.*

5. QUUM MIHI AB EXSEQUIIS SOMNUS PENDERET AMARIS] *amoris* habent libri. quod exponunt, quum mihi a funere Cynthiae meae, quae meus erat amor, dubius foret & incertus somnus. primus Livinejus reduxit lectionem veram, quae est *amaris.* cujus ecce momenta. noster L. 1. Eleg. 1.

In me nostra Venus noctes exercet amaras.

& L. 2. Eleg. 14.

Nec tibi clamatae somnus amarus erit.

tum hujus libri Eleg. 3.

At mihi quum noctes induxit vesper amaras.

Ovidius Epist. Medeae

Non mihi grata quies: noctes vigilantur amarae.

Tibullus L. 2. Eleg. 4.

Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra est.
Omnia nunc tristi tempora felle madent.

& dicitur sane *amarum* bonis scriptoribus, quidquid est adversum animo ac sensibus, obviis passim exemplis. tamen hac fine non stetit corruptio hujus versiculi. alium enim verborum ordinem, numero magis artificioso magisque adeo Propertiano, servant alter Colbertinus & noster secundus:

Cum mihi somnus ab exsequiis penderet amoris.

id quum durum atque insolens caderet ad aures hominum hujus musicae imperitorum, trajectis vocibus has salebras (sic ipsis visum) emollierunt, ignari quantum facinus facerent. tam verum est illud J. C. Scaligeri, Paucis mortalibus datas esse aures poeticas.

7. EOSDEM HABUIT SECUM] in sex libris *Hosdem* reperitur. quae scriptura Lipsio quondam familiaris, & vera ac vetus aestimata. aliis potius placet, esse crasin; qualis illa Virgilii L. 12. Aen.

Quas & Tartaream Nox intempesta Megaeram
Uno eodemque tulit partu.

sic & pater Ennius, apud Ciceronem L. 1. de Offic. C. 12.

Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum est.

v. Merula ad Ennium p. 379.

9. BERYLLON ADEDERAT IGNIS] Passeratii libri *abederat:* Auratus *obederat.* sed nihil mutandum. Virgilius L. 4. Geor.

saepe favos ignotus adedit
Stellio.

& L. 9. Aen.

Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam adfixit lateri: quae plurima vento
Corripuit tabulas, & postibus haesit adesis.

Petronius:

Quod summum formae decus est, cecidere capilli,
Vernantesque comas tristis adedit hiems.

Cicero pro P. Quintio C. 12. *Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia, sic dissolutus fuisset, ut fuit Sext. Naevius?*

12. POLLICIBUS FRAGILES INCREPUERE MANUS] Scaliger dicit, esse gestum componentis se ad dicendum. Potius est, ut dicas esse gestum mulieris iratae: nam id poëta jam insinuaverat,

Spirantisque animos & vocem misit.

i. e. animose atque iracunde locuta est, ut solebat viva ac spirans. solent autem irati manus complodere, articulos confringere

Se-

Perfide, nec cuiquam melior ſperande puellae,
In te jam vires ſomnus habere poteſt?
Jam ne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae,
Et mea nocturnis trita feneſtra dolis?
Per quam demiſſo quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu.
Saepe Venus trivio commiſſa, & pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia noſtra vias.
Nec crepuit fiſſa, me propter, arundine cuſtos:
Laeſit & objectum tegula curta caput.

Foe-

Seneca L. 1. de Ira C. 1. *articulorum ſe ipſos terquentium ſonus, gemitus, mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo praeruptus, & comploſae ſaepius manus, & pulſata humus pedibus.* & L. 3. C. 4. *adjice articulorum crepitum, cum ſe ipſae manus frangunt, & pulſatum ſaepius pectus, anhelitus crebros*, &c. Petronius: *retexit ſuperbum pallio caput, & manibus inter ſe uſque ad articulorum ſtrepitum contritis, Quaenam eſt, inquit, haec audacia? aut ubi & fabulas anteceſſura latrocinia didiciſtis?* quo loco hunc etiam noſtri bene inluſtravit magnum inter prima gentis noſtrae nomina decus Janus Douza L. 1. Praecidan. C. 8.

15. VIGILANTIS TECTA SUBURAE] meliores libri, *vigilacis furta.* optime. *furti* vox, ut in bello, ita quoque in re amoris valde propria eſt & ſignans. *vigilacis* jam erat a Scaligero vindicatum. Columella L. 7. C. 12. *maxime autem debent in cuſtodia vigilaces conſpici, nec erronei, ſed aſſidui, & circumſpecti magis quam temerarii.* Auſonius Ephem.

Jam ſtrepit tectis vigilax hirundo.

peſſime hunc noſtri locum cepit Janus Durantius Caſellius L. 1. Variar. C. 5. ait enim, ea de cauſſa Propertio Suburam dici *vigilacem*, quia ibi occidente ſole rerum furtivarum mercatus inciperet. hoc erat tantumdem, ac ſi diceret, Propertium cum ſua ſibi Cynthia veſpere ſuo vixiſſe.

19. SAEPE VENUS TRIVIO COMMISTA EST PECTORE MISTO] bene Groninganus *commiſſa*, quod & Modio notatum Novantiq. Epiſt. 18. elegans tralatio ab arena ad Veneris bella incruenta. quid ſit *committere* in ludis veterum, pauci hodie ignorant. itaque miror exſtitiſſe quibus hoc legitimum non videbatur. deinde legendum *& pectore mixto Fecerunt tepidas pallia noſtra vias.* quo modo recte emendatum Nic. Heinſio. colorem hinc duxit Papinius L. 5. Theb.

cui connubialia vincla,
Aut thalami ſecretus honos? quod conjuge pectus
Inſepuit?

21. NEC CREPUIT FIXA ME PROPTER ARUNDINE CUSTOS] Regii *fiſſa*, quod & in aliis libris alii invenerunt. admodum mirifice exponunt hunc verſum interpretes. Beroaldus cuſtodem cadaveris intelligit, qui arundine, i. e. fiſtula, inſonare ſoleat, ut ſit excitatior ad vigiliam. Paſſeratius putat janitorem Cynthiae innui, qui debuerit in funere dominae vapulare. Scaliger exponit, Non id eveniſſe, quod alias ſolet, ut janitor ex inſidiis vulneratus ſit a Propertio. ideo legebat *fixa.* Torrentius cepit de ſepulcri cuſtode in funere tenuiore, quum apud lautiores tubae ac cornua uſurparentur, Comment. in Horat. L. 1. Sat. 6. ℣. 44. & ſic ſere Livinejus. Pariſinus Ariſtarchus: *Locum hunc valde quidem obſcurum varie exponitur ab eruditiſſimis interpretibus.* &c. haec enim iſtius eſt Latinitas. Horum nihil verum eſt. ſolus Janus Douza, aeternus Pindi Batavici honos, vidit hic agi de virga oſtiarii, L. 2. Praecid. pro Petron. C 4. quam negat Cynthia Propertium ſuum, prae animi impotentia ac fervore, in cella pendentem arripuiſſe, eaque ipſa inviſi janitoris caput ac lumbos liberaliter dedolaſſe. Seneca lib. de Con-

 ſtant.

Foederis heu taciti, cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit hiantes.
Unum impetrassem te revocante diem.

De-

stant. Sapient. C. 14. *contumeliam vocant ostiarii difficultatem. — — ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod ostiario libere respondit; quod virgam ejus fregit: quod ad dominum accessit, & petiit corium.* vides, non vane hic legi *fissa arundine.* Petronius: *arundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulcavit. ac nisi primo ictu arundo quassata verberantis impetum minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset.* idem mendum e Virgilio eluerunt viri docti, L. 9. Aen.

hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit praecordia ligno.

nam & istic *fixo* legebatur. ad fissam arundinem pulcre jungitur *crepandi* verbum, proprium in verberibus & plagis. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 62. *cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri, inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur; nisi haec, Civis Romanus sum.* Virgilius L. 5. Aen.

pectore vastos
Dant sonitus, erratque auris & tempora circum
Crebra manus: duro crepitant sub volnere malae.

Seneca Epist. 56. *audio crepitum illisae manus humeris; quae prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat.* reddenda vox sua Juvenali, Sat. 14.

qui gaudet acerbo
Plagarum crepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat.

nam vulgo *strepitu* legitur. ipse tamen Ciceronem ante oculos habebat.

22. LAESIT ET OBJECTUM TEGULA CURTA CAPUT] neque vicissim, Properti, tegulas aliquis de tectis nostris in caput tuum devolvit. ita recte Scaliger. unde fit ut mirer potuisse Passeratio praeplacere jejunum commentum Beroaldi, somniantis Cynthiam conqueri sibi defunctae tegulam fractam mutilatamque sub capite fuisse suppositam, quum debuerit suus amator pulvillos molles delicatosque subjicere. id quod in fraudem traxit hominem acutum Philippum Silvium T. E. C. P. cui religio est quidquam adferre, quod non sit ex horum alterutrius sacrario prolatum. de testis & tegulis desuper in homines importunos dejectis capiendus Lucilii locus L. 27. quem Nonius servavit in *deicere:*

Has e fenestris in caput
Deiciam, qui prope ad ostium adspiraverint.

videtur sermo vel janitoris, vel aniculae lenae, scortillum custodientis. Juvenalis Sat. 3.

Quod spatium tectis sublimibus! unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa & curta fenestris
Vasa cadunt.

insignis est locus quem ex Conlectaneis Atei Capitonis commemorat Gellius L. 4. C. 14. *A. Hostilius Mancinus aedilis curulis fuit. is Mamiliae meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato ejus noctu lapide ictus esset, vulnusque ex lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos plebei provocavit. apud eos dixit, comissatorem Mancinum ad aedes suas venisse; eum sibi recipere non fuisse in aedes suas; sed quum vi irrumperet, lapidibus depulsum. tribuni decreverunt, aedilem ex eo loco jure dejectum, quo eum venire cum coronario non decuisset.* haec, opinor, melius faciunt ad mentem poetae, quam pulvilli Beroaldini.

25. AT MIHI NON OCULOS QUISQUAM INCLAMAVIT EUNTES] *euntis* habent omnes libri. in multis quoque *inclamavit* reperitur. sed rectius Regii, Groninganus, noster secundus, & primae editiones *inclinavit* habent. non possum non adsentiri Viris summis Casp. Barthio & Nic. Heinsio, qui bono cum judicio restituerunt singuli,

At mihi non oculos quisquam inclinavit hiantes.

illum sis consule Animadv. ad Stat. Papin. L. 8. Theb. ℣. 653. hunc vero Not. in Ovid. L. 7. Metam. ℣. 155. quae alia multa huc attulerunt homines docti firmandae lectioni vul-

Denique quis nostro furvum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere; at illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammae non oluere meae?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, & fracto busta piare cado.

Quae

vulgatae, si verum amamus, multum extra oleas spatiantur, nec quidquam ad Bacchum. de *conclamatione* scimus quod satis sit: nunc vero de *inclamatione oculorum* docendi eramus.

26. Unum impetrassem te revocante diem] notus mos revocandi ad vitam moribundos. Lucretius L. 3.

gravi lethargo fertur in altum
Aeternumque soporem, oculis, nutuque cadenti.
Unde neque exaudit voces, neque no⸗ re voltus
Illorum potis est, ad vitam qui revocantes
Circumstant, lacrimis rorantes ora genasque.

Quintilianus Declam. 8. *dum frigentia membra continuis osculis & spiritu trepidae matris animamus, dum labentes oculi ad nostras exclamationes nostrosque planctus admissa paullatim luce laxantur.* hoc tantum miraculum amori imputare solet noster poëta. supra L. 2. Eleg. 20.

Jam licet & Stygia sedeat sub arundine remex;
Cernat & infernae tristia vela ratis;
Si modo clamantis revocaverit aura puellae;
Concessum nulla lege redibit iter.

27. Curvum te funere vidit] scribe *furvum*, cum Passeratio, & Nic. Heinsio Not. in L. 3. Metam. ℣. 272.

28. Lacrimis incaluisse togam] Antonius Bendinellus reponebat *immaduisse*, quod & Realino suo persuadere potuit. atqui omnes libri constanter habent *incaluisse*; etiam editiones antiquae; quod indicat affectum multo ardentiorem, neque debet mutari. Tibullus L. 2. Eleg.

Et simulacra Deum lacrimas fudisse tepentes.

de lacrimis calidis vide sis Homerum L. 7. Iliad. ℣. 426. L. 18. ℣. 17. 236. & L. 4. Odyss. ℣. 523. L. 19. ℣. 362. L. 24. ℣. 46. Aelianum L. 14. Var. Hist. C. 22. Galli quoque hodie in dolore magno dicunt, *pleurer à chaudes larmes*.

29. Illun] *illuc* Douza Schediasm. succidan. p. 72. non placet.

31. Cur ventos] illustrarunt hunc morem Scaliger ac Passeratius; & ante utrumque Bernardinus Realinus Var. Annot. C. 10. ceterum noster secundus *ventum* habet. quod tamen non debet attendi. dixit autem *ventos*, ut tanto acrius perstringeret sordes amatoris ingrati: neque enim istae preces sine pollicitatione sacrificii. v. Homer. XXIII. Iliad. 193.

33. Nulla mercede hyacinthos Injicere] viles, & nullo pretio, exponit Passeratius, ut Ciceroni *homo nullo numero*. male. grave tibi fuit, inquit Cynthia, hyacinthos meos in rogum meum injicere, ut cremarentur mecum. utpote quorum pretium, id si fecisses, periisset tibi, nullo inde ad te emolumento redituro. hic est verus sensus τοῦ *mercede*. Horatius L. 2. Sat. 2.

videas metato in agello,
Cum pecore, & gnatis, fortem mercede colonum.

L. 1. Epist. 18.

ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

& L. 1. Od. 27.

Cessat voluntas? non alia bibam
Mercede.

Cicero L. 1. famil. epist. 9. *Te autem etsi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo eam fidem cognosse hominum, non ita magna mercede,*

quam

Quae modo per viles inſpecta eſt publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade ſignat humum.
Et graviora rependit iniquis penſa quaſillis,
Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.
Noſtraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula ſentit anus.
Caeditur & Lalage tortis ſuſpenſa capillis,
Per nomen quoniam eſt auſa rogare meum.
Lygdamus uratur. candeſcat lamina vernae.
(Senſi ego, quum inſidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat verſuta ſalivas.
Ducet damnatas ignea teſta manus.
Te patiente meae conflavit imaginis aurum.
Ardeat e noſtro dotem habitura rogo.
Non tamen inſector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.

Juro

quam ego maximo dolore cognoram. Phaedrus L. 4. Carm. 1. *Hec ne locutus ſine mercede exiſtimer.* Salluſtius, ſive Marius, Jugurth. C. 85. *Quae ante veſtra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deſeram, non eſt conſilium, Quirites.* Lucanus L. 6. ubi Erichtho ſaga umbram ſuſcitat militis interfecti:

dic, inquit Theſſala, magna
Quod jubee, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi praeſtabimus aevo
Artibus Aemoniis: tali tua membra ſepulcro,
Talibus exuram Stygie cum carmine ſilvis,
Ut nullos cantata mages exaudiat umbra.

haec erat merces miſero iterum reviviſcendi.

39. TULIT AD MONUMENTA COROLLAS] *coronas* habent omnes libri, cum editionibus primis. lapis antiquus apud Janum Jacobum Boiſſardum:

HOC. SOLATIVM. MECVM. ERIT. CIRCA. ARAM. LIB
ERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM
ET. QVIBVS. PERMISERINT. HAC. LEGE. VT
QVOTIENS. QVIS. EORUM. SVIS. CORONAS. PONENT
ARAM. NOSTRAM. CORONENT

iſtud *coronare* in eodem negotio legitur apud Gruterum DLX. 5. & MLXXXI. 1. τὸ *corollas* primum comparuit in exemplaribus Aldinis. quod tamen ipſum non eſt malum. & habuit fortaſſe ille idoneos libros, quos auctores ſequeretur. ſed nos, quamvis in re puſilla, veterem lectionem maluimus revocare.

40. CODICIS IMMUNDI VINCULA] expoſuit primus Janus Parrhaſius Epiſt. 22. cui adjunges non inutiliter doctiſſimum Turnebum L. 23. Adverſ. C. 21.

44. PALLIDA VINA] de vino inferio intelligit Scaliger. rectius opinor de veneno Cynthiae dato Paſſeratius; & Martinus de Roa L. 6. Singular. C. 8.

49. NON TAMEN INSECTOR] validi ſignificatus verbum. Cicero pro Fontejo C. 1. *inſecter ultro, atque inſto accuſatori, judices: inſecter, inquam, ac flagite teſtes.*

51. FATORUM NULLI REVOCABILE CARMEN] ita Groninganus: alii ſex, cum tribus Gebhardianis, *revolubile carmen.* quod & primae editiones agnoſcunt. Paſſeratii vetus codex pro *carmen* habebat *ſtamen.* Nicolaus quoque Heinſius corrigebat *revolubile ſtamen,* Not. ad L. 2. Metam. ℣. 654. cujus rationes, bonas ſane ac rectas, iſtic videre debes. Tibullus L. 1. Eleg. 8.

Hunc

Juro ego fatorum nulli revolubile ſtamen,
Tergeminumque canem: ſic mihi molle ſonet:

Hunc cecinere diem Parcae fatalia mentis
Stamina, non ulli diſſoluenda Deo.
Papinius L. 6. Theb.
ſolatur Adraſtus
Alloquiis genitorem ultro: nunc fata recenſens,
Reſque hominum duras, & inexorabile penſum.
& L. 7.
Vincimur. immites ſcis nulla revolvere Parcas
Stamina.
& L. 9.
evaſurumque relicto
Amne Linon, ni fata vetent, & ſtamine primo
Ablatum tellure mori.
Joſephus Iſcanus L. 6. ỳ. 661.
Venerat extremi revoluto ſtamine penſi
Fatorum promiſſa dies.
Apulejus L. 11. Metam. *nec dies, nec quies ulla; ac ne momentum quidem tenue, tuis tranſcurrit beneficiis otioſum; quin mari terraque protegas homines, &, depulſis vitae procellis ſalutarem porrigas dexteram, qua Fatorum etiam inextricabiliter contorta retractas licia.* in Senecae Hercule furente, ỳ. 559. ubi nunc legitur,
Evincas utinam jura ferae Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles!
poteſt ut olim fuerit *colos non revolubiles.* tamen, quia de eo nihil monuerunt, quibus uſura fuit codicis Florentini, ego quoque nihil temere adſeverabo.

52. Tergeminusque canis] dixerat verſu ſuperiore *Juro ego*, &c. ideo amplector correctionem Nic. Heinſii, legentis *Tergeminumque canem.*

52. Sic mihi molle sonet] immanem illum orci janitorem ſupra modum horrebant veteres illi, qui tamen remittere aliquid nonnumquam de ſuo furore, & gratiam facere credebatur Manibus piorum. Seneca Herc. fur. ỳ. 793. ubi pugna Alcidae cum Cerbero:
ecce, latratu gravi
Loca muta terret: ſibilat totos minax
Serpens per armos: vocis horrendae fragor
Per ora miſſus terna felices quoque
Exterret umbras.

videlicet ut in re inſolita. Statius L. 2. Silv. 1.
ades huc emiſſus ab atro
Limine, cui ſoli cuncta impetrare facultas
Glaucia: nam inſontes animas nec portitor arcet,
Nec trinae canis ille ferae.
& L. 5. Silv. 1.
Nempe times, ne Cerbereos Priſcilla tremiſcat
Latratus? tacet ille piis. ne tardior adſit
Navita, proturbetque vadis? vehit ille merentes
Protinus, & manes placidos locat hoſpite cymba.
tum Silv. 3. ejuſdem libri:
At vos umbrarum reges, Ennaeque Juno,
(Si laudanda precor) taedas auferte, comaſque
Eumenidum: nullo ſonet aſper janitor ore.
Martialis L. 5. Epigr. 35.
Pallida ne nigras horreſcat Erotion umbras,
Oraque Tartarei prodigioſa canis.
Apulejus L. 6. Metam. *Canis praegrandis, trijugo & ſatis amplo capite praeditus, immanis & formidabilis, tonantibus oblatrans faucibus, mortuos, quibus jam nil mali poteſt facere, fruſtra territando, ante ipſum limen & atra atria Proſerpinae ſuperexcubans, ſervat vacuam Ditis domum. Hunc offrenatum unius offulae praeda facile praeteribis; ad ipſamque protinus Proſerpinam introibis.* accedat priſcis illis nulla meritorum parte minor M. Ant. Flaminius, tenerrimi oris poëta, Carm. L. 4.
Cum miſera ante diem, fida comitata capella,
Iret ad infernas candida Hyella domos;
Ille malus ſaevis redimitus colla colubris
Cerberus, inviſas qui cubat ante fores,
Non pavidam horribili tremefecit voce puellam,
Nec rabidis illam dentibus appetiit:
Sed tremulo blandae gannitu vocis adulans,
Et lingua lambens crura pedeſque fera,
Aetherias voluiſſet eam remeare ſub auras,
Et tam formoſae virginis ire comes.
Quique tot Heroum magnas latraverat umbras,
Optavit parvi nunc gregis eſſe canis.

Me servasse fidem. si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Una Clytemnestrae stuprum vehit, unaque Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis.

Ecce

53. ME SERVASSE FIDEM] Virgilius L. 2. Aen.

Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem.

& L. 4.

Non servata fides, cineri promissa Sichaeo.

Prudentius, canorus ille Christi olor, Cathem. Hym. 1.

Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas:
Cum mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem.

55. SEDES TURPEM SORTITA PER AMNEM] *quaesita per amnem* nostri libri habent, & Groninganus, cum Borrichiano. quae lectio non est insuper habenda: quum *sedes quaerere* pure dicatur ac Romane. sed & illud *sortita* ferri potest. Virgilius L. 6. Aen.

Nec vero hae sine sorte datae, sine judice, sedes.
Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.

Passeratius *partita* profert, nescio an auctoribus libris. tamen neque hoc abludit a veterum consuetudine loquendi. Livius Aegistho:

nam ut Pergama,
Accensa, & praeda per participes aequiter
Partita est.

si cui τὸ *quaesita* melius placet, is a se habet M. Terent. Varronem L. 5. de L. L. *Adquirere est ab Ad & Quaerere: ipsum Quaerere, ab eo quod, quae res ut recuperaretur, datur opera.* de gemina sede inferorum pulcre Sophocles,

Avarus Orcus semitas binas habet,
Unam bonis, sed alteram partam malis.

56. TURBAQUE DIVERSA REMIGAT OMNIS AQUA] *navigat* est in omnibus membranis. tamen *remigat* habent primae editiones, nondum passae correctorum malas manus. ego sane hoc malim prae illo: nam ipsae animae sedebant ad remos; Charon autem clavum regebat, & velis ministrabat. Virgilius L. 6. Aen.

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba.

tum paullo post:

quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?

eximius lapis in praestantissimo Inscriptionum Gruteri corpore, MCXXIII. 7.

NON. EGO. TARTAREAS. PENETRABO. TRISTIS. AD. VNDAS. NON. ACHERONTEIS. TRANSVEHAR. VMBRA. VADIS
NON. EGO. CAERVLEAM. REMO. SVLCABO. CARINAM. NEC. TE. TERRIBILEM. FRONTE. TIMEBO. CHARON

plura Lucianus in dialogis mortuorum. bene autem noster & proprie *diversa aqua* hanc omnem turbam ferri dixit. M. Porcius Cato apud Sallustium Catilin. C. 52: *Bene & copiose C. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita & morte disseruit, credo falsa ea existumans, quae de inferis memorantur; Diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda, atque formidolosa habere.* cujus loci partem ultimam laudat Nonius in *Habere*.

57. ALTERA CRESSAE] istud *altera* huc irrepsit e disticho sequente. viri docti quum viderent sententiam pravo talo fultam claudicare, supposuerunt pars *atraque*, pars *albaque*; & medicina intempestiva perfecerunt ut ne plaga haberet melius. legendum omnino cum Livinejo *unaque Cressae*. eadem cymba portat Clytemnestram, eademque Pasiphaën vehit. nihil simplicius, nihil verius. neque encliticon *que* frustra additur: nam

sic

Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas.
Qua numerosa fides, quaque aera rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque, & Hypermnestre sine fraude maritae
Narrant historiae pectora nota suae.

Haec

sic ostendit poëta plures alias adulteras eâdem ista via deportari. quem particulae usum bene observavit doctissimus Servius ad L. 8. Aen.

Feceras & viridi foetam Mavortis in antre
Procubuisse lupam.

dicendo, inquit, ET *ostendit multa alia esse depicta.*

59. Pars altera parta phaselo] *vecta* unus Regius; unus Colbertinus; Groninganus; noster secundus. neque aliter editiones sinceriores. invicta est quorumdam hominum in fovendis erroribus pertinacia. sed liceat illis per nos impleri glandibus ad saturitatem.

63. Hypermnestre] nostri, & Groninganus, semper scribunt *Hypermestre*, de cujus scripturae ratione alibi dictum est. *Hypermestre* scribit etiam vetus Horatii interpres Helenius Acro ad L. 3. Od. 11. & Servius ad L. 7. Aen. ỳ. 631. ex Cassio Hemina.

64. Historiae corpora nota suae] haec est lectio Scaligeri, cujus liber *pectora* habebat. sane *pectora* est in Regg. Colbert. Groningano, ac nostris. Livinejus malebat *pignora*, quod & Schotto placuit L. 2. Observ. C. 57. mihi videtur sana esse membranarum scriptura. *pectora historiae suae nota* sunt affectus sui, sui mariti, celebres illi & toto orbe noti. Haec de Lynceo suo narrat, illa de suo Perseo. certe *pectus* ea notione non infrequens est bonis scriptoribus. Virgilius L. 2. Aen.

juvenes fortissima frustra
Pectora.

Martialis L. 9. Epigr. 15.

Hunc, quem coena tibi, quem mensa paravit amicum,
Esse putas fidae pectus amicitiae?

65. Haec sua maternis] ita conjecerant olim Lipsius, & Scaliger, viri incomparabiles, ex vitiosa scriptura *Haec summa aeternis.* eorum divinationem firmat bonus ille codex Groninganus, in quo plane ita perscriptum est. & merito recepit Gebhardus. catenas *maternas* noster vocat, in quas fuerat inclusa filia propter impotentiam linguae maternae, atque ita matris temeritati debitas. quo ferme modo Tullius loquitur, orat. pro domo sua C. 52. *qui aut nihil dixit, aut, si fecit, omnino poenam hanc maternae temeritatis tulit, ut mutam in delicto personam nomenque praeberet.* Caesar Germanicus in Cassiopea:

ipsa horrida vultu,
Sic tendit palmas ceu sit planctura relictam
Andromedam, meritae non justa piacula matris.

imitatus est noster Aurelius suum Ciceronem, Accus. 5. in Verr. C. 42. *veniunt Syracusas parentes propinquique miserorum adolescentium, hoc repentino calamitatis suae commoti nuntio: vinctos adspiciunt catenis liberos suos, cum istius avaritiae poenam collo & cervicibus suis sustinerent.* Hujus naturae epitheta gaudent usu quodam singulari, & sic quasi in utramque partem ponuntur. ita *Sus Theseis* Virgilio in Ciri dicitur sus illa Cromyonia a Theseo occisa:

Praeterit abruptas Scironis protinus arces,
Infestumque Suis dirae Theseidis exit
Spelaeum, multoque cruentas hospite cautes.

sic *Leo Herculeus*, ille apud Nemeam victus ab Hercule, deinde a Junone in coelum relatus, Senecae Thyest, ỳ. 856.

Leo flammiferis aestibus ardens
Iterum e coelo cadet Herculeus.

& *serpentes Herculei* Statio L. 9. Theb. interfecti ab Hercule apud Lernam:

non haec foecunda veneno
Lerna, nec Herculeis haustae serpentibus undae.

quem locum firmando huic nostro Gebhardus adduxit. sic *uxorius imber* eidem poetae,

Haec sua maternis queritur livere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.

Nar-

lacrimae quas marito eliciebat recordatio amissae uxoris, L. 4. Silv. 1.

Nunc etiam ad planctus refugit. jam plana cicatrix,
Dum canimus, gravibusque oculis uxorius instat
Imber. habentne pios etiamnum haec lumina fletus?

Crimen Lampsacenum, malum facinus in oppido Lampsaci a C. Verre perpetratum. Cicero Accus. 1. in Verr. C. 34. *magnum hoc Lampsacenum crimen est libidinis atque improbissimae cupiditatis.* ibidem *periculum Lampsacenum*, quo Verrem perterrefaciebant cives Lampsaceni, C. 36. *Excipitur ab omnibus ejusmodi clamore, ut ei Lampsaceni periculi similitudo versaretur ante oculos. Castricianum vulnus*, dolor ex pecunia Castricio diu debita ac tandem persoluta ab invitis Trallianis. Cicero pro L. Flacco C. 23. *Quo cum venisset Laelius ad iratos, & illud Castricianum vulnus dicendo refricuisset; exsiluerunt principes, neque in illa concione adfuerunt, neque ipsius decreti ac testimonii auctores esse voluerunt. Nostrum vulnus*, quod a nobis inlatum est. Virgilius L. 12. Aen.

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de volnere sanguis.

nostrum crimen, id cujus nos alterum incusamus. Cicero Accus. 1. in Verr. C. 5. *quaerat non solum, quemadmodum nostro crimini, verum etiam quo pacto suae confessioni possit mederi.* ibidem C. 11. *itaque non modo vos, quibus est judicandum, nostra crimina tenetis: sed etiam populus Romanus totam accusationem causamque cognovit.* sic & *meum crimen*, cujus ego adversarium insimulo. Cicero Accus. 5. C. 59. *meum enim crimen avaritiae te nimiae coarguit: tua defensio furoris cujusdam, & immanitatis, & inauditae crudelitatis, & paene novae proscriptionis. Crimen Asinianum*, caedes Asinii, suasu ac consilio Oppianici ab Avilio perpetrata. Cicero Orat. pro Cluentio C. 13. *Ac tum in Oppianici causa crimen hoc Asinianum cum testibus multis, tum verò indicio Avilii probatur. crimen Falcidianum*, quo Falcidius onerabat L. Flaccum praetorem. Cicero pro L. Flacco C. 36. *At Falcidianum crimen est ingens. talenta quinquaginta se Flacco dicit dedisse. Audiamus hominem. Meum pretium*, aestimatio a me facta. Terentius Hecyr. prologo secundo:

Ut libeat scribere aliis, mihique ut discere
Novas expediat posthac, pretio emtas meo.

nimirum emerant aediles, quanti L. Ambivius aestimaverat. pari ratione L. Attio in Trachiniis Deïanira dicitur *Oenei partu edita*, quam pepererat Oenei uxor Althea:

Nec mihi Junonis terror implacabilis,
Nec tantum invexit tristis Eurystheus mali,
Quantum una vecors Oenei partu edita.

videndus Servius in L. 4. Geor. ℣. 238. *Vestrum vulnus*, id quod vos inponitis. Cicero pro Coelio C. 32. *Nolite, judices, hunc jam natura ipsa occidentem velle maturius exstinguere vulnere vestro, quam suo fato. Nati vulnera*, quae filius matri inflixit. Virgilius L. 6. Aen. *His Phaedram Procrimque locis, moestamque Eryphylem Crudelis nati monstrantem volnera cernit. Canthi vulnus*, id quod Canthus fecit. Valerius Flaccus III. 192. *Transfigit & Canthi pallentem vulnere Cydrum. germani vulnus*, a fratre germano acceptum. idem poëta VI. 75. *Movit & Hylaea supplex cum gente Sydonen Inpia germani praetentans vulnera Perses. Clodianum crimen*, caedes P. Clodii a Milone facta, Cicero pro Milon. C. 25. 27. idem pro Ligar. C. 10. *Nunc quaero, utrum vestras injurias, an reipublicae persequamini.* injurias quas accepistis, non quas fecistis. *Crimina Antonii*, criminationes quas Antonius famae Ciceronis impegerat. Philipp. 2. C. 17. *Jam enim, quoniam criminibus ejus satis respondi, de ipso emendatore & correctore nostro quaedam dicenda sunt.* fateor esse haec pusilla & minuta; quae tamen non animadversa magnos quoque viros duxerunt in errorem. Ciceronis locus est Accus. 1. in Verr. C. 61. *Nam de subsortitione illa Juniana judicum nihil dico.* ibi Asconius dicit, praetorem urbanum C. Verrem, rejectione utrimque facta, subsortitum esse in eorum locum alios, ut mos erat. Tamen Ciceronis mens erat, C. Junium quaesitorem

in.

Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores:
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitae solamur amores.
Celo ego perfidiae crimina multa tuae.

Sed

in judicio, quo Cluentius accusabat Oppianicum, fuisse condemnatum eo nomine, quod ejus subsortitionem non habebat Verres in suo codice, quem falsum proferebat. Id clarum est ex Orat. pro Cluentio C. 33. *Multam petivit. Qua lege? quod in legem non jurasset: quae res nemini umquam fraudi fuit: & quod C. Verres, praetor urbanus, homo sanctus & diligens, subsortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur.* & C. 35. *Ab illo enim, sive quod in legem non jurasset, sive quod ex lege subsortitus judicem non esset, multa petita esse dicitur.* Est igitur *subsortitio Juniana*, ea quam fecit vel facere debuit C. Junius in judicio Oppianici, non autem C. Verres in quaestione Juniana. atque hoc monere non neglexit vir perspicacissimus Paullus Manutius.

67. MAGNUM AUSAS ESSE SORORES] vulgo traditur solam ex istis quinquaginta sororibus Hypermnestram, servasse maritum suum Lynceum. Verum Eustathius in Comment. ad Dionysii Perieg. ℣. 805. hujus gloriae consortem facit Bebrycam, alteram sororem, a cujus nomine Bebrycia terra dicta est. tamen una Hypermnestre famam accepit tam nobilis facti, & quidem magna mercede, pro numine posteris culta una cum Lynceo marito. Hyginus Fab. 68. *impetratas sorores patrueles acceperunt uxores, quae patris jussu viros suos interfecerunt. Sola Hypermnestra Lynceum servavit. ob id ceterae dicuntur apud inferos in dolium pertusum aquam ingerere. Hypermnestrae & Lynceo fanum factum est.* Statuarum Hypermnestrae & Lyncei erectarum meminit in Phocicis Pausanias.

68. IN SCELUS HOC ANIMUM NON VALUISSE SUUM] non fuisse parem facinori tam nefario. Papinius L. 5. Theb.

Quatuor hos una, decus & solatia patris,
Transadigam ferro, saniemque & vulnera fratrum
Miscebo, patremque super spirantibus addam.
Ecqua tot in caedes animum promittit?

69. VITAE SANAMUS AMORES] hoc sane falsum est, secundum theologiam poëticam. neque enim amoris curae sanantur ab ipsa morte, quae tamen medelam adferre dicitur aliis omnibus aegrimoniis. Virgilius L. 6. Aen.

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi, sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silva tegit. Curae non ipsa in morte relinquont.

noli dubitare quin legendum sit *solamur*, verbo poëtis in hac re proprio ac solenni, quodque se Passeratius in quibusdam libris reperisse testatur. nam Gebhardi *satiamus* alienum est a Cynthiae mente. Virgilius Ecl. 6.

Et fortunatam, si numquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore juvenci.

L. 1. Geor.

Interea longum cantu solata laborem
Arguto conjunx percurrit pectine telas.

& L. 4. Georg.

Ipse cava solans aegrum testudine amorem,
Te, dulcis conjux, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.

& L. 10. Aen.

Populeas inter frondis umbramque sororum
Dum canit, & moestum Musa solatur amorem.

Ovidius L. 9. Metam. de Byblide:

Saepe etiam Nymphae teneris Lelegëides ulnis,
Tollere conantur: saepe, ut moderetur amori,
Praecipiunt; surdaeque adhibent solatia menti.

Papinius L. 5. Theb.

sub nocte dieque
Assiduis aegrae in lacrimis solantia miscent
Colloquia.

& deinde:

Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet.

Talia Lernaeis iterat dum regibus exsul
Lemnias, & longa solatur damna querela.
& L. 1. Achill.
attonitam vario oblectamine mulcens
Elicit extremo chelyn, & solantia curas
Fila movet.
tum hos duces secutus suavissimus Lotichius L. 3. Eleg. 8.
Interea veteres cantu solatur amores
Candidus arguto cum Corydone Mycon.
& M. Hieron. Vida Eclog. 3.
Conjugis amissi funus pulcerrima Nice
Flebat, & in solis errabat montibus aegra,
Atque homines fugiens moesto solatia amori
Nulla dabat, luctu sed cuncta implebat amaro
Flens noctem, flens lucem.
quid, quod & ipse Tullius ita loquitur interrogat. in Vatin. C. 11. *Ac nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris & fratris sui, fratrisque filiam, non in familia, sed in carcere collocatam audire maluit, quam videre.* & Philipp. 14. C. 13. *Sed quoniam, P. C. gloriae munus optimis & fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidem consolatio.* tamen vulgata defendi posse videtur ipso nostro auctore L. 1. Eleg. 10.
Et possum alterius curas sanare recentes.
Et Tibullo L. 2. Eleg. 3.
Nec potuit curas sanare salubribus herbis.
quamquam hos ego locos de nascente primulum amore capiendos puto: quem haud difficulter opprimi, atque adeo sanari, ostendit ejus artis consultissimus Naso. & profecto, ut sapientissime monuit M. Cicero, Philipp. 5. C. 11. *omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robustius.* ceterum de Manibus longe alia est ratio. neque solum in negotio amoris, sed & in meditatione rerum bellicarum suae semper manent curae heroibus atque heroisin defunctis. Virgilius L. 6. Aen.
Arma procul, currusque virûm miratur inanis.
Stant terra defixae hastae, passimque soluti
Per campum pascuntur equi. quae gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

72. SI TE NON TOTUM CHLORIDOS HERBA TENET] Si te non omnino dementant pellicis meae veneficia. pariter L. 3. Eleg. 4.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.
& L. 1. Eleg. 12.
an me Deus obruit? an quae
Lecta Prometheis dividit herba jugis?
Thom. Demsterus, rem magnam facturus, emendare sibi visus est hunc locum, dum substituit *Colchidos herba*, & ad Medeam refert, incantatricem, ac veneficam. Verum enim vero si est laus aliqua exspectanda ab inepta immutatione vocis, & ab interpretatione multo etiam ineptiore, ea profecto debetur primo auctori. accipe igitur quid hic dixerit Beroaldus: *petes legere Colchidos, propter Medeam, a qua herbae Medeides dicuntur.* Sed & is ipse aliena aravit vitula: nam Volscus jam ante eum scripserat: *Chloridos*] *emenda Colchidos. Medeam intelligit, quam veneficii rationem tenuisse diximus.* potuit virum minime malum decepisse Pedonis Albinovani recens fortasse lectio, qui, ubi meminisset recocti a Medea Aesonis, exclamat:
His te, Maecenas, juvenescere posse decebat.
Haec utinam nobis Colchidos herba foret!
emendasset itaque rectius Demsterus *Doridos*, quod in nostro primo legitur, & in Groningano. *Doridis* nomen ancillulis dabatur, & meretriculis. Petronius: *Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor exstinxerat. itaque tunc primum Dorida vetus amator contemsi.* Juvenalis Sat. 3.
an melior, cum Thaida sustinet, aut cum
Uxorem comoedus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo?
vetus marmor apud Boissardum:
AELIAE. DIVAE. AUG. LIB. DORIDI. ET ATIMETO
FECIT. MEROPE

alind

Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
  Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Delitiaeque meae Latris, cui nomen ab usu,
  Ne speculum dominae porrigat illa novae.
Et quoscumque meo fecisti nomine versus,
  Ure mihi. laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo
  Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
  Et numquam Herculeo numine pallet ebur,

Hoc

aliud apud Gruterum: JULIAE. DORIDI. SEX. RESTIANUS. CLU. JUSTUS. CONJUGI. CARISSIMAE.

74. PATUIT] tralatio a locis amicis, ad quae accessus est nobis & facilis semper & tutus. Cicero Accus. 5. in Verr. C. 65. *jam omnes provincias, jam omnia regna, jam omnes liberas civitates, jam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione praecluseris.* L. 13. ad famil. Epist. 29. *in omni genere & honorum & laborum meorum, & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, etiam res familiaris C. Capitonis praesto fuit, & patuit & temporibus & fortunae meae.* Philipp. 13. C. 15. *Non igitur sentis, huic caussae orbem terrae patere: te, extra munitiones tuas vestigium ubi imprimas non habere?* Ovidius L. 11. Metam. ℣. 282.

hunc contra placido Trachinius ore
Talibus alloquitur: Mediae quoque commoda plebi
Nostra patent, Peleu; nec inhospita regna tenemus.

Cicero II. de Offic. 26. *Deinde augeatur* [res familiaris] *ratione, diligentia, parsimonia: nec libidini potius luxuriaeque, quam liberalitati & beneficentiae pateat.* minus recte exposuerat Passeratius: minus etiam pudice.

75. DELICIAEQUE MEAE LATRIS] crebrum hoc apud veteres. Lapis Romanus in magno corpore Gruteri, DCLXIII. 5.

V. SALVIDIENA. Q. L. HILARA. SIBI. ET. SUAE
LIBERTAE. SALVIDIENAE. FAUSTILLAE
DELICIAE. SUAE. ERUDITAE. OMNIBUS
ARTIBUS. RELIQUISTI. MAMMAM. TUAM
GEMENTEM. PLANGENTEM. PLORANTEM

alter itidem Romae, DCLXI. 13.

POSTUMIA. A. Ɔ. L
SECUNDA
V. A. VIII
ANIMA DULCISSIMA
HIC. SITA. EST
FECIT
M. SEPTIMIUS. FAUSTUS
ET. POSTUMIA. HILARA
DELICIO. SUO
DIGNISSIMO

Lapis Romanus apud Montfaucon T. 1. Diar. Ital. p. 110.

D. M.
ARRECINAE
GNOMES
ARRECINA
TERTULIA f. TERTULLA
DELICIO SUO
FECIT.

sed & plura passim talia reperire est, etiam extra inscriptiones.

75. CUI NOMEN AB USU EST] deleatur *est* istud inficetum, saepe intrusum a librariis ubi minime oportebat.

79. PELLE HEDERAM TUMULO] Passeratius malebat *Velle*.

81. RAMOSIS ANIO QUA POMIFER INCUBAT AR-

Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra.
Accessit ripae laus, Aniene, tuae.

Nec

ARVIS] versus sonorus & magnificus, quique rem ipsam pulcre praepingit; sed nonnihil corruptus. pro *Ramosis* scribi omnino debet *Pomosis*. Junius Columella ejus mihi correctionis fundus est, L. 10.

Et Turni lacus, & pomosi Tiburis arva.

Tibullus L. 1. Eleg. 1.

Pomosisque ruber custos ponatur in hortis.

Pedo Albinovanus in obitum Maecenatis, sive is poëta alius fuit a Pedone:

Maluit umbrosam quercum, Nymphasque canentes,
Paucaque pomosi jugera certa soli.

ramosa arva quis veterum dixerit, quaero qui me doceat. quamquam Persii istud non ignoro,

Diducit trepidas ramosa in compita mentes.

sed & res ibi alia est, & alia metaphorae forma. quae nihil huc facit. deinde pro *pomifer* legendum opinor *spumifer*, ita volente ipsius amnis natura, per saxa & praecipitia voluti. Horatius L. 1. Od. 7.

Et praeceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Acro: *praeceps*] *per devexa cadens, & rapidus*

Statius L. 1. Silv. 3.

Ipse Anien (miranda fides) infraque superque
Saxeus hic tumidam rabiem spumosaque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies, & aventes carmina somnos.

Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 6.

Nec te praetereo, qui per cava saxa volutans
Tiburis Argei spumifer arva rigas.

quamquam ibi *pomifer* legunt Passeratius & Nic. Heinsius. quod profecto factum non oportuit. est enim argumentum elegiae, maximos quosque & rapidissimos fluvios succubuisse amori, neque ipsis quidquam profuisse quod vehementes fluerent ac rapaces. in iis numerat poëta Inachum, Alpheum, Asopum, Acheloum, & Nilum: quibus addit comitem Anienem. cujus epitheton *pomifer* (si tamen verum est) isto quidem loco valde est debile, neque multum ad rem facit.

82. ET NUMQUAM HERCULEO NUMINE PALLET EBUR] ubi ebur numquam fit luteo colore, neque flavescit. haec est elegans notio τοῦ *pallet*, super qua videndus Gifanius Ind. Lucret. in *Luridus*. antiqui ebur ostro tinguebant, ne palleret. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 5.

Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Maeonis Assyrium femina tinxit ebur.

Virgilius L. 12. Aen.

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur.

Claudianus L. 1. de raptu Proserpinae:

non sic decus ardet eburnum
Lydia Maeonio quod femina tinxerit ostro.

Tibure vero ebur ajunt semper candidum manere, neque umquam pallescere, beneficio aëris, & erumpentis aurae ex calidis & sulphureis Albulis, ipsoque Aniene. Silius L. 12.

Quale micat, semperque novum est, quod Tiburis aura
Pascit ebur.

noster numini Herculeo imputare maluit, quia Herculi sacrum Tibur. jocum non inconcinnum hinc quaesivit Martialis L. 4. Epigr. 62.

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

& L. 7. Epigr. 12.

Dum Tiburtinis albescere solibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles. quid Tiburis alti
Aura valet! parvo tempore nigra redit.

86. ANIENE] vide ad Cicer. III. de Offic. 31. extr.

87. NEC TU SPERNE PIIS VENIENTIA SOMNIA PORTIS] recte, & ex disciplina antiquae oneirocritices. neque enim improbis hominibus contingere credebant veritatem somniorum. pulcre Lutatius ad L. 5. Theb. Statii: NEC IMAGO QUIETIS VANA MEAE] *Confirmat audaciam suam Deos adjuvare somni expositione. & est ratio philosophica, cur quae futura sint sanctis mortalibus, praesagiis*

Nec tu ſperne piis venientia ſomnia portis.
Quum pia venerunt ſomnia, pondus habent.
Nocte vagae ferimur. Nox clauſas liberat umbras,
Errat & abjecta Cerberus ipſe ſera.
Luce jubent leges Lethaea ad ſtagna reverti.
Nos vehimur: vectum nauta recenſet onus.
Nunc te poſſideant aliae: mox ſola tenebo.
Mecum eris, & mixtis oſſibus oſſa teram.
Haec poſtquam querula mecum ſub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos.

giis ſomnierum demonſtrentur. Sed de multis paululum dicam. Natura Deorum, ex qua homines mixti ſunt, affectus ſuos ſilere non patitur. & cur per ipſam eſſentiam corporis ſentire permittat, eſt animae divina providentia. quae quamvis caeco carcere & tenebris clauſa tenetur, quid e contra ratio naturae factura ſit ſomniorum vaticinatione denuntiat.

89. Nocte vagae ferimur] omnem hunc locum commode illuſtravit Mart. Antonius Delrius Comment. in Senecae Herc. Fur. ỳ. 123. alioqui mero quoque meridie vagabantur manes; ſed noxii illi & mali. Papinius L. 11. Theb.

Ipſe quoque Ogygios monſtra ad gentilia manes
Tartareus rector porta jubet ire recluſa.
Montibus inſidunt patriis, triſtique corona
Infecere diem, & vinci ſua crimina gaudent.

& L. 4.

ingentes infelix terra tumultus
Lucis adhuc medio, ſelaque in nocte per umbras
Exſpirat, nigri cum vana in praelia ſurgunt
Terrigenae.

priorem locum Neapolitanus iſte expreſſit de Valerio Flacco L. 4. ỳ. 255. ubi certamen Amyci cum Polluce:

incenſa mente feruntur
In medium ſanguis Jovis & Neptunia proles.
Hinc illinc dubiis intenta ſilentia votis.
At pater orantes caeſorum Tartarus umbras
Nube cava tandem ad meritae ſpectacula pugnae
Emittit: ſummi nigreſcunt culmina montis.

niſi quod hi Valeriani ideo emittuntur, ut caedis ſuae ſolatium capiant ex caede Amyci propinqua: alter, more ſuo, atrocitatem quaeſivit ac diritatem majorem.

94. Mixtis ossibus ossa teram] ſummi amoris affectus illa cinerum atque oſſium mixtura. Ovidius L. 3. Art. Amat.

Accipe me, Capaneu, cineres miſcebimus, inquit
Iphias: in medios deſiluitque rogos.

Valerius Flaccus L. 5. ỳ. 60.

Quod tamen externis unum ſolamen in oris
Reſtat, ait, caras humus haec non dividet umbras,
Oſſaque nec tumulo, nec ſepare conteget urna;
Sed ſimul: ut junctis veniſtis in aequora fatis.
Haud mora: relliquias ſecii defletaque; miſcent
Nomina.

Thisbe apud Naſonem L. 4. Metam. ỳ. 151.

Perſequar exſtinctum: letique miſerrima dicar
Cauſſa comeſque tui: quique a me morte revelli
Heu ſola poteras, poteris nec morte revelli
Hoc tamen amborum verbis eſtote rogati,
O multum miſeri meus illiusque parentes,
Ut, quos certus amor, quos hora noviſſima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.

tetigimus ſupra ad L. 2. Eleg. 7. ỳ. 85. plura Kirchmannus dabit L. 3. Funer. C. 14. exſcriptus ab Alardo ad modo producta Valerii Flacci carmina.

95. Sub voce peregit] omnes omnium libri, cum editionibus primis, *ſub lite.* quod verum erat, nec debuit mutari. prima labes ab editione Beroaldina eſt. auctor Culicis, ad Danaidas:

Otia quaerentes frustra sub lite puellae
Ite, quibus taedas accendit tristis Erinnys.
neque frustra hanc litem noster *querulam* vocat. sunt enim & aliae lites amantium, haud sane querulae. supra Eleg. 5.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 8.
Ille viri toto videat vestigia lecto,
Factaque lascivis livida colla notis.
Horatius L. 1. Od. 13.
Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicae mero
Rixae: sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
96. COMPLEXUS] Seneca Troad. ℣. 460. *Fallax per ipsos umbra complexus abit.* v. Maro VI. Aen. 700.

VIII.

DIsce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Quum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,
Hic ubi tam rarae non perit hora morae.

5 Qua

2. QUUM VICINA MEIS AURA CUCURRIT AGRIS] recte Scaliger τὸ *novis* reduxit, quod agnoscunt omnes libri: quamquam nec istud *meis* recens est, quum in primis editionibus legatur. Poeta verò *novos* vocat agros Esquilinos, a Maecenate tum primum ad culturam & habitationem redactos. Horatius L. 1. Sat. 8.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari: quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.
paullo ante *novos hortos* dixerat, quos noster *agros* appellat. istic autem domum suam habebat noster Aurelius, ut videre est L. 3. Eleg. 22. deinde *turba* legi debet, non *aura*, quod in nullo libro reperitur. *vicina turba* recte dicuntur vicini de nocte exciti, & festinanter procurrentes ad aedes pöetae, restincturi, ut quidem putabant, incendium repente coortum. ignis enim Romae quamvis formidatus, tamen valde frequens. testes Martialis, Juvenalis, Tacitus. hinc illa turba & confusio nocturna, uti mox videbimus. pessime Passeratius haec cepit de praediis Propertii Lanuvinis. sed erat aliquid dicendum, ne Scaligero non adversaretur.

3. LANUVIUM] non libet repetere quae super hujus municipii nomine varie agitata sunt inter viros doctos. Tu, si me audis, a Caroli Sigonii sententia non recedes. quem vide sis Scholiis in librum octavum T. Livii; & Claudium Dausquejum ad L. 13. Silii Italici ℣. 359. qui ita rem suam agit, ut non inmerito exscripsisse Sigonium videri possit. sed tutemet arbitraberis. Ant. Mancinellus contendit scribendum esse *Lanivium*, & producit lapidem antiquum, qui sua tempestate in eo ipso oppido visebatur, in quo scriptum erat S. P. Q. LANIVINUS: Commenr. in Horat. L. 3. Od. 27. immemor elementa I & V in lapidibus quasi promiscua haberi, & commutari frequentissime inter semet. etiam apud Gruterum, CCCLXXXI. 1. legirur CUR. RP. LANIVINOR. sed haec non sunt tanti, ut immorari debeamus.

3. VETUS EST TUTELA DRACONIS] res est apud Aelianum L. 11. Hist. Anim. cap. 16. ubi tamen perperam *Lavinium* legitur pro Lanuvio. quod ab aliis pridem est notatum. & Lanuvii quidem erant Junonis Sispitae sacra, non confundenda cum sacris publicis Deum Penatium populi Romani, quae fiebant Lavinii, auctore Asconio Pediano in orationem pro M. Scauro.

4. HIC UBI TARTAREAE] hanc lectionem nobis procudit Beroaldi benignitas, statuentis in eo antro esse descensum ad inferos, ibique nullam cessare horam qua non animae aliquor se penetrarenr ad Tartara. Sed profecto poteramus esse contenti lectione veterum membranarum, *Hic ubi tam rarae.* quam & Veneta editio servavit, & illa quae Venetam anno uno praecesserat. *Hora tam rarae mo-*

Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
  Qua penetral, (virgo, tale iter omne cave.)
Jejuni serpentis honos, quum pabula poscit
  Annua, & ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae:
  Quum tenera anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
  Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum;
  Clamantque agricolae, Fertilis annus erit.
Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis:
  Caussa fuit Juno, sed mage caussa Venus.

Ap-

morae, cujus copia semel dumtaxat fit in anno, *non perit*, avide arripitur a spectatoribus. quid poterat simplicius?

6. TALE ITER OMNE] structura Tulliana. pro Ligar. C. 1. *itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu Vari conquievit.* minus recte Passeratius dictum ait, quo modo infra, *quum bibit, omne decet.*

10. QUUM TENERA ANGUINEO] libri *Quum temere.* melius Scaligeri liber *tenera.* quod tamen Gebhardo non potuit placere, reponenti ex Comelini membranis *tremera*, i. e. tremens. certe in nostro primo legitur *Quum tremere.* inde Gebhardo suppetias ferat, si quis amat reconditarum vocum foetores. mihi certum est, Propertium fuisse unum ex iis, qui scribebant ut intelligerentur. deinde pro *anguineo* in nostris codicibus, inque Groningano est *anguino.* quod verum puto, & video expressum in Veneta, Aldina, Colinaeana. Pacuvius apud Ciceronem L. 2. de Divinat.

Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite brevi, cervice anguina, adspectu truci.

Catullus:

Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons exspirantis praeportat pectoris iras.

Plinius L. 30. C. 3. *Anguinum cor si mordeatur, aut alligetur, efficax habetur.* ---- ---- *Anguinae vernationis membrana, cum oleo taedaeque resina calefacta.* Junius Philargyrius in L. 3. Geor. ℣. 113. *de hoc Erichthonio alibi satis dictum, qui anguinis pedibus fuisse memoratur.* sane ab *anguis* non potest *anguineus* formari, ut *sanguineus* a *sanguis* quamquam ANGUINEA CIRCULATUM VERTUGINE legitur in Gruteri spuriis XXIV. 6. sed, ut dixi, in spuriis. miror, non refugisse vocem improbam summum virum Hieron. Fracastorium L. 2. Syphil.

Adde etiam anguineum cucumin, Nabatheaque thura.

& Carmine 10.

nec cursu impar, nec dente minaci
Segnior, anguineo suffusus terga colore.

melius Balthasar Castilionus, vir & ipse laudatissimus, Carm. 6.

Os informe illis, rictus oculique minaces.
Asperaque anguino cortice membra rigent.

vide sis If. Vossium Observ. ad Catull. p. 215.

14. CLAMANTQUE AGRICOLAE] duriusculum hoc est, nec pro venustate nostri poëtae. Puto, *Clamante agricola.*

16. CAUSSA FUIT JUNO] Junonis Sospitae, sive Sispitae, festo annuo iter suum Cynthia praetexebat: quamvis re ipsa cum isto suo volso nepote, Veneri pervigilium solutura, Lanuvium proficisceretur. Erat huic municipio vetus sacri Junonii communio cum populo Romano. originem tradit Livius L. 8. C. 14. *Lanuvinis civitas data: sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque Sospitae Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset.* id factum est L. Furio Camillo, C. Maenio Coss. Exinde consules

sules

Appia dic, quaeso, quantum te teste triumphum
  Egerit, effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit quum rixa taberna:
  Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
  Ausa per impuros frena movere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
  Atque armillatos colla Molossa canes,

Qui

sules Romani quotannis Junoni Sospitae sacra faciebant reipublicae caussa. Cicero Orat. pro L. Murena C. 41. *date hoc ipsius pudori, date patri mortuo, date generi & familiae, date etiam Lanuvio, municipio honestissimo, quod in hac tota caussa frequens moestumque vidistis. nolite a sacris patriis Junonis Sospitae, cui omnes consules facere necesse est, domesticum & suum consulem potissimum avellere.* itaque discere nobis licet, ex hoc Propertii loco, spectaculum draconis Lanuvini incidisse in festum Sospitae Junonis, cujus ipse in luco stabulabatur, ut tradidit Aelianus. utrumque celebrari solere opinor mense Junio. Sic enim Juno apud Nasonem L. 6. Fastor.

Nec tamen hunc nobis tantummodo praestat honorem
  Roma: suburbani dant mihi munus idem.
Inspice, quos habeas nemoralis Aricia fastos,
  Et populus Laurens, Lanuviumque meum:
Est illic mensis Junonius. inspice Tibur,
  Et Praenestinae moenia sacra Deae:
Junonale leges tempus.

priscam Deam fuisse, & prisco simplicique cultu gavisam, ostendit descriptio simulacri ejus apud Ciceronem L. 1. de Nat. Deor. C. 29. *Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Aegyptiorum bovem, nonne deum videri Aegyptiis? tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu numquam ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum calceolis repandis. At non est talis Argiva, nec Romana Juno. ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanuvinis.*

17. APPIA DIC QUAESO] exprobratio amarulenta ad exaggerandam Cynthiae lasciviam. tale est illud Juvenalis Sat. 6.

Sed jaces in servi complexibus, aut equitis dic,
  Dic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem.

Claudianus L. 1. in Cons. Stilich. quamquam in re minus ludicra:

Vos Haemi gelidae valles, quas saepe cruentis
Stragibus aequavit Stilicho, vos Thracia testor
Flumina, quae largo mutastis sanguine fluctus.
Dicite Bisaltae, vel qui Pangaea juvencis
Scinditis, offenso quantae sub vomere putres
Dissiliant glebis galeae, vel qualia rastris
Ossa peremtorum resonent immania Regum.

Erat autem via Appia valde celebris commercio amorum. hinc ipse ille Appius Caecus invehitur in Clodiam, apud Ciceronem orat. pro Coelio C. 14. *ideóne ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum quotidie foedera ferires? ideo aquam adduxi, ut ea tu inceste uterere? ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebrares?*

23. STRIGA, NAM RAPTO] haec ita nobis concinnavit Scaliger; & ex parte Turnebus; ut sit mimesis ex persona Cynthiae. quod sane omnem orationis seriem interturbat: nam poeta solus loquitur per totam elegiam. id autem statim videbimus, ubi veram prius lectionem eruerimus. libri multum variant. noster primus, *Suriga non tacto:* secundus, *Siriga nam capto:* Groninganus, *Serica nam capto:* Borrichianus, *Siriga non tacto:* unus Regius, unusque Colbertinus, *Striga nam capto;* hic tamen in margine habebat, *Serica non taceo:* tandem alter Regius *Serica nam taceo.* haec est vera lectio; quam a Beroaldo feliciter restitutam (licet ex solo ingenio) pro nugaci commento Scaliger habuit, & sequaces invenit multos. describit Propertius joculare quoddam facinus suum,

Qui dabit immundae venalia fata saginae,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

Quum

suum, quod tamen nequiter & ipsi expetivit, & ambobus simul scortillis. Profecta, inquit, Lanuvium Cynthia ad festum Junonis Argolidis, ipsa per summam lasciviam voluit aurigae munus obire, idque in via Appia, frequentissima illa ac celeberrima, scilicet ne deesset viatoribus benigna seges mordacium jocorum. Deflexit inde ad famosam tabernam, sive ganeum potius, ubi rixa turpi inter prostitutas mulieres omnia personuerunt. Hic ego, quamvis absens, omni contumeliae genere haud perfunctorie proscindebar. Taceo nunc glabrum illum Ganymedem, cujus carpento sericis velis obducto vehebatur; taceo canes illos ingentes, quorum colla per insignem nequitiam suis ipsa armillis Cynthia redimiverat. Haec inquam & talia quum fierent quotidie fere, visum & mihi fuit tandem castra movere, atque in duobus lepidis mercimoniis animum oblectare. &c. Istaec puto sic satis commode cohaerent, clareque evincunt duas quas vulgo faciunt elegias non nisi unam esse. quod & Gronovius monuit in Observationibus. istud *nam taceo* longum figit aculeum in animo auditoris. eadem paralepsi usus est festivissimus Lucilius apud Julium Rufinianum lib. de Schematis Lexeos:

Non tango quod avarus homo est, quodque improbu' mitto.

Cicero Accusat. 1. in Verr. C. 12. *omne illud tempus, quod fuit antequam iste ad magistratus remque publicam accessit, habeat per me solutum ac liberum. sileatur de nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis; lenonum, aleatorum, perductorum nulla mensio fiat: damna, dedecora, quae res ejus, aetas ipsius pertulit, praetereantur: lucretur indicia veteris infamiae, patiatur ejus vita reliqua me hanc tantam jacturam criminum facere.* Accus. 4. C. 17. *Non tibi objicio, quod hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium, Niconis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optime facto spoliasti ac depeculatus es. taceo: non enim putas ille sibi injuriam factam.* interrogat. in Vatin. C. 5. *Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere. licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudo obscuritate & sordibus tuis obtegatur.* insigne hujus schematis exemplum est Orat. pro Lege Manil. C. 20. & pro Cluentio C. 36 ac 66. tu vide eximii viri Ger. Jo. Vossii librum 5. Instit. Orat. C. 6. sect. 6. Praeterieram τὸ *Striga* hoc loco peccare contra leges metricas, quum primam non producat. id verò jam pridem monuit Salmasius Exercitat. Plinian. p. 40. ubi legi jubet, *Syrica nam taceo*, intelligitque carpenta miniata, & Syrico inducta. miror. nam Plinius Syricum habet inter colores ignobiles L. 35. C. 6. *e vilioribus ochra, cerussa usta, sandaracha, sandyx, Syricum, atramentum.* sane carpentum tam frugale non debebat notari tamquam instrumentum diffluentis nequitiae.

24. ARMILLATOS COLLA MOLOSSA CANES] millum hic, sive collare intelligunt, si diis placet. Verùm dicant mihi, estne haec res nova, si canis gestat millum? quaeve hic luxuria est, quaeve nequitia, quam poeta tam acriter insectetur? aut quis *armillam* umquam posuit pro collari canino? Tu ita cape; Cynthiam, detractis millis, canibus istis aptasse demtas e brachiis suis armillas, ludens scilicet & lasciviens. ideo dicit *colla Molossa*, quibus vix est ut conveniant armillae puellares. Eodem ferme animo Herculem cultu suo instruxit Omphale, abjectis leonis exuviis. Ovidius L. 2. Fastor.

tunicarum vincla relaxat,
Ut possit vastas exseruisse manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas.

& quid mirum tantopere, canis armillatus, quum & muraenae gestaverint inaures? Plinius L. 9. C. 55: *in eadem villa,* [Baiana Hortensii oratoris] *Antonia Drusi, muraenae, quam diligebat, inaures addidit: cujus propter famam non nulli Baulos videre cupiverunt.* vidimus & nos aliquando feles damnoso isto stultarum dominarum choragio ridicule exornatas. mecum facere video elegantissim.i ingenii virum Janum Vlitium in notis ad Gratium.

25. IMMUNDAE VENALIA FARTA SAGINAE]

Quum fieret nostro toties injuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinae quaedam est vicina Dianae,
Sobria grata parum: quum bibit, omne decet.

Al-

fata habent omnes libri. atque ita jam olim legerunt Beroaldus, Turnebus, Scaliger, Passeratius; & quis non? tamen in tanta luce caecutire maluit nuperus interpres, *farta* retinens, & exponens, *qui farcimina ac miscellanea ad impuram saginam praebebit.* unde huic misero mens tam laeva? a Marollio suo accepit, qui ita verterat: *il se fera Charcutier, & vendra des saucissons, & des viandes hachées aux vilaines pensées qui ne se veulent remplir que de bons morceaux.* o interpretem laboriosum! tanti erat exscribere Beroaldum, neque tamen intelligere. locum sis vide.

28. MULCTATO VOLUI] in Groningano est *mutato*, quod rectum videtur. Quum mihi Cynthia toties injuriam faceret, volui ipse quoque castra movere, & torum mutare. Cicero Accus. 4. in Verr. C. 19. *Conquiri Diodorum tota provincia jubet. ille ex Sicilia jam castra moverat, & vasa collegerat.* propius autem ad nostri aestiva idem ille Deus Eloquentiae Romanae Accus. 5. C. 37. *Ac primo ad illa aestiva praetoris accedunt, ipsam illam ad partem litoris, ubi iste per eos dies, tabernaculis positis, castra luxuriae collocarat. quem posteaquam inanem locum offenderunt, & praetorem commovisse ex eo loco castra senserunt:* &c. ibid. C. 40. *ubi fides? ubi exsecrationes? ubi dextrae complexusque? ubi illud contubernium muliebris militiae in illo delicatissimo litore?*

30. QUUM BIBIT, OMNE DECET.] M. Ant. Bonciarius, non indignus doctore Mureto discipulus, in epistola ad Jac. Sensium, duram censet hanc locutionem, & inusitatam; ac τὸ *omne*, numero singulari, adjectivum semper esse, numquam substantivum, pronuntiat. Veteribus secus visum fuit. Plautus Epid. Act. 5. Sc. 2.

Apage illum a me, nam ille quidem Vulcani irati est filius:
Quaqua tangit, omne amburit.

Curcul. 2, 2. 7. *meliorem, quam ego sum, suppono tibi. Nam quod scio, omne ex hoc scio.* idem Amphitr. Act. 2. Sc. 1

Ordine omne, uti quidque actum est, dum apud hostes sedimus,
Edissertavit.

Cicero pro Roscio comoedo C. 13. *Quid vero Flavius tibi daturus est, qui Roscio omne, quod debuit, dissolvit?* & Accus. 3. in Verr. C. 10. *Ego tantumdem, quantum ille poposcerit? poscet omne, quantum exaravero. Quid omne? imo plus etiam, inquit, si voles.* ibid. C. 77. *unum, inquam, da mihi ex illis aratoribus, qui tibi vel ad statuam pecuniam contulerunt, qui sibi dicat pro frumento omne esse, quod oportuerit, solutum.* L. 16. ad famil. Epist. 24. *a Flamma si non potes omne, partem aliquam velim extorqueas.* clarius etiam, atque aptius ad verba nostri poetae, L. 1. de Offic. C. 37. *in omnibus igitur his elaborandum est, si in omni, quid deceat, exquirimus.* Terentius Adelph. Act. 2. Sc. 4.

Syr. *reddetur, ne time.*
Sa. *At ut omne reddat.* Syr. *omne reddet, tace modo, ac sequere hac.*

Pedo Albinovanus in obit. Maecenat.

Viscera defecti mutavit in arietis agnum
Aeetis succis omne perita suis.

Seneca Phoeniss. ℣. 227.

Utinam quidem rescindere has quirem vias,
Manibusque adactis omne, qua voces meant;
Aditusque verbis tramite angusto patet,
Eruere possem, gnata.

Ovidius L. 11. Metam. ℣. 287.

nec tempora perde precando:
Quod petis, omne feres.

Horatius L. 1. Sat. 10. ℣. 69.

Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur.

L. 2. Sat. 6. ℣. 30.

inprobus urget
Iratis precibus. tu pulses omne quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras.

ibidem ℣. 109.

nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.

Lu-

Altera Tarpejos eſt inter Teïa lucos,
Candida; ſed potae non ſatis unus erit.
His ego conſtitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in ſecreta lectulus herba.
Quaeris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique aeſtiva ſupellex,
Et Methymnaei Graja ſaliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotaliſtria Philis,
Et facilis ſpargi munda ſine arte roſa.
Nanus & ipſe ſuos breviter concretus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Sed

Lucanus L. 9.

princeps facit omne timendum
Victor, & in nulla non creditur eſſe carina.

Prudentius Pſychomach.

Deſine grande loqui: frangit Deus omne ſuperbum.

neque damnavit imitatione ſua Jacobus Micyllus, vir multorum in literas meritorum:

Nunc pudet eſſe bonos, nunc eſt male vivere virtus,
Nunc quidquid facias turpiter, omne decet.

31. Tarpejos est inter Teïa lucos] inter Capitolium & Campum, apud aſylum ac templum Vejovis. Cicero L. 4. ad Attic. epiſt. 3. *Metellus cum prima luce furtim in Campum itineribus prope deviis currebat: aſſequitur inter lucos hominem Milo; obnuntiat.* vide Alex. Donati Romam L. 2. C. 10.

38. Saliva meri] Plinius XXIII. 1 *Sua cuique vino ſaliva iuuocentiſſima, ſua cuique aetas gratiſſima, hoc eſt, media.*

39. Philis] ita noſter ſecundus, ne apice quidem uno mutato. quod firmat Scaligeri emendationem, atque expoſitionem ſane quam veram.

41. Nanus et ipse suos breviter curvatus in artus] omnes libri, miro conſenſu, *Magnus & ipſe.* ac ſi pumilio iſte per deriſum vocatus fuerit *Magnus*: uti alius quidam *Atlas*, apud Juvenalem Sat. 8.

nanum cujuſdam, Atlanta vocamus:
Aethiopem, Cycnum: parvam extortamque puellam,
Europen.

primus autem Beroaldus bono judicio reſtituit *Nanus.* de quo verbo conſuli debet eruditiſſimus ſcriptor Noctium Atticarum L. 19. C. 13. qui tamen Laberium, eo quod *nanum* in Anna Perenna pro pumilione dixerat, tamquam nove & ex ſordido vulgi uſu loquentem notavit, L. 16. C. 7. nimis opinor rigide atque praefracte. neque enim Laberius minus venuſte ad hominem tranſtulit parva nimium ſtatura, quam ad mulos aut equuleos humiliores Helvius Cinna. magno Scaligero, *curvatus* reponenti pro vulgato *concretus*, non facile adſentior. quamquam locus ei Longini, qui legitur ſectione 43, huc facere mirum in modum videbatur. Meminit quidem iſtic iſtius mangonii Longinus: ſed dubitat valde de rei veritate. ego in octo codicibus *concretus* reperi. quam elegantem lectionem validis rationibus defendit capitalis ille eruditionis antiquae vindex Jo. Fred. Gronovius Obſerv. in Script. Eccleſ. C. 19. Barthio in Animadverſionibus ad Papinium ſcribendum videbatur,

Nanus & inſuetos brevior concretus in artus.

ſed quomodo Romae inſueti breves artus nanorum? quorum brevi poſt totos greges aluerunt Imperatores in oblectationem arenae? erant autem nani, ut hic vides, in deliciis menſarum, & muſica inſtrumenta fere edocti. pulcerrima nani figura eſt apud Boiſſardum, craſſo capite, cruribus diſtortis,

binas

Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
  Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quaerente secundos,
  Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora caeco.
  Lanuvii ad portas heu mihi solus eram:
Quum subito rauci sonuerunt cardine postes,
  Et levia ad primos murmura facta lares.

Nec

binas tibias manibus tenentis, cum hac epigraphe,

Φ K.
ΜΥΡΙΠΝΟΙ. ΝΑΝΩΙ
ΧΟΡΑΥΛΗΙ

his monstris non parum delectabatur infandum monstrum Tiberius Nero. Suetonius C. 61. *Annalibus suis vir consularis inseruit, frequenti quondam convivio, cui & ipse affuerit, interrogatum eum subito & clare a quodam nano adstante mensae inter copreas, cur Paconius, majestatis reus, tam diu viveret.* aliter Augustus, prodente eodem scriptore C. 83. *pumilos, atque distortos, & omnes generis ejusdem, ut ludibria naturae malique ominis, abhorrebat.*

44. DECIDIT INQUE SUOS] nostri libri, & Groninganus, *Recidit.* quod verum est, ac jam olim monitum Georgio Fabricio notis in prologum Hecyrae. Apulejus L. 1. Metam. *Grabatulus alioqui breviculus, & uno pede mutilus ac putris, impetus tanti violentia prosternitur: me quoque evolutum & excussum humi recidens in inversum cooperit ac tegit* corruperunt homines insciti, quos fallebat τὸ *re* in compositis esse anceps. Lucretius L. 5.

Haud igitur cessat gigni de rebus, & in res
Recidere assidue, quoniam fluere omnia constat.

& L. 1.

At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem
Crescere de nihilo.

est apud eumdem locus notabilis, ubi in eodem versu & correptum vides, & productum, L. 3.

Unde homines, dum se falso terrore coacti
Refugisse volunt longe, longeque recesse.

Ovidius L. 10. Metam.

o positi sub terra numina mundi,
In quem recidimus quidquid mortale creamur.

Phaedrus L. 3. Carm. 19.

Noli adfectare, quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

Juvenalis Sat. 12.

tunc adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro summitteret.

plura qui volet, adeat ille Gifanium Indice Lucretiano in *Recidere*; & inprimis Nic. Heinsium Not. in Claudian. Bell. Gildon. ℣. 45. & in Ovid. Epist. Hyperm. ℣. 46. tum doctissimum Pierium Castig. in L. 1. Aen. ℣. 30.

48. LANUVII AD PORTAS] non libet recoquere immemorabiles ac spurcidicas interpretum naenias, quibus haec verba propudiose collutularunt. dicit poëta, puellas omnia fecisse quo languentem in eo cupidinem excitarent: se autem tota cogitatione fuisse defixum in sua Cynthia, Lanuvii tum quidem (ita credebat) agente. similiter Cicero L. 5. ad Attic. epist. 10. *eram autem totus, crede mihi, tecum: & quamquam sine his per me ipse, tamen acrius vestigiis tuis monitus de te cogitabam. quid quaeris? non mehercule alius ullus sermo nisi de te.* verum hunc sensum ante me viderunt Beroaldus, Jos. Scaliger, pater Douza, & J. F. Gronovius L. 3. Obs. C. 17. primus, opinor, cui tam flagitiose nugari libuit, Ludovicus fuit Caelius L. 4. Ant. Lect. C. 7. quem secutus est Andreas Tiraquellus in quartam leg. connub. gloss. 1. part. 4. reprehenso simul Beroaldo: tum Simeo Bosius Animadv. in Cicer. L. 15. ad Attic. Epist. 9.

Nec mora, quum totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comas, sed furibunda decens,
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
Palluerunt ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, & quantum femina saevit,
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conjicit ungues.
Territa vicinas Teïa clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites:
Omnis & insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis, tunicisque solutis
Excipit obscurae prima taberna viae.
Cynthia gaudet in exuviis, victrixque recurrit,
Et mea perversa sauciat ora manu:
Imponitque notam collo, morsuque cruentat:
Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.

Atque

52. Non operosa comis] scribendum videtur *comas*, solenni poëtis Latinis Graecismo.

53. Pocula mi digitos inter cecidere remissos] ex Homero habet L. 16. Odyss. ÿ. 13.

54. Palluerantque ipso] haec sunt interpolata. recte olim Livinejus, *Palluerunt ipso.* quod & Douza F. in sua editione expressit. videlicet penultimam in his praeteritis corripi nefas esse credebant homines religiosi.

57. Iratos in vultum conjicit ignes] ita fere libri; atque ita maluerunt Scaliger & Lipsius. tamen in Groningano, in uno Colbertino, & Palatinis Gebhardi membranis *ungues* erat. quod non sine ratione malebat Passeratius, productis e poëta nostro exemplis. certe *ungues* iratae mulieris praecipua semper arma, & semper parata. Martialis *iracundos* dixit, quos noster *iratos* vocat, L. 11. Epigr. 85.

Haec quaecumque meo numeratis stigmata mento,
In vetuli picta qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor.

60. Insana semita nocte sonat] Passeratius legit, *voce sonat.* nihil erat necesse. *nox insana* valet, mulieres per noctem insanientes. Martialis L. 10. Epigr. 47.

Nox non ebria, sed soluta curis.

63. Cynthia in exuviis gaudet] magis artificiosum, &, quantum ego arbitrari possum, magis Propertianum numerum servavit nobis Groningani codicis fides,

Cynthia gaudet in exuviis.

vides exsultantis prae laetitia & ferocientis a vindicta mulieris cursum, ipsa verborum collocatione tantum non praepictum. Haec quum non caperent librarii, versum ut emollirent, languidum fecerunt atque elumbem. non absimili venustate auctor Culicis:

Phrygiae passim vaga praeda peractae
Fluctuat omnis in aequoreo jam naufraga fluctu.

66. Praecipueque oculos, qui meruere, ferit:] hoc tibi exponet Donatus ad illud Eunuch. Act. 4. Sc. 6. *Atqui si illam digito adtigerit uno, oculi illico effodientur.* tum ad Adelph. Act. 3. Se. 2. *Adolescenti ipsi eriperem oculos: post haec praecipitem darem.* & omnibus Donatis luculentius ille Historiae Italicae incomparabilis conditor Franciscus Guicciardinus, ipso fine libri 6. *accade* [in Ferrara] *alla fine del anno un atto tragico, simile a quelli degli antichi Thebani, ma per ca-*

Atque ubi jam noſtris laſſavit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra ſiniſtra latens
Exuitur, geniumque meum proſtratus adorat.
Lygdame, nil potui: tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
Quum vix tangendos praebuit illa pedes.
Atque ait, Admiſſae ſi vis me ignoſcere culpae,
Accipe, quae noſtrae formula legis erit.
Tu neque Pompeja ſpatiabere cultus in umbra,
Nec quum laſcivum ſternet arena forum.
Colla cave inflectas ad ſummum obliqua theatrum,
Aut lectica tuae ſidat operta morae.

Lygda-

gione piu leggiere, ſe piu leggiere è l'impeto ſfrenato dell' amore, che l'ambitione ardente del regnare: perche, eſſendo Ippolite da Eſte Cardinale inamorato ardentemente d'una giovane ſua congiunta, la quale con non minor ardore amava Don Giulio fratel naturale d'Ippolito, e confeſſando ella medeſima ad Ippolite tirar la ſopra tutte l'altre coſe a ſi caldo amore la bellezza degli occhi di Don Giulio; il Cardinale infuriato, aſpettate il tempo commodo, che Giulio fuſſe a caccia fuora della città, lo circondò in campagna; e fattolo ſcendere da cavallo, gli fece da alcuni ſuoi ſtaffieri, baſtandogli l'animo a ſtar preſente a tanta ſceleratezza, cavare gli occhi, come concorrenti del ſuo amore. ipſis viri graviſſimi verbis referri oportebat diriſſimum ſcelus, quod alii tamquam ex alio fonte ortum emollire nonnihil voluerunt, alii venali ſilentio praeterierunt.

68. AD PLUTEI FULCRA SINISTRA JACENS] *latens* noſtri; Groninganus; & Gebhardi libri. recte puto: nimirum ſi qua elabi poſſet herilis laſciviae adminiſter, antequam a bacchante Cynthia conſpiceretur. Seneca Herc. fur. ỳ. 987.

Sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum ſemen.

77. COLLA &c.] v. Douza Schediaſm. ſuccidan. p. 72. ſq.

78. AUT LECTICA TUAE SUDET APERTA MORAE] multum hic ſudant interpretes. Lipſius legebat, L. 1. Elect. C. 19, *ſit adoperta morae.* id quod ſenſum facit vix intelligendum. Palmerius autem, *ſidat aperta.* rectum hoc & probum, modo ſcribas cum noſtris & Borrichiano, *operta.* Neque lectica aliqua clauſa, in qua vehatur tuarum amicarum una, ſidat aut deponatur humi, interjungentibus nonnihil lecticariis, ut tu habeas moram ac ſpatium cum ipſa garriendi. Cicero L. 9. ad Attic. epiſt. 11. *cum e viatore quodam eſſet auditum, qui ſe diceret eum in Appia, cum is paullum lecticam aperuiſſet, cognoſſe.* nempe in operta, ut moris erat, vehebatur. unde notatur Antonii impudentia ibidem L. 10. epiſt. 10. *Hic tamen Cytheridem ſecum cum lectica aperta portat, altera uxorem: ſeptem praeterea conjunctae lecticae amicarum ſunt, an amicorum?* & Philipp. 2. C. 24. *lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica mima portabatur.* Et hoc quidem probroſum atque inhoneſtum: ut contra ſuperbum ac barbarici faſtus plenum, non admittere ſalutationis officium clauſa lectica. id quod in eodem Antonio ibidem non ſine acri morſu exagitat orator, C. 41. *Cum inde* [e fundo M. Varronis Caſſinate] *Romam proficiſcens ad Aquinum accederet, obviam ei proceſſit, ut eſt frequens municipium, magna ſane multitudo. at iſte operta lectica latus eſt per oppidum, ut mortuus.* Ceterum vehentes in lectica puellas ſalutare atque alloqui, familiare tunc Romae. Ovidius L. 1. Art. Amat.

Interea ſive illa toro reſupina feretur,
Lecticam dominae diſſimulanter adi.
Neve aliquis verbis odioſas offerat aures,
Quam potes, ambiguis callidus abde notis.

Lygdamus in primis omnis mihi caussa querelae
   Veneat, & pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi, Ego legibus utar.
   Riserat imperio facta superba dato.
Dein quemcumque locum externae tetigere puellae,
   Suffiit, & pura limina tergit aqua.
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
   Terque meum tetigit sulfuris igne caput.

81. INDIXIT LEGES] Cicero Paradox. 5. C. 2. *An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? poscit? dandum est: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto.*

83. DEIN QUAECUMQUE LOCUM] melius, *quemcumque locum*; quod est in omnibus scriptis.

84. SUFFOCAT, ET PURA LIMINA TERGIT AQUA] libri fere *Sufficiat pura.* alii, quos editiones primae sunt secutae, *Sufficit & pura.* unde Beroaldus sagaciter correxit *Suffiit.* quod ipsum legitur in utroque Colbertino, inque uno Regio. nam alter *Sufficit* habebat. Volscus invenerat *Suffocat*, quod immutavit in *Sufficit*, Hoc est, inquiens, expiat, quo verbo saepius utitur Plinius. apparet tum temporis *sufficere* in Plinio scriptum fuisse pro *suffire.* sed optime Beroaldus quem, ut dixi, juvant libri antiqui. Lucretius L. 2.

Quis pariter coelos omneis convertere, & omneis
Ignibus aetheriis terras suffire feraceis?

ac L. 4:

Et miseram tetris se suffit odoribus ipsa.

Virgilius L. 4. Georg.

At suffire thymo, cerasque recidere inanis
Quis dubitet?

nempe Cynthia amatorem suum habebat pro polluto, & cui funerea purgatione opus foret. talis enim haec fere erat. Festus in *Aqua: a funere redeuntes ignem supergrediebantur, aqua adspersi. quod purgationis genus vocabant* SUFFITIONEM. sed & ipsa loca expiabantur, in quibus monstrum aliquod aut inauspicatum animal visum fuisset. quod hic in scortillis Cynthia observat. adludit Cicero Orat. pro Cluent. C. 68. ubi de Sassia, Cluentii matre, Larino Romam profecta ut filio ultimum exitium crearet: *Nemo erat illorum paene dicam, quin expiandum illum locum esse arbitraretur, quacumque illa iter fecisset: nemo, quin terram ipsam violari, quae mater est omnium, vestigiis consceleratae matris putaret.* id hodie Indi idololatrae faciunt aqua, in qua stercus bubulum est dilutum, teste egregio scriptore Petro della Valle, parte quarta Itiner. Epist. 6. τὸ *suffoco*, media brevi, qui defendunt, nulla se alia auctoritate tuentur, nisi hujus ipsius loci, ut quidem eum Scaliger legi voluit. aliis tibicinibus opus erit verbo tam novo, priusquam ejus gratia alterum vetus & probum ejiciatur. super quo videre potes Priscianum L. 10. & Valerium Probum in Catholicis.

85. IMPERAT ET TOTAS ITERUM MUTARE LACERNAS] puto *lustrare lacernas:* nam & vestes expiabantur, & arma, & quidquid tandem crederetur pollutum. Valerius Flaccus III. 442.

Ter tacitos egere gradus, ter tristia tangens
Arma simul vestesque virûm, lustramina ponto
Pone jacit.

vide meas notas ad Tibull. 1, 5, 11.

85. MUTARE] forte *lustrare.* vide ad Tibull. 1, 5, 11.

86. TERQUE MEUM TETIGIT SULFURIS IGNE CAPUT] mira vis sulfuris, si etiam amoris furta potuerit expiare. totum istud lustrationis sulfureae negotium magnifica, ut solet, pompa describit Claudianus, in VI. Cons. Honor.

Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum

Atque ita mutato per singula pallia lecto,
Et sponda & toto movimus arma toro.

Sulfure caeruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens, & dira fugantibus herbis
Numina, purificumque Jovem Triviamque precatus,
Trans caput aversis manibus jaculatur in Austrum
Secum rapturas cantata piacula taedas.

aliter hunc nostri versiculum, nimirum

Terque meum tetigit sulfure & igne caput,

profert Marcellus Donatus Dilucidat. in Sueton. Neron. C. 6. quod unde habuerit, non possum divinare. tamen si in aliquo vetere libro reperiretur, ego facile praeferrem lectioni vulgatae.

88. RESPONDI, ET TOTO SOLVIMUS ARMA TORO] istud *respondi* omnino hic est supervacuum, nec quidquam ad rem facit. tum verò, *solvere arma*, pro ponere inimicitias, pugnam & rixam dirimere, utrum Latine dici possit, ego quidem ignoro. quare exosculor felicissimam Nic. Heinsii restitutionem, Not. in Ovid. Epist. Didus ℣. 5.

Et sponda & toto movimus arma toro.

nimirum post expiationem cubiculi, lecti, ipsiusque capitis sui, receperat poëta suos nervos: & jam alacri motu revivifcebat pars illa, quae in meretricularum complexu funerata videbatur.

IX.

AMphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis o Erythea tuis,
Venit ad invictos nemorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus & ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.

In-

3. AD INVICTOS] *in adductos* nostri MSS. Livin. Gebh. & Groning. poculo illo suo ingenti vectus Hercules huc navigaverat. v. Macrobius L. 5. Sat. C. 21. loco bono, neque occupato.

3. PECOROSA PALATIA] *nemorosa palatia* noster primus, recte. quomodo enim mons ille *pecorosus*, in quo abactor Cacus stabulabatur? at *nemus* illic etiam Maro commemorat, in hac ipsa historia, L. 8. Aen.

Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.

& sic etiam Borrichianus.

7. HOSPITE CACO] cacemphaton sordidum in re non inhonesta. prudentior Maro L. 8. Aen.

Huic monstro Vulcanus erat pater.

Servius: *prudenter vitavit casum in quo inerat turpis significatio verbi, ne diceret Huic Caco.* vide Ciceronem L. 9. ad famil. Epist. 22. ac Fabium L. 8. C. 3.

8. FURTO POLLUIT ILLE JOVEM] ita pro nugace vocula *locum*, bene restituit Scaliger. *Jovem* quoque habent uterque Regius, nostri duo, & Groninganus. id quod omnium eruditorum consensu jam est receptum.

Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos.
Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves.
Nec sine teste Deo. furem sonuere juvenci:
Furis & implacidas diruit ira fores.
Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus: & Alcides sic ait, Ite boves,

Her-

10. PER TRIA PARTITOS QUI DABAT ORA SONOS] melius in Groningano *focos* legitur. quod & Palmerius observavit. Virgilius L. 8. Aen.

Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignis magna se mole ferebat.

& deinde:

Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitque domum caligine caeca,
Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.

Ovidius L. 1. Fastor. in hac ipsa re:

patrias male fortis ad artes
Confugit, & flammas ore sonante vomit.
Quas quoties proflat, spirare Typhoëa credas,
Et rapidum Aetnaeo fulgur ab igne jaci.

Sed haec satis sunt nota. ego vero cum Passeratio miror Cacum a nostro factum fuisse trifaucem ac tricipitem.

13. FUREM SONUERE JUVENCI] nihil poterat dicere atrocius, si temporum illorum integritatem spectes. eopse epitheto utitur Virgilius, libro laudato:

At furis Caci mens effera.

Servius: *pro ingenti scelere furis nomen posuit.* v. l'Ariosto II. del Furioso 3. 4. X. 41. XXIV. 60. Bernardo Tasso VI. del Floridante 50. 69. VII. 6. 7. *Capitale enim crimen apud majores fuit ante poenam quadrupli.* non me fallit, vulgo nunc legi *furiis:* sed video Servium contra stantem. Pierius quoque Valerianus testis est, in veterrimis quibusque exemplaribus *furis* haberi. id quod ego etiam inveni in membranis antiquis, ac bonae notae, viri praeclari P. Francii. juvat nos scriptor nitidissimus L. Columella L. 1. C. 3. *Ac ne tantum de publicis calamitatibus loquar, privatos quoque memoria tradidit, & in regionibus Graeciae, & in hac ipsa Hesperia detestabiles fuisse vicinos: nisi Autolycus ille cuiquam potuit tolerabilis esse conterminus: aut Aventini montis incola Palatinis ullum gaudium finitimis suis Cacus adtulit.*

15. MAENALIO JACUIT] non est contemtim praetereunda Servii nota ad L. 8. Aen. ℣. 203. *Sane de Caco interemto ab Hercule tam Graeci quam Romani consentiunt. solus Verrius Flaccus dicit, Garanum fuisse pastorem magnarum virium qui Cacum adflixit: omnes autem magnarum virium apud veteres* HERCULES *dictos.*

16. ITE BOVES] poterat videri Hercules hanc suam praedam apud Euandrum reliquisse. Virgilius L. 7. Aen.

Laurentia victor,
Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.

sed perrexit hinc usque ad extremam ferme Italiam. Servius: *Veniens autem Hercules, in quadam Campaniae civitate pompam triumphi sui exhibuit: unde Pompeji dicitur civitas. Postea juxta Bajas, caulas bubus fecit, & eas sepsit: qui locus Boaulia dictus. Nam hodie Baulae vocantur.* istud *nam* vel est superfluum, vel scribendum *nam & hodie.* quod in transitu dictum esto. rationem nominis firmat Aurelius Symmachus L. 1. Epist. 1. qui *Baulos* vocat, flexione nonnihil diversa. Sed neque hic substitit Alcidae virtus, quin cum suo sibi armento ingens mare transiret, atque in ipsam Boeotiam penetraret, si quid credimus Senecae Herc. fur. ℣. 231.

Inter remotos gentis Hesperiae greges
Pastor triformis litoris Tartessii
Peremtus: acta est praeda ab occasu ultimo.
Notum Cithaeron pavit Oceano pecus.

Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae,
Bis mihi quaesitae, bis mea praeda boves:
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
Nobile erunt Romae pascua vestra forum.
Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
Terraque non ullas foeta ministrat aquas.

Sed

20. PASCUA NOSTRA] *vestra*, unus Regius; unus Colbertinus; Groninganus; ambo nostri. *vostra*, Borrichianus. In illo foro boario aedem habebat Hercules, cujus miraculum Plinius commemorat L. 10. C. 29. *Romae in aedem Herculis in foro boario nec muscae, nec canes intrant.* neque aedem solum, sed & statuam, ab ipso, ut volebant, Euandro sacratam; eodem auctore L. 34. C. 7. *Fuisse autem statuariam artem familiarem Italiae quoque & vetustam, indicant, Hercules ab Euandro sacratus, ut ferunt, in foro boario, qui Triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali*; &c. apud P. Victorem in regione undecima ponitur *Templum Herculis Victoris in foro boario.* unde colligas, Herculem Triumphalem eumdem fuisse qui Victor Hercules. erat & altera aedes Herculis Victoris ad portam trigeminam, indicante Macrobio L. 3. Saturn. C. 6. Sane Victoris Herculis multa mentio est in lapidibus. unum e Grutero produxisse satis fuerit, qui est p. L. 3.

HERCVLI. VICTORI
POLLENTI. POTENTI
INVICTO. D. D. L. M.
C. VLPIVS. FRONTO
VIATOR. Q.
DEDIC. III. K. IVL
L. VETTIO. PAVLLO COS
T. IVNIO. MONTANO

apparet autem, *Victoris* titulum reportasse ex hac ipsa de Caco victoria. Virgilius L. 8. in egregio illo Saliorum Paeane:

Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.

ceterum in hoc ipso Aurelii nostri versiculo *erunt*, pro vulgato *erit*, scribendum videtur. id quod me monuit Vir Clarissimus Petrus Francius. ego autem, ut fit, in cursu scribendi praeterieram inprudens.

21. SICCO TORRET SITIS ORA PALATO] Gebhardus in duobus libris *torquet* invenerat; quod etiam legitur in nostris duobus, atque ita loquitur Papinius L. 4. Theb.

Ergo, nec ardentes clypeos vectare, nec arctos
Thoracum nexus (tantum sitis horrida torquet)
Sufficiunt.

& Phaedrus L. 1. Carm. 26. de ciconia vulpem revocante:

intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, torquet convivam fame.

sed *torret*, quod habent alii sex codices, aptius huic loco videtur. fere enim sitis & verbis & epithetis ab igne ductis insignitur. Virgilius L. 3. Geor.

ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus.

Ejusdem perfectissimi operis L. 4.

Jam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
Ardebat coelo.

Tibullus L. 1. Eleg. 4.

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti.

Seneca Agamemn. ỳ. 19.

Et inter undas fervida exustus siti
Aquas fugaces ore decepto appetit.

& Thyest. ỳ. 170.

Instat deinde sitis non levior fame;
Qua cum percaluit sanguis, & igneis
Exarsit facibus, stat miser obvios
Fluctus ore vocans.

Ovidius Remed. Amor.

Explenda est sitis ista tibi, qua perditus ardes.

Horatius L. 1. Sat. 2. ỳ. 114.

Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quaris Pocula?

Phae-

Sed procul inclusas audit ridere puellas.
  Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus,
Femineae loca clausa Deae, fontesque piandos,
  Impune & nullis sacra retecta viris.
Devia puniceae velabant limina vittae:
  Putris odorato luxerat igne casa.
Populus & longis ornabat frondibus aedem:
  Multaque cantantes umbra tegebat aves.
Huc ruit in siccam congesto pulvere barbam,
  Et jacit ante fores verba minora Deo:
Vos precor o luci sacro quae luditis antro,
  Pandite defessis hospita fana viris.

Fon-

Phaedrus L. 3. Carm. 16.

illa, quae ardebat siti
Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit.

Statius L. 4. Theb.

Dixit, & orantis media inter anhelitus ardens
Verba rapit, cursuque animae labat arida lingua.

Claudianus L. 1. in Rufin.

Non Tartessiacis illum satiarit arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totumque exhauserit Hermum,
Ardebit majore siti.

hinc *torrida* dicuntur, & *terrere*, quae sitim faciunt. noster L. 2. Eleg. 21.

Venit enim tempus, quo torridus aestuat aër,
Incipit & sicco fervere terra Cane.

Horatius L. 1. Sat. 5.

Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus.

Acro: TORRET. *incendit. quia nimio calore flans ventus illam regionem exsiccat.* idem poeta Epod. 3.

Nec tantus umquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae.

& Epod. 16.

Nulla nocent pecori contagia: nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.

Lucanus IV. 239.

Sic ubi desuetae silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae, & vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitaeque tument gustato sanguine fauces.

Tibullus L. 1. Eleg. 4.

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti.

22. Foeta] al. *foeda.* v. Seneca Herc. fur. ℣. 702.

25. Femineae loca clausa Deae] Bonae Deae. eam verò signanter *femineam* vocat. Macrobius L. 1. Saturn. C. 12. *Haec apud Graecos ἡ θεὸς γυναικεία dicitur.* — — *Herculi, cum boves Geryonis per agros Italiae duceret, sitienti respondit mulier, aquam se non posse praestare, quod* feminarum Deae *celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris gustare fas esset.*

31. Congesto pulvere] quidam libri habent *congesta*; quod eodem redit. in priore Palatino erat *comesto pulvere*, quod Gebhardo mirifice placuit. Nam ora, inquit, ita erant squallida sordibus, quasi ipsum pulverem comedisset.

Ridete quidquid est domi cachinnorum.

saltem cogitasset primam in *comesto* non posse produci. quid attinebat locum bene sanum critico ferro tam crudeliter mutilare?

34. Hospita fana] quidam libri *ostia vestra*, quidam *hospita vestra.* Sed non est sollicitanda Scaligeri emendatio: nam & Li-

psius

Fontis egens erro, circoque ſonantia lymphis.
Et cava ſuſcepto flumine palma ſat eſt.
Audiſtiſne aliquem, tergo qui ſuſtulit orbem?
Ille ego ſum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeae non audit fortia clavae?
Et numquam ad notas irrita tela feras?
Atque uni Stygias hominum luxiſſe tenebras?

* * *

Quod ſi Junoni ſacrum faceretis amarae,
Non clauſiſſet aquas ipſa noverca ſuas.

Sin

pſius *hoſpita vana* invenerat in vetuſtis membranis. & excerpta Borrichiana idem peccant in eadem voce, ſupra L. 2. Eleg. 15.

Vanaque peccatis plurima cauſſa tuis.

ut ſolent ſaepe confundi haec duo elementa. qui malunt *hoſpita teſca*, ſolent haec Varronis adducere: *Loca quaedam agreſtia, quod alicujus Dei ſunt, dicuntur teſca.* & iſta Feſti, ſive Paulli potius: *Teſca, loca augurio deſignata. Cicero aſpera ait eſſe, & difficilia.* Sed non amat noſter vocabulis uti rancidis atque obſoletis. Et quis illis dixit, loca agreſtia, quae alicujus Dei ſint, non appellari *fana*? certe *ſacellum* habuimus L. 2. Eleg. 14.

Atque ibi rara feres inculto tura ſacello,
Haedus ubi agreſtes corruit ante focos.

qui minus hic *fanum*, quum utrobique *ara*?

35. CIRCAQUE SONANTIA LYMPHIS] Livinejus legebat,

Fontis egens erro circa reſonantia lymphis.

quod multis poëtarum locis, qui pari ratione corrupti antea circumferebantur, ſtabilire conatur, & vero admodum ſimile facit. Sed & illud *circo*, a Scaligero poſtliminii jure in Latium reductum, vehementer placet. Gloſſis antiquis ibi laudatis nihil eſt apertius, nihil ſimplicius. & juvat plurimum Fl. Vegetius L. 3. C. 8. *A tubicine omnes vigiliae committuntur: & finitis, a cornicine revocantur. idoneos tamen tribuni & probatiſſimos eligunt, qui vigilias circumeant, & renuntient, ſi qua emerſerit culpa, quos* circuitores *appellabant. Nunc militiae factus eſt gradus, & circatores vocantur.* ita enim legendum iſtic eſſe, e vetuſtiſſimis membranis docuit eruditiſſimus Stewechius. adde luculentum Ammiani Marcellini locum, unde totum negotium conficitur, & verbo *circare* ſua adſtruitur probitas. is eſt L. 31. C. 2. ubi de Alanis: *Gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque ut Martem, regionum quas circumcircant praeſulem, verecundius colunt.* utitur & Servius grammaticus in L. 10. Aen. ℣. 885. LAEVOS EQUITAVIT IN ORBES. *Secundum artem militiae. nam eques ſtans facillime ſuperatur a pedite. in laevam partem autem ideo circabat, ut Aenaee dextram circumveniret, quae utique nuda erat.* ita liber MS. in vulgatis eſt *circumibat.*

38. ALCIDEN TERRA RECEPTA VOCAT] bene. *Alcides* enim dictus eſt, dum agebat inter homines: *Hercules*, factus jam Deus. vide notam doctiſſimi Jeſuitae Joannis Ludovici de la Cerda ad iſta Maronis L. 8. Aen.

maximus ultor,
Tergemini nece Geryonae ſpoliiſque ſuperbus,
Alcides aderat.

Groninganus liber habet *Alcidem*, Latino more.

40. AD NATAS IRRITA TELA FERAS] quae ſunt *natae ferae*, quum utique omnes naſcantur? legendum *notas*, auctore Horatio L. 2. Epiſt. 1.

diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit invidiam ſupremo fine domari.

vides quam commode *nota* Horatii *portenta* exponant *notas* noſtri *feras*, quum in eodem uterque campo decurrat. idem mendum, niſi me animus fallit, Julium Obſequentem inſedit C. 56. *in Umbria ſemimas duodecim ferme annorum natus, aruſpicumque juſſu necatus.* quomodo *natus*, qui jam ferme duodecim annos vixerat? puto reponendum *notus*; & intelligo, eo uſque occultatum naturae nefas tum demum Aedilibus innotuiſſe.

Sin aliquam vultusque meus, setaeque leonis
Terrent, & Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colu.
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.

Ta-

45. VULTUSQUE MEUS, SETAEQUE LEONIS] interdum Hercules fingitur sinistra gestans leonis exuvias: est ubi caput ferino rictu intectum habet. Talis hic erat: talis apud Valerium Flaccum L. 1.

Cleonaeo jam tempora clusus hiatu
Alcides.

atque ita in nummis quoque exhibetur. v. Dausquius ad Silii L. III. ℣. 35. p. 104. optime Virgilius L. 7. Aen. ubi Aventinum describit, Herculis filium:

Ipse pedes tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta cum dentibus albis
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Valerius Flaccus L. 8.

Talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.

47. IDEM EGO] quae hic in laudibus suis ponit Alcmenae filius, ea ingentis probri loco Lycus in eum jacit, apud Senecam Herc. fur. ℣. 465. nam quum Amphitryo dixisset,

Quemcumque fortem videris, miserum neges.

subjicit ille:

Fortem vocemus, cujus ex humeris leo
Donum puellae factus, & clava excidit
Fulsitque pictum veste Sidonia latus?
Fortem vocemus, cujus horrentes comae
Maduere nardo? laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit sonum,
Mitra ferocem barbara frontem premens?

48. LYDA PENSA DIURNA COLU] in uno Regio, Borrichiano, Groningano, & duobus nostris legitur *Lydo colo.* sic & apud Tibullum L. 2. Eleg. 3, vidi in libro MS.

Deducat pleno stamina longa colo.

quod etiam e suo libro Scaliger proferebat. pariter in scriptis Catulli codicibus legitur:

Laeva colum molli lana retinebat amictum.

quomodo & primae istic editiones. Videre potes, si tanti est, Reinesii & Daumii super genere *colus* amoebaeas Epist. 47. 48. 49. & Passeratium ad L. 4. nostri poetae Eleg. 1. ℣. 74. sed litem omnem dirimit optimus arbiter in hoc negotio Priscianus L. 6. *Alia omnia ejusdem generis, id est feminini, in us correptam desinentia, quartae sunt declinationis: ut, haec nurus hujus nurus, haec tribus hujus tribus, haec manus hujus manus. - - - - excipitur haec alvus hujus alvi - - - humus humi - - - domus hujus domus, & domus hujus domi. Terentius in Eunucho, domi focique fac vicissim ut memineris. Virgilius in sexto:*

Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

Ovidius in quarto Metam.

domui communis utrique.

& colus coli, & colus. Virgilius in octavo,

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva.

Statius in sexto Thebaid.

sed hujus
Extrema jam fila colu: datur ordo senectae.

hactenus insignis ille Grammaticus. cujus verba male intellecta fraudi fuerunt Antonio Parthenio, notanti ad modo laudatum Catulli locum: COLUM] *antiqui, teste Prisciano, indifferenter protulerunt hic & haec colus. unde Catullus amictum participium masculino genere apposuit.* ita & Gronovius ad Senec. Herc. Oet. ℣. 1097. p. 666. b. hujusmodi quid etiam in Daumii epistolis reperies. igitur maneat hic *Lyda colus*, neque de sexu suo remittat quidquam.

50. ET MANIBUS DURIS APTA PUELLA FUI] Nic. Heinsius Not. in Ovid. L. 1. Art. Amat. ℣. 163. legit,

Et manibus duris apta tabella fuit.

exponitque de flabello, e tenuioribus tabulis compacto, quo moto Hercules ventulum fecerit Omphalae. id vero ut stabiliat, ad-

Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos,
Puniceo canas stamine vincta comas:

Parce

adducit locum ex L. 2. Fastor.

Aurea pellebant rapidos umbracula soles,
Quae tamen Herculeae sustinuere manus.

ignoscant mihi Manes viri summi, cujus defuncti memoria non minus mihi sancta est, quam fuerat grata familiaritas viventis: *umbracula* ista huc non pertinent, neque sunt idem quod *flabella*. illa erant arcendo soli: haec autem vento ciendo. de umbellis istis clare Naso L. 2. Art. Amat.

Ipse tene distenta suis umbracula virgis:
Ipse face in turba, qua venit illa, locum.

etiam hodie utuntur mulieres, & *parasols* vocant. deinde *manus* Herculis *durae* nihil obstabant quo minus posset umbellam gestare, aut flabello ventulum arcessere: impediebant autem plurimum, ut ne scite posset atque apte lanam trahere, propter hoc ipsum quod erant *durae* ac minime puellares. atque hoc est illud quod in decantato isto Alcidae lanificio omnes poëtae deriserunt; quum de flabello loquatur nemo. Terentius Eunuch. Act. Sc. 6.

Gn. *Quid coeptas, Thraso?*
Thr. *Egone? ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubeat.* Gn. *quid est?*
Thr. *Qui minus quam Hercules servivit Omphalae.*

Donatus: *Omphale Lydiae regina fuit, quae Herculem sibi servientem etiam ad lanificium compulit: quum ipsa calathum & colum, cultusque femineos, sagittis & clava, leonisque tegmine mutasset.* noster L. 3. Eleg. 9.

Omphale in tantum formae processit honorem,
Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.

Ovidius Epist. Deianirae:

Ah quoties digitis dum torques stamina duris,
Praevalidae fusos comminuere manus.

Pedo Albinovanus in obit. Maecenat.

Percussit crebros te propter Lydia nodos,
Te propter dura stamina rupta manu.

Papinius L. 10. Thebaid.

Lydia conjux
Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus,
Et turbare colus, & tympana rumpere dextra.

vetus Scholiastes Barthii: *cum non nosset tractare fusos crassis suis manibus.* iterum Papinius L. 1. Achill.

Lydia dura
Pensa manu, mollesque tulit Tirynthius hastas.

& mox eopse libro:

Ipsa quoque & validos proferre modestius artus,
Et tenuare rudes attrito pollice lanas
Demonstrat, reficitque colos, & perdita dura
Pensa manu.

Seneca Hippolyto:

Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis;
Passus aptari digitis zmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincte religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco.
Et manu, clavam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante fuso.

Auctor Herculis in Oeta ℣. 371.

Hospes Timoli Lydiam fovit nurum,
Et amore captus ad leves sedit colos,
Udum feroci stamen intorquens manu.
Nempe illa cervix spolia deposuit ferae;
Crinemque mitra pressit, & famulus stetit,
Hirtam Sabaea marcidus myrrha comam.

Fabius L. 3. C. 7. *Quaedam vero etiam in defensionis speciem cadant: ut si in laude Herculis permutatum cum regina Lydiae habitum, & imperata, ut traditur, pensa orator excuset.* paullo plenius haec adstruere debui, ut videres *duras* istas *manus* semper referri ad colum & lanam, numquam ad flabellum: ideoque nihil hic fuisse mutandum. nam qui dicunt, τὸ *apta* sic solum non posse stare, quum ea vox requirat aliam, cui jungatur; meminisse debebant, factam modo mentionem colus & pensi, hisque se officiis aptam puellam fuisse nunc profiteri magnanimum Jovis genus, quamvis manibus longo labore callosis. neque tamen nusquam inveniuntur exempla, ubi haec vocula eodem quo apud no-

Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo,
Cede agedum, & tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quae se summota vindicat ara casa.
Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.

Dii

nostrum modo sola stat. Ecce apud Nasonem est, L. 2. Art. Amat.

Verba vadum tentent abiegnis scripta tabellis.
Accipiat missas apta ministra notas.

& paullo post:

Ancillae puerive manus ferat apta tabellas:
Pignora nec juveni credite vestra novo.

L. 1. Amor. Eleg. 6.

Longus amor tales corpus tenuavit in usus;
Aptaque subducto pondere membra dedit.

initio Remediorum:

Sed propera: nec te venturas differ in horas.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

L. 9. Metam.

apta minister
Tempora nactus adit, traditque latentia verba.

Epist. Hermionae:

Num generis fato, quod nostros haeret in annos,
Tantalides matres apta rapina sumus?

53. LUCOQUE ABSCEDE VERENDO] legendum videtur,

Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo,
Cede agedum,

repetitione concinna, & quae festinationem valde urgeret. quo pulcre facit exemplum Tiresiae, magno luentis visam Minervam lavantem. Terentius Heaut. Act. 4. Sc. 3.

CL. *Age, age, traducatur Bacchis.* S. *optume ipsa exit foras.*

belle vero repetit nostra anicula *agedum.* sic idem ille Afer Eunuch. Act. 4. Sc. 4.

agedum, hoc mihi expedi
Primum: istam, quam habes, unde habes vestem?

Donatus: AGEDUM. *Dum,* πάρελκον *est, & adjuvat ex animo loquentem.* ita sane Catullus Carm. 64.

Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

ad januam loquitur, quam laudat a fideli obsequio erga heros priores; atque ideo vix persuadere sibi potest esse immutatam, atque ab officio desciviſſe.

56. QUAE SE SUMMOTA VINDICAT ARA CASA] quae in devia aedicula longe arcet conspectus viriles. Virgilius L. 8. Aen.

Hic spelunca fuit vasto summota recessu.

Nic. Heinsius legebat:

Quae sese admota vindicat ara fera.

viderint doctiores. mihi praeplacet vulgata: nam supra quoque junguntur & *ara* & *casa,*

Devia puniceae velabant limina vittae,
Putris odorato luxerat igne casa.

tum etiam paullo post sequitur *avia lympha,* & *limes secretus.*

57. MAGNAM TIRESIAS] testes sunt Passeratius ac Gebhardus, in vetustis libris legi *Magno,* videlicet magno (ut Catullus loquitur) cum pretio atque malo suo. nam oculis orbatus est, & factus caecus. veram lectionem sagaciter jam olim restituerunt magnus Lipsius, & Douza P. apud Callimachum dicit Pallas, sibi non esse jucundum auferre pueris oculos: sed legibus Saturni sancitum esse, ut quicumque Deum invitum cernat, magna mercede cernat, μισθῷ μεγάλῳ. Angelus Politianus vertit,

Nam pueris auferre oculos haud dulce Minervae,
Verum Saturni legibus haec rata sunt,
Ut quicumque Deum aspiciat, nisi jusserit ipse,
Mercede ingenti scilicet aspiciat.

Ptolomaei Hephaestionis fide narrat Photius, codice 190, Erymanthum Apollinis filium pariter excaecatum, quod post congressum cum Adonide lavantem Venerem vidisset. Huc ibat Quartilla apud Arbitrum: *misereor medius fidius vestri: neque enim impune quisquam, quod non licuit, aspexit. utique nostra*

regio

Dii tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus: ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam janua clausa sitim.
At postquam exhausto jam flumine vicerat aestum,
Ponit vix siccis tristia jura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.
Maxima quae gregibus devota est Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Haec nullis umquam pateat temeranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.

Sancte

regio tam praesentibus plena est numinibus, ut facilius possis Deum, quam hominem, invenire. sed de tota hac re supra quam dici potest erudite atque diligenter egit Vir illustris Ezechiel Spanhemius in Observationibus ad Callimachi Lavacrum Palladis. ubi compluria itidem hujus elegiae loca insigni luce perfunduntur, & theologiae poeticae mysteria ex penitissimis suis fontibus nova quadam ratione recluduntur. operae erit huc adscribere Passeratii verba super Tiresiae excaecatione. *Callimachus id* [artem augurandi cum maxima longaevitate] *a Pallade accepisse narrat. Ovidius ergo & alii Latini oculis privatum a Junone scribunt: hic noster secutus est Callimachum hymno qui inscribitur εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος.* Parisinus interpres, qui Passeratium semper exscribit, non semper intelligit, voluit hic sapere supra magistrum suum, quem ita nobis interpretatur: *Unus Propertius inter Latinos scriptores unum inter Graecos secutus Callimachum, dixit Tiresiam fuisse excaecatum a Pallade. Reliqui namque omnes tum Graeci, tum Latini auctores Tiresiam oculis orbatum fuisse dicunt a Junone.* quae quam sint vera, illustribus documentis ostendit idem ille Vir incomparabilis ad ỷ. 82. hymni laudati. v. Delrius Adv. in Senec. Oedip. ỷ. 290. p. 45.

60. SECRETI LIMINIS UNA FUIT] *limitis* duo Regii, nostri duo, Groninganus, unusque Palatinus Gebhardi, cum primis editionibus. *limes* est alveus, rivus, aut via aquae. noster supra Eleg. 4.

Lubrica tota via est, & perfida. quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.

deinde *fluit* legendum est, pro *fuit*, monente acutissimo Fruterio L. 1. Verisimil. C. 14.

61. SIC ANUS] noster primus, *Haec anus.*

61. ILLE HUMERIS POSTES CONCUSSIT OPACOS] ita totos montes proruere solebat. Seneca Herc. Fur. immani sane hyperbole:

dirutis qualis jugis
Praeceps citato flumini quaerens iter,
Quondam stetisti; scissa cum vasto impetu
Patuere Tempe. pectore impulsus tuo
Huc mons & illuc cecidit, & rupto aggere
Nova cucurrit Thessalus torrens via.

69. HAEC NULLIS UMQUAM PATEAT VENERANDA PUELLIS] nullae umquam mulieres ad hanc aram accedant venerandi caussa. *venerari aram* Virgilius dixit L. 12. Aen.

incessu tacito progressus, & aram
Suppliciter venerans demisso lumine Turnus.

& *templa venerari* L. 3. Aen.

Templa Dei saxo venerabar structa vetusto.

Servius: *quod* VENERABAR *ait, ostendit se precatum.* sed non possum non amplecti palmariam correctionem Nic. Heinsii,

Haec nullis umquam pateat temeranda puellis.

Vide sis Notam magni Viri ad Ovid. L. 2. Pont. Epist. 2. ỷ. 27.

69. HAEC &c] v. Macrobius I. Sat. 12. p. 203. sq. loco egregio.

Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sancum Tatii composuere Cures.

70. HERCULIS EXIMII NE SIT INULTA SITIS] qui tam severe ultus sit in feminis sitim, eum fuisse oportet egregie siticulosum. quocirca paene adducor ut credam *Herculem fuisse Scythici sanguinis:* nam & validus potator erat, & sitim supra quam dici potest ferebat impatienter, haud quaquam ignoturus si quis poscenti negasset. id vero accidit plus semel, & fere mulierum culpa, eo quod erant paullo ad rem attentiores, praecipue ubi de vino agebatur. vinum autem quam aquam monstrorum ille domitor libentius bibebat, sapientissimo judicio. id quod aliquando cum magno suo malo experta est muliercula ista importuna, cujus avaritiam atque inhospitalitatem insigni prodigio ultus est iratus Alcmenae filius, narrante Athenaeo L. 10. C. 11. *Alcimus Siculus in eo libro quem* ITALICUM *inscripsit, omnes in Italia mulieres abstinere vino ideo refert, quod Hercules, cum in Crotoniatarum agrum pervenisset, domum quamdam viae propinquam sitibundus accessit, & ingressus poposcit quod biberet. Earum aedium domini uxor, quae clanculum vini dolium subtus aperuerat, virum monuit, imprudenter facturum, si hospitis caussa dolium id reseraret: satius esse aquam bibendam afferre. Hercules pro foribus cum illa exaudisset, ejus virum multum laudavit, introque reverti jussit, ac dolium intueri. Paruit ille, & cum domum subiisset, saxeum invenit.* tam severam iracundiam in animo coelesti vix est ut probemus, praesertim ob rem leviculam. & quid attinebat, virum innocentem plecti longa siccitate propter commissum merobibae mulierculae? jocari me in bibacitatem Herculis, nemo non videt. & vero, quomodo fuerit *Scytha*, qui paucis verbis post *Alcmenae filius* vocatur? nisi si ego fortasse statuerim Thebas fuisse Scythiae oppidum. Tamen hunc innocentem jocum pro magno argumento inscitiae capitalis vexandum sibi arripuit nuper Gronovius ὁ μέγας in miserabili libello, quem opposuit Dissertationi Perizonianae de morte Judae, p. 8. certe si omnes siticulosi Scythicae sunt originis, & Gronovium Scytham facias licebit. quippe nis modicus est, non nisi amphoram sitit.

71. SANCTE PATER SALVE] omnes Dii dicebantur *sancti:* erat tamen id Herculi proprium ac peculiare. Varro lib. 4. L. L. *Aelius Gallus Dium Fidium dicebat Diovis filium, ut Graeci Διόσκουρον Castorem: & putabat hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem ab Graeca.* Phaedrus L. 5. Carm. 5.

Quidam immolasset verrem quum Sancto Herculi.

marmorum antiquorum fidem huc advocare supervacuum fuerit. complura reperire est apud Mazochium, Boissardum, Gruterum, Reinesium, ubi SANCTUS, & SANCTISSIMUS, dicitur Hercules.

73. NUNC QUONIAM] *Hunc* Groninganus, & unus Colbertinus. sed *nunc* potest idem valere quod ergo, sive igitur. supra L. 2. Eleg. 7.

Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.

vidit & Passeratius.

73. PURGATUM SANXERAT ORBEM] ita praeclare correxit Beroaldus, quum prius nullo sensu legeretur *senserat.* & stabiliunt eam emendationem sex libri scripti. quare desinant vellicare doctissimi viri manes, qui, ut suas tueantur opiniones, non verentur defendere corruptos bonorum scriptorum locos, etiam contra animi sui sententiam. Jos. Castalionem intelligo, quem vide Dec. 3. Obs. C. 10.

74. SIC SANCTUM] lege *Sancum.* nam & *Sanctus* dicebatur Hercules, & *Sancus.* tum simul consule Passeratium; Jos. Castalionem Dec. 3. Observ. C. 10. Muretum L. 3. Epist. 81. Raderum in lib. Spectac. Epigr. 8. Carolum Neapolim, & Nic. Heinsius ad Ovid. L. 6. Fastor. ℣. 213. Vossium de Idololat. gent. L. 1. C. 12. quos exscribere nihil erat necesse.

X.

NUnc Jovis incipiam caussas aperire FeretrI,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo, sed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae
Hujus, & exuviis plenus ab hoste redis.
Tempore quo portas Caeninum Acronta petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.

Acron

1. JOVIS FERETRI] festivissime augustum hoc nomen ad Cupidinem transtulit vetus poeta apud Terentianum Maurum:

Opima adposui senex
Amori arma Feretrio.

3. MAGNUM ITER ASCENDO] expressit Petrus Michaelius, Nobilis Venetus, in Guidone Silvestri, cantu 1.

Sò, che difficil via calcar io tento,
Per cui gir non si può senza sostegno:
Ma pur desio di gloria a l'ardimento
Egual forse darà forza, ed ingegno.
Huom, che non suda a fatti excelsi intento,
Non è giamai di vera laude degno.
Sempre a grand opra gran fasica è mista;
E grand honor con gran sudor s'acquista.

6. HUJUS ET EXUVIIS PLENUS AB HOSTE REDIS] in quinque libris *Hujus & eximio p. a. h. r.* legitur. id esset, Hujus palmae plenus ab hoste eximio victor redis. auget sane Romuli gloriam caesi Acronis virtus eximia. & videtur haec lectio vulgatae praeferenda. etiam Passeratius in suis invenerat *exuvio*, quod quam proxime accedit ad nostras membranas. neque abeunt editiones antiquae. tamen si quis in recepta lectione malit adquiescere, ei ego litem nullam movebo. sane apud Ciceronem, in oratione pro P. Sulla, ubi legitur cap. 18. *Tu ornatus exuviis hujus venis ad eum lacerandum, quem interemisti:* ibi se in libro scripto *ornatus eximiis* reperisse testatus est elegantissimi & ingenii vir & judicii Philippus Rubenius L. 1. Elect. C. 9. tale quid & hic potuisse accidere non est extra omnem aleam.

7. CENINUM ACRONA] scribendum est *Caeninum*, id est Caeninensem. nam Stephanus ipsam urbem Καινίνη vocat. deinde *Acronta* legunt nostri libri, & Borrichianus, & Groninganus. quod & Passeratius, & Scaliger, ac Gebhardus in suis habebant. ita *dracontem* Attius dixit in Philoctera, a nominativo *dracon*, auctore Fl. Charisio L. 1. etiam in Phoenissis dixerat idem poëta:

Ab dracontis stirpe armata exortus, genere antiquior.

quem locum servavit Nonius Marcellus. sic & *Cotisontis* habent optimae membranae Horatii L. 3. Od. 8:

Occidit Daci Cotisontis agmen.

ubi hodie edunt *Cosisonis.* Audiamus virum sua tempestate longe eruditissimum Joannem Jovianum Pontanum, in dialogo Actio: *Oblatus est mihi diebus his libellus sane pervetus, in quo scriptum erat, Rhinocerontis: vetustis enim in codicibus dictiones has Rhinocerontis & Aegocerontis ubique invenias N literam retinere: quam quidem literam a grammatista nescio quo, quod Graecum inodoratus aliquantum esset, atramento oblitam animadverti, videlicet quod recentiores Graeci, quique Attice loquantur, Aegoceros Aegocerotis, & Rhinoceros Rhinocerotis enuntient. Neque tamen argutulus hic id animi pendit, quin ignorare se confessus est, e Graeca fuisse olim gente, ut Siculos, Italicam nationem, ut Calabros, qui dicerent Aegoceron, & Rhinoceron, & Minon, atque hujus modi alia, indeque esse Rhinocerontis, Aegocerontis, & Minonis, quod Cicero etiam ipse protulit. Accepta igitur a priscis Latinis termi-*

natio

Acron Herculeus Caenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic ſpolia ex humeris auſus ſperare Quirinis
Ipſe dedit, ſed non ſanguine ſicca ſuo.
Hunc videt ante cavas vibrantem ſpicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Jupiter, haec hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat, & ſpolium corruit ille Jovi.

Urbis,

natio haec Sicula manſit apud noſtros: nec eſt cnr accnſetnr, ſi qnis morem tot ſecnlorum ſervatnm a maximis auctoribns & ipſe ſervaverit, quando cognitnm ac certum eſt, Graecos qnoque auctores, Sicnlos ſcilicet ac Brutios, isa eſſe locutos. Cum etiam abnnde notnm ſit, quanta inter Graecos ſit ipſos varietas & terminandorum & flectendorum nominum. haec ille ſaeculi ſui Varro. ad eam faciem Chriſtophorus Longolius, ne ſcilicet parum eſſet reverens antiquitatis, LEONEM decimum Pont. Max. a quo benigniſſime fovebatur, ſemper LEONTEM vocavit. quae flexio quo modo hodie cadat ad aures delicatas, ego quidem non dicam. certe Charisius jam rejecerat ſua aetate. vide tamen Priſcianum L. 6. p. 690. ubi *Leontem* Megarenſem laudat ex Ciceronis Verrinis. ſane *Acronta* noſtri poëtae non poſſum non probare, antiquam videlicet declinationem in nomine antiquiſſimi regis.

11. Ex humeris ausus sperare Quirinis] in quibuſdam libris *Quirini* legitur. ſed figuratius illud, & magis poëticum. Horatius L. 1. Od. 2.

Serus in coelum redeas, diuqne
Laetus interſis popnlo Quirino.

ſic enim iſtic meliores membranae. ita & *Phaſis Colchus, Colcha venena, aquae Bajae*, alibi leguntur.

13. Vibrantem spicula] Groninganus *libransem*, & duo Gebhardi. probum utrumque verbum; neque mulum hic refert quod cui praeferas. quamquam τὸ *vibrantem* geſtum praepingit obequitantis Caeninenſium ducis, atque arma oſtentantis; qui eſt mos laceſſentium aliquem ex agmine hoſtili ad ſingulare certamen, etiam hodie uſitatus. ejus rei luculentiſſimam imaginem vides apud Maronem L. 11. Aen. loco mirifice huc faciente:

At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruſcique duces, equitumque exercitus omnis;
Conpoſits numero in turmas. fremit aequore toto
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis
Huc obverſus & hnc. tum lase ferreus haſtis
Horret ager, campique armis ſublimibus ardent.
Net non Meſſapus contra, celereſque Latini,
Et cnm fratre Coras, & virginis ala Camillae,
Adverſi campo apparent, haſtaſque reductis
Protendunt longe dexsris, & ſpicula vibrant.

Talis hic Acron, ſiquidem noſtro poetae fides. nam aliter Livius L. 1. C. 10. *Nec Crnſtumini quidem atque Antemnates, pro ardore iraqne Caeninenſium, ſatis ſe impigre movent. ita per ſe ipſum nomen Caeninnm in agrum Romannm impesum facit. Sed effuſe vaſtantibns fit obvius cnm exercitu Romulns, levique certamine doces, vanam ſine viribus iram eſſe: exercitum fundit fugatque: fuſum perſequitnr: regem in praelio obtrnncat, & ſpoliat. duce hoſtium occiſo, urbem primo impetu capit.* Propertio autem accedit Valerius Maximus, alios opinor auctores ſecutus, L. 3. C. 2. *Redeo ad Romulum, qui ab Acrone Caeninenſium rege ad dimicandnm provocatns, quamqnam & numero & fortitudine militum ſuperiorem ſe crederet, tntinſque erat, toto cum exercitn, quam ſolum in aciem deſcendere, ina potiſſimnm dextra omen victoriae rapuit: nec incepto ejns fortnna defuit. occiſo cnim Acrone, fuſiſqne hoſtibus, opima de eo ſpolia Jovi Feretrio retulit.*

15. Haec hodie] legendum videtur *hic*, ita

Urbis, virtutisque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
Praebebant caesi baltea lenta boves.
Nec dum ultra Tiberim belli sonus: ultima praeda
Nomentum, & captae jugera pauca Corae.

Cos-

ita sententia postulante. nam protensa dextera Romulus designabat ipsum Acronem, eumque Jovi hostiam vovebat. deinde *corruet*, auctoribus libris, pro *corruat*. tamen istud *haec* firmat Livius L. 1. C. 19. ubi Cossus, viso Tolumnio rege, *Hiccine est*, inquit, *ruptor foederis humani, violatorque gentium juris? Jam ego hanc mactatam victimam, si modo sanctiquidquam in terris esse Dii volunt, legatorum Manibus dabo.* Messapus apud Virgilium L. 12. Aen. occiso rege Auleste:

Hoc habet: haec melior magnis data victima divis.

17. URBIS VIRTUTISQUE PARENS] ita Romani censebant. sed audi Minucium Felicem, illum omnium disertissimum vindicem disciplinae Christianae: *Asylo prima plebs congregata est. confluxerant perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores. Et ut ipse Romulus, imperator & rector, populum suum facinore praecelleret, parricidium fecit. Haec prima sunt auspicia religiosae civitatis. mox alienas virgines jam desponsatas, jam destinatas, & non nullas de matrimonio mulierculas sine more rapuit, violavit, illusit: & cum earum parentibus, id est, cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia tutius? Jam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere cum templis & altaribus: captos cogere: damnis alienis, & suis sceleribus adolescere cum Romulo, regibus ceteris, & postremis ducibus disciplina communis est.* neque multo clementius Mithridates apud Justinum L. 38. C. 6. *Hanc illos regibus omnibus legem odiorum dixisse, scilicet quia ipsi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubescant, aut pastores Aboriginum, aut aruspices Sabinorum, aut exules Corinthiorum, aut servos vernasque Tuscorum, aut, quod honoratissimum nomen fuit inter haec, Superbos: atque ut ipsi ferunt conditores suos lupae uberibus altos, sic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.* Videsis ejusdem regis praeclaram epistolam ad regem Arsacem, quae legitur in fragmentis Historiarum Sallustii.

18. QUI TULIT APRICO FRIGIDA CASTRA LARE] varie Passeratius haec torsit, & versavit. Guyetus ad oram notaverat: *aprico, id est; aperto. ab aperio, aperitus, aperitus, &* τροπῇ *apricus. habitatio subdivalis in castris frigidis. vel, frigida habitatio in castris subdivalibus. locus apricus, soli expositus.*

20. ET GALEA HIRSUTA COMTA LUPINA JUBA] Passeratii liber, *Cui galea.* deinde Groninganus, *hirsutis jubis.* sed tamen vastus ille sonus repetiti toties *a*, in cultu itidem agresti, neutiquam potest displicere. Virgilius L. 5. Aen. ℣. 556.

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona:
Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro.

Valerius Flaccus L. 8. ℣. 100. ubi Medea draconem suum miserata:

Heu saevum passure diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra.

v. Christ. Arnoldus in Valer. Caton. Dir. p. 106.

21. PICTA NEC] *neque*, Groninganus.

24. CAPTAE JUGERA TERNA CORAE] ita Lipsius, & Scaliger: eo quod libri fere *trita*, vel *terra* habent. sunt autem alii, in quibus *parva*, sunt in quibus *pauca* legitur. quam supremam scripturam non video cur rejicere debeamus. dicit enim poeta, totum Corae territorium fuisse admodum exile, atque intra pauca aliquot terrae jugera constitisse.

quod

Cossus at insequitur Vejentis caede Tolumni,
Vincere quum Vejos posse laboris erat.
Et Veji veteres & vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.

For-

quod ipsum & Ovidius de prima illa Romuli ditione pronuntiat L. 2. Fastor. quo loco comparationem instituit Romulum inter atque Caesarem Augustum:

Romule, concedas. facit hic tua magna tuendo
Moenia: tu dederas transilienda Remo.
Te Tatius, parvique Cures, Caeninaque sensit:
Hoc Duce Romanum est Solis utrumque latus.
Tu breve nescio quid victae telluris habebas:
Quodcumque est alto sub Jove, Caesar habet.

horum porro versuum ordinem loco vere suo digessit Passeratius, rationibus ex eorum temporum historia petitis.

26. Vincere quum Vejos posse laboris erat] & quidem ingentis, nec facile credibilis. S. Aur. Victor: *Furius Camillus Vejos decenni obsidio domuit, deque his triumphavit.* Livius L. 5. c. 22. *Hic Vejorum occasus fuit, urbis opulentissimae Etrusci nominis; magnitudinem suam vel ultima clade indicantis: quod decem aestates hiemesque continuas circumsessa, quum plus aliquanto cladium intulisset quam accepisset, postremo jam, fate tum denique urgente, operibus tamen, non vi, expugnata est.* Florus L. 1. C. 12. *Vejentium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus: taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte jurejurando, nisi capta urbe remearet. Spolia de Larte Tolumnio ad Feretrium reportata. — — Hoc tunc Veji fuerunt: nunc fuisse quis meminit? quae reliquiae? quod vestigium? laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.* Lucanus L. 7.

Fabula nomen erit. Gabios, Vejosque, Coramque
Pulvere vix tectae poterunt monstrare ruinae.

27. Et vos tum praeda fuistis] ita Groninganus. Lipsius e Vaticano libro legit, *& Volscum regna fuistis*, L. 2. Ant. Lect. C. 20. quod posset facile admitti, si qua exstaret memoria vel regni vel regum Volscorum. Sed reducenda est in suum locum certissima Beroaldi emendatio, haud quaquam arbitraria,

Et Veji veteres & vos tum regna fuistis.

eam firmant libri Regii, & Colbertini; duo Gebhardi, ac noster secundus; exhibente primo, *vos cum regna*; quod etiam in Borrichiano est. repetitionem, si de una Vejorum urbe sit sermo, quare Lipsius *indecentem* vocet, non video. magis puto compositam ad commiserationem. Et vos, o nobiles Veji, & vos tum fuistis regna, qui nunc boum pascua. credas huc spectasse Florum, atque etiam Lucanum.

29. Pastoris buccina lenti] qua gregem emitteret, ac rursum sub vesperam cogeret domum. nam buccina a primis fere initiis in pastorali instrumento. Varro L. 2. de R. R. cap. 4. *Subulcus debet consuefacere, omnia ut faciant ad bucinam. Primo cum incluserunt, cum bucinatum est, aperiunt, ut exire possint in eum locum, ubi ordeum fusum in longitudine.* & L. 3. C. 13. *quem fundum in Tusculano emit hic Varro a M. Pupio Pisone, vidisti ad bucinam inflatam certo tempore apros & capreas convenire ad pabulum.* Columella L. 6. C. 23. *ipsis corporibus* [vaccarum] *affert salubritatem juxta conseptum saxis & canalibus sal superjectus, ad quem saturae pabulo libenter recurrunt, cum pastorali signo quasi receptui canitur. Nam id quoque semper crepusculo fieri debet, ut ad fenum buccinae pecus, si quod in silvis substiterit, septa repetere consuescat. sic enim recognosci grex poterit, si veluti ex militari disciplina intra stabularii castra manserint.* Maronem suum ante oculos habebat castissimus scriptor, L. 7. Aen.

At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi,

Forte super portae dux Veïus adstitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit uterque gradum.
Dii Latias juvere manus. desecta TolumnI
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti parma relata ducis

Vir-

Ardua tecta petit stabuli: & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem.

30. IN VESTRIS OSSIBUS ARVA METUNT] consequens pro antecedente. arant & conserunt ea arva, in quibus sparsa olim ac disjecta vestra ossa. sunt qui *arma* legant; quod sane ferri non potest. videndus Maro fine L. 1. Georg. & Lucanus fine L. 7. Ovidius Epist. Penelopae:

Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

33. ARIES MURUM CORNU PULSABAT AHENO] vix discedit a suo Cicerone, qui scripserat L. 1. de Offic. C. 11. *Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est; tum ii, qui armis positis ad imperatorum fidem confugiant, quamvis murum aries percusserit, recipiendi sunt.* ideo autem Cossus singulari certamine cum Romulo decernere voluit, ut posset parci oppidanis, quibus post arietem admotum praecisa erat omnis spes deditionis. id quod Tullio non probatur praeclara hac sententia.

35. FORTI] an *Fortis?* ut sit, Fortes viros melius convenit in campi aequore dimicare, quam murorum mole hostem distinere cogitemus.

36. PLANO SISTIT UTERQUE GRADU] Lipsius legebat *pleno gradu*, phrasi & more militari. quo modo saepe Livius, & alii. Trebonius Ciceroni L. 12. ad famil. Epist. 16. *Nam illum paratum, ut video, & ingressum pleno gradu, cohortari non intermittemus.* ubi vide quae Paullus Manutius notavit: pulcre enim illustrant hanc locutionem. Quintilianus Declam. 3. *Si fors ita tulerit, ibit ad poenam pleno gradu; tam paratus mori pro pudicitia, quam occidere.* Claudianus de bello Getico:

Nec non & Stilicho pugnam poscentia movit
Pleno castra gradu.

Lucius Septimius L. 2. C. 40. *Jam uterque pleno gradu adversum incedens intra jactum teli pervenerant.* Verum tamen, quum in omnibus libris legatur *plano*, & Lipsius ac Passeratius in suis habuerint *gradum*: aequum est, ut hoc recipiatur, neque illud mutetur. Cossus ac Tolumnius in plano campo sistebant gradum, postquam Tolumnius de arce portae descendisset. J. F. Gronovius legebat, *plano sistit uterque gradu*: i. e. *sistitur*: ad Livium IV. 12. quem videre potes. sic etiam Beroaldus.

39. CLAUDIUS A RHENO] Passeratius malebat, *Claudius Eridano*, quia res ipsa ad Clastidium gesta, quod oppidum alluit Padus. Guyetus *Eridanum* legebat. quam ego emendationem non ambigo esse verissimam. Vide praestantissimi Cluverii Italiam antiquam L. 1. C. 10. atque inibi locum insignem Polybii, unde Guyeti emendatio valide firmatur.

40. BELLIGERANS. VASTI PARMA RELATA DUCIS] omnes libri habent, *Belgica cum vasti*: quod Passeratius male mutavit in *Bellica*. deinde *cui*, cum Barthio, legendum videtur: nam ipsius Belgici regis spolia Claudio adscribit, Jovi Feretrio referenda. *vastus dux* cur dicatur Virdomarus, docet Plutarchus in Mar-

cel-

Virdumari. genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

45 Nunc

cello: qui eum ait proceritate inter omnes Gallos eminuisse, armisque ex auro & argento fabrefactis, & varia picturatis tinctura, instar fulguris cujusdam insignis radiasse. *palma* est in Groningano, & in nostro utroque, pro *parma*, vetere scriptura. ita & codex Borrichianus exaratum habet L. 2. Eleg. 19.

Et vetus in templo bellica palma vacat.

tum hac ipsa Elegia:

Picta nec inducto fulgebat palma pyropo.

Tibullus L. 1. Eleg. 10.

Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos.

laminam ibi signari puto in modum exiguae parmae formatam. de ea scribendi ratione videndus insignis Turnebus L. 3. Adverf. C. 7. *relata*, quod Scaligero placebat, agnoscunt omnes membranae. Ducem ipsum *Viridomarum* appellat Servius in L. 6. Aen. ℣. 855. Festi autem schedae *Virdumarum*: quo modo & Fasti Capitolini, apud Gruter.

M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS. AN. DXXXI
COS. DE. GALLEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMAN
K. MART. ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RETVLIT
DVCE. HOSTIVM. VIRDVMARO. AD. CLASTIDIVM
INTERFECTO

neque aliter scribitur apud Caesarem bel. Gall. L. 7.

41. Genus hic Rheno jactabat ab ipso] Passeratii liber, *genus hic Brenno*. in ceteris nihil tale. & sane potius est, ut Virdumarus confidens & jactabundus originem suam referat ad nobilissimum flumen; quae ipsa semper pro Diis colebantur, quam ad regem Brennum, funesto vitae exitu quam nobili aliquo facinore celebriorem; adde quod in eo exercitu, extra Gallos, magna erant agmina Germanorum, quibus sanctissimum Rheni nomen.

42. Nobilis erectis fundere gesa rotis] bene Lipsius & Livinejus restituerunt *e tectis rotis*. esseda describit, superne tecta, e quibus pugnabant Galli, & Belgae, ac Britanni. Florus L. 3. C. 2. *Nihil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat.* Luculenter eum pugnandi modum describit Caesar L. 4. Bel. Gall. C. 33. Britanni autem a Gallis habebant. Mela L. 3. C. 6. *Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum & bigis & curribus, Gallice armati: covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* non tamen erant penitus idem vehiculi genus *essedum* & *covinus*. potuisse autem Virdumarum pugnare e curru contecto, nemo mirabitur, qui quidem meminerit essedarios istos in temone vel in jugo consistentes solitos fuisse jaculari ac tela conjicere, inde se recipere in currum tamquam in aliquam arcem. Caesar, loco modo laudato, & aurigae & ipsius propugnatoris, sive essedarii, artificium ita describit: *Tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere, & brevi moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in jugo insistere, & inde se in currus citissime recipere consueverint.* ita etiam pugnabant Scythae hamaxobii. Valerius Flaccus L. 6. ℣. 80.

plaustrisque ad praelia junctas
Coraletae traxere manus: ibi futilis illis
Et domus, & crudo residens sub vellere conjunx,
Et puer e primo torquens temone catejas.

non te movere debet regis Bituiti *carpentum*. essedum erat. & Florus sic iterum vocat L. 3. C. 10. *Classe igitur comparata, Britanniam transit, — Plena erant tumultu hostico litora, & trepidantia ad conspectum rei novae carpenta volitabant.* Hi sunt Melae *covini*.

43. Jaculantis ab inguine] noster primus, Borrichianus, & Groninganus, *ab agmine*. quod placuisse video eruditis. & Plutarchus auctor est, ante signa versatum fuisse ipsum Regem. vox *agmen* etiam alibi in *inguen* mutata est ab inperitis librariis. Valerius Flaccus L. 6. ℣. 389.

falcatos infert Ariasmenus axes,

 Sae-

Nunc ſpolia in templo tria condita. cauſſa FeretrI,
Omine quod certo dux ferit enſe ducem.
Seu quia victa ſuis humeris huc arma ferebant,
Hinc FeretrI dicta eſt ara ſuperba Jovis.

Saevaque diffundit ſociûm juga, protinus omnes
Grajugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.

ante Carrionem fere *rapturus ab inguine* edi ſolebat.

44. Torquis ab incisa decidit unca gula] dilatavit hunc locum, nec ſine decore, Papinius L. 10. Theb.

pronas tendentis Amyntoris ulnas,
Fundentiſque preces, penitus cervice reciſa,
Verba ſolo vultuſque cadunt: colloque decorus
Torquis in hoſtiles cecidit per vulnus arenas.

45. Nunc spolia in templo tria condita] legendus Servius ad L. 6. Aen.

Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.

& Feſtus in *opima ſpolia.* praecipue autem vir laudatiſſimus Carolus Sigonius commentario in Faſtos & Triumphos Roman.

46. Omine quod certo dux ferit ense ducem] tamen Varro, in loco Feſti laudato, ait opima ſpolia eſſe etiam ſi manipularis miles detraxerit, dummodo duci hoſtium. aliter Livius, qui ſecundum noſtrum pronuntiat L. 4. C. 20. vide ſis illuſtrem virum Janum Rutgerſium L. 4. Var. Lect. C. 7. porro iſtud *enſe*, quod Scaliger pro vulgato *ante* repoſuit, firmant libri ſcripti. & ſane bene. noſter modo dixerat, de Coſſo agens,

defecta TolumnI
Cervix Romanos ſanguine lavit equos.

de eodem Livius L. 4. C. 19. *tum exſangui detracta ſpolia, caputque abſciſſum victor ſpiculo gerens, terrore caeſi regis, hoſtes fundit.*

47. Suis humeris haec arma ferebant] ſcripſerat opinor poëta, *huc arma ferebant.* nempe, in aedem Jovis Feretrii. Livius L. 1. C. 10. de Romulo: *Inde exercitu victore reducto, ipſe cum factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, ſpolia ducis hoſtium caeſi ſuſpenſa, fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium aſcendit.* noſter quum *huc* dicit, loquitur de Capitolio, tamquam in re praeſente.

X I.

DEſine, Paulle, meum lacrimis urgere ſepulcrum.
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Te licet orantem furvae Deus audiat aulae,
Nempe tuas lacrimas litora ſurda bibent.

Quum

1. Desine Paulle] v. Barthius XLIV. Adv. 26. ut recte tibi conſtet quae fuerit Cornelia, quis item Paullus Aemilius Lepidus, Corneliae maritus, bonam fidelemque operam navavit Chriſtophorus Adamus Rupertus, probi commatis ſcriptor, in epiſtola ad Thom. Reineſium, quae eſt inter amoebaeas iſtas ſexageſima. meliorem etiam ac fideliorem (neque enim hoc negari poteſt) Vir Clariſſimus Jacobus Perizonius Animadv. Hiſtor. C. 3. quo praeclaro opere luculenter oſtendit, quantum ſperare debeamus de Valerio Maximo a manu tam accurata recenſito: cui ut tandem colophonem imponat, ſedulo cohortamur.

3. Te licet orantem] mota erant loco ſuo haec diſticha: neque enim, ſi vulgatum ordinem ſervas, quintus verſus ſatis recte excipit quartum; neque id dicit, quod dici debebat. eamus per ſingula. Parce, o Paulle, lacrimis tuis, ad ſepulcrum meum ubertim fuſis, meum ipſius moerorem augere. Orci ja-

Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viae.
Vota movent superos. ubi portitor aera recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.

Sic

janua ad nullas preces panditur. Et quamvis te supplicem audiat ipse ille saevus Pluto; tamen frustra fletus tuos perdes in ingrata ac surda arena. Ubi semel inferorum leges subierunt animae, non est ut reditum ad superos sperare possis, occlusa penitus via. Vota si quid valent, apud Deos coelestes valent. &c. debeo hanc observationem, perspicuam ut puto & veram, Petro Francio, viro in his nostris sacris cum laude summa versato. tamen (neque enim est dissimulandum) eamdem & Barthio mentem fuisse, ante nos natos, postea didicimus ex ejus Adversariis, L. 44. C. 26. quamquam exinde nihil decedit acumini Franciano. communis est haec silva, in quam singuli lignatum imus. & saepenumero ante nos alii nostra dixerunt.

3. FUSCAE DEUS AUDIAT AULAE] legendum, opinor, FURVAE AULAE. quod & Nic. Heinsio visum in Nasonianis, & certissimis rationibus stabilitum. crebra haec vox, & quasi propria poëtis, ubi sermo est de rebus inferorum. Horatius L. 2. Od. 13.

Quam paene furvae regna Proserpinae,
Et judicantem vidimus Aeacum.

Papinius L. 4. Silv. 1.

Quid probitas, aut casta fides, quid numina prosunt
Culta Deûm? furvae miseram circum undique leti
Vallavere plagae.

& L. 8. Theb.

Necdum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat
Coetibus adsumtum functis.

qui locus obiter illustrandus docta Lutatii nota, *Afferunt poëtae*, scribentis, *mortuorum capita Furiarum lampade lustrari, & eorum nomina a Proserpina in inferorum poste conscribi.* est autem *furvum*, docente L. 1. C. 18. A. Gellio, id quod veteres pro nigro sive atro dicebant. Arnobius L. 7. *Nil quidem aliud scribitur missum ab Attalo rege, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset, coloris furvi atque atri.* Apulejus L. 6. Metam. *Canis praegrandis ante ipsum limen & atra atria Proserpinae superexcubans, servat vacuam Ditis domum.* qui *atra* sua *atria* videri potest debere Papinio L. 2. Silv. 1.

ades huc emissus ab atro
Limine, cui soli cuncta impetrare potestas
Glaucia.

sed voluit lascivire in similitudine soni vocis utriusque, more illo suo Africano.

5. QUUM &c.] Seneca Hippol. ỳ. 219.

— — non umquam amplius
Convexa tetigit supera, qui mersus semel
Adiit silentem nocte perpetua domum. & ỳ. 625.
Regni tenacis dominus & tacitae Stygis
Nullam relictos fecit ad superos viam.

7. UBI PORTITOR AERA RECEPIT] transiit ista muneris appellatio in nomen quasi proprium seni Charonti. lapis antiquus, quem ex Appiano, & Amantio, ac Velsero, Gruterus depromsit, DCCXCIIII. 1.

D. M.
PORTITORI. PLVTO
NI. ET. PROSERPIN

male autem Charonem volunt *portitorem* dici, eo quod trajicit & portat animas mortuorum. cui expositioni ansam dedisse Servius videri potest in L. 6. Aen. ỳ. 298. *Portitor has horrendus aquas*] *proprie, qui portat; abusive etiam qui portatur, portitor dicitur, sicut vector.* male, inquam. & locutus est Servius ex more suae tempestatis. nam *portitor* & *portorium*, non a portando, sed a portu deducuntur. Rectius Donatus ad locum eumdem Maronis: *Portitores dicuntur, qui portus observant idcirco, ut sine ipsorum jussu nullus transeat in alienas regiones. His igitur aquis tam gravibus odore, tam horrendis aspectu, praeerat sordibus par, & nulla ex parte dissimilis, loco & regionibus tetris apte conveniens, visu quoque terribilis Charon.* Plautus Asin. Act. 3. Sc. 3.

Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi conjugium Paulli, quid currus avorum
Profuit? aut famae pignora tanta meae?
Num minus immites habui Cornelia Parcas?
En sum quod digitis quinque levatur onus.

Damna-

CL. *Remigio veloque, quantum poteris, festina, & fuge.*
Quam magis te in altum capessis, tam aestus te in portum refert.
AR. *Ego pol istum portitorem privabo portorio.*

Cicero Agrar. 2. C. 23. *Sin est iniquum, Quirites, si turpe, si intolerandum, hos decemviros, portitores omnibus omnium pecuniis constitui, qui non modo reges, atque exterarum nationum homines, sed etiam imperatores nostros excutiant: non mihi videtur honoris causa excipere Pompejum.* plura Nonius in *Portitores*, & *Portorium.* tetigerat & Jo. Batipsta pius Annot. poster. C. 48. 163. luculentius autem, ut omnia, ac plenius Jo. Feed. Gronovius, numquam sine laude nominandus, L. 3. Obs. C. 20. Hac igitur ratione *portitor* dictus est Charon, quod a mortuis portorium exigeret. neque aliam ob caussam *avarus* audit Pedoni Albinovano:

Fata manent omnes: omnes exspectat avarus Portitor.

atque Apulejo L. 6. Metam. *Nec mora, cum ad flumen mortuum venies, cui praefectus Charon protinus expetens portorium, sic ad ripam ulteriorem sutili cymba deducet commeantes. Ergo & inter mortuos avaritia vivit? nec Charon ille, Ditis pater, tantus Deus, quidquam gratuito facit? & pauper moriens viaticum debet quaerere? &, aes si forte prae manu non fuerit, nemo eum exspirare patietur?* abiit deinde *portitoris* vocabulum, uti modo ex Servio vidimus, ad bajulos, & eos qui quoquo modo aliquid portarent, quasi a portando dictum foret. Consulendus doctissimus Savaro ad Sidon. Apollinar. L. 6. Epist. 4. & Beroaldus ad Apulejum loco modo laudato; ac Nic. Erythraeus in Indice Virgiliano.

9. SIC] *Sat* Douza P. p. 141. τὸ *Sic* defendit Barthius XLIV. Adv. 26.

14. ET SUM QUOD DIGITIS QUINQUE LEVATUR ONUS] auro contra non cara est lectio codicis Groningani, *En sum quod digitis q. l. o.* ita etiam olim ediderunt Gulielmus Canterus, & Douza F. legiturque ita in nitida illa Plantini editione A. 1560. viderat quoque Passeratius, quamquam non constans sibi. quid nunc restat de tanta modo Cornelia? Ecce, pulvis ac cinis sum pauxillus, vix exiguam implens urnulam, quae facile una manu gestetur in conditorium. valde inepta est Gebhardi interpolatio, legentis

Num minus immites habui Cornelia Parcas
Ipsum, quod digitis quinque legatur, onus?

neque enim hic de ossilegio cogitavit poëta. Joannes quoque Meursius, quod cum pace dixerim Manium viri magni, minus recte haec traxit ad ritum gestandi manibus muliebre funus, lib. de Funere C. 21. *Humeris* (haec ejus verba) *efferebant si virile funus. Sed si muliebre, manibus ferebatur: quippe esse supra se illum sexum, ne mortuum quidem volebant, quem sciebant submitti sibi debere.* omnino de urna loquitur noster; neutiquam de feretro. Briseis supra L. 2. Eleg. 7.

Et dominum lavis moerens captiva cruentum
Appositum flavis in Simoënta vadis.
Foedavitque comas, & tanti corpus Achillei
Maximaque in parva sustulit ossa manu.

signanter Naso L. 12. Metam.

Jam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis Aeacides, caput insuperabile bello,
Arserat; armarat Deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est; & de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.

erant autem urnae istae satis exiles & parvae, ut constat ex monumentis antiquis, ipsisque

etiam

Damnatae noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quaecumque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det pater huic umbrae mollia jura meae.
Aut si quis posita judex sedet Aeacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila.

Assi-

etiam nunc superstitibus urnis. talem nobis eam, quae sacros Ciceronis cineres in oppido Zacyntho servabat, praepinxit Hugo Favolius, poeta non proletarius, Hodoepor. Byzant. L. 3. p. 99. quem virum miror fama esse tam obscura, etiam apud nostrates, qui propius nosse debebant. fuit enim Zelandus, ortu Middelburgensis, medicus urbis Antuerpianae, in qua obiit A. 1585.

17. IMMATURA LICET, TAMEN HUC NON NOXIA VENI] credebant enim mortem praecocem a Diis immitti propter commissum aliquod singulare. eam suspicionem quantum potest a se amolitur Cornelia. memorabilis est locus Suetonii in Tito, C. 10. *Ad primam statim mansionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis coelum, multumque conquestus, Eripi sibi vitam immerenti: neque enim exstare ullum suum factum poenitendum, excepto dumtaxat uno.* Lapis Romanus apud Gruterum DCCCXX. I, in quo duae manus in coelum sublatae:

PROCOPE. MANVS
LEBO. CONTRA
DEVM. QVI
ME. INNOCEN
TEM. SVSTVLIT
QVAE. VIXI
ANN. XX

hinc juniorum funera vocabant *fatorum crimen, Deorum invidiam, scelus Parcarum.* Martialis L. 5. Epigr. 38.

Adhuc recenti tepet Erotion busto,
Quam pessimorum lex avara faterum
Sexta peregit hieme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.

L. 10. Epigr. 61.

Hic festinata requiescit Erotion urna,
Crimine quam fati sexta peremit hiems.

Papinius L. 2. Silv. 1. epicedio pueri duodecennis:

Ipse etenim tecum nigrae solatia pompae
Spectatumque urbi scelus, & puerile feretrum
Produxi: & saevos damnati turis acervos,
Plorantemque animam supra sua funera vidi.

tum utroque potior divinus Maro Eclog. 5.

Cum complexa sui corpus miserabile gnati
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.

18. DET PATER HUIC UMBRAE] *pater*, Pluto, qui judicium exercet. cujus judicii descriptionem luculentam videre est apud Papinium initio L. 8. Theb. pro *huic* malebat pater Douza *hinc*, i. e. hac de caussa, quia nullius criminis sum rea, quamvis immature exstincta. Etiam Barthius *hinc* legebat. qui tamen Douzicam correctionem oculis numquam usurpavit. Eam Vir summus notaverat in margine libri olim domestici, qui nunc est meus, Casparis Brantii, viri probi dum viveret ac docti, comitate. in primis editionibus *hic* exaratum est. sed *huic* legitur in membranis. *mollia jura* sunt aequa, justa, quaeque intra rigorem consistunt. Erat autem Pluto severus atque inlacrimabilis, &, Papinio interprete,

Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.

emolliebant vero animum inclementem nonnihil fratres Dictaei, Minos ac Rhadamantus. Papinius loco laudato:

juxta Minos cum fratre verendo
Jura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat.

paullo alia hujus judicii facies est apud considerantissimum poetam L. 6. Aen. alia etiam apud Senecam Herc. fur. ℣. 731.

20. IN MEA SORTITA JUDICET OSSA PILA] non satis scio, si Latine dici possit *judicare in ossa*. sed noster primus *vedicat* habet, le-

Aſſideant fratres. juxta Minoia ſella, &
Eumenidum intento turba ſevera foro.
Siſyphe mole vaces. taceant Ixionis orbes.
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus & nullas hodie petat improbus umbras,
Et jaceat tacita lapſa catena ſera.
Ipſa loquor pro me. ſi fallo, poena ſororum
Infelix humeros urgeat urna meos.

Si

leviter corruptum ex *vindicet*; quod integrum legitur in Groningano, & in Borrichiano. id Palmerius ac Paſſeratius jure vulgatae praetulerunt. Salluſtius Catilinar. C. 9. *Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello ſaepius vindicatum eſt in eos, qui contra imperium in hoſtem pugnaverant, quique tardius, revocati, praelio exceſſerant, quam qui ſigna relinquere, aut pulſi loco cedere auſi erant.* v. Diomedes L. 1. p. 361. eſt autem ſaepenumero corruptum in optimis ſcriptoribus. Coelius L. 8. ad famil. Epiſt. 14. *video magnas impendere diſcordias: quas ferrum & vis judicabit.* in Sigonii libro erat *vindicavit*; rectius in alio Manutii, *vindicabit.* Cicero pro Caecina C. 2. *Nam ut quaeque res eſt turpiſſima, ſic maxime & maturiſſime judicanda eſt.* codex Erphurdienſis, *vindicanda* eſt; merito probantibus Grutero ac Graevio, Viris clariſſimis. ibidem C. 23. *fateor, me homines coegiſſe, fateor armaſſe, fateor tibi mortem eſſe minitatum, fateor hoc interdicto praetoris vindicari.* male ſuum *violari* ſubſtituit Octavius Pantagathus. auctor Culicis:

nec faciles Dictaeo judice ſedes,
Judice, qui vitae poſt mortem vindicat acta.

& hic *judicat* legebatur ante vindicem Scaligerum. Valerius Maximus L. 3. C. 2. *cum Fulvius Flaccus Campanam perfidiam, principes civitatis ante tribunal ſuum capitali ſupplicio afficiendo, vindicaret.* ita enim feliciter hunc locum reſtituit J. F. Gronovius, vir omni laude digniſſimus. Hinc *vindices* dicti judices qui in cauſſa ſedebant. Cicero Accuſ. 5. in Verr. C. 48. *facilis eſt cauſa populi. legem enim ſe ſociorum cauſa juſſiſſe, & vos ei legi cuſtodes ac vindices praepoſuiſſe dicet.* de pila videndus Aſconius in argumento Milonianae. videtur autem dicere Cornelia, tres iſtos judices infernos inter ſe ſuper ordine ſeſſionis debuiſſe ſortiri, ſi forte ipſe Pluto quaeſitor eſſe noluiſſet.

22. EUMENIDUM INTENTO TURBA SEVERA FORO] Furiae apparent judicibus, tamquam lictores, aut carnifices. vides hinc hauſiſſe Papinium L. 8. Theb.

Stant Furiae circum, variaeque ex ordine Mortes,
Saevaque multiſonas exercet Poena catenas.

tractum a judiciis Romanis. Cicero orat. pro Cluent. C. 53. *quid ſibi autem illi ſcribae, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quaeſtioni video, volunt?*

24. TANTALEO CORRIPIARE LIQUOR] id aliquando factum fuiſſe docent poetae. Claudianus L. 2. de R. P.

Non rota ſuſpenſum praeceps Ixiona torquet:
Non aqua Tantaleis ſubducitur invida labris.

qui totus locus, quamquam longiuſculus, cum hoc ipſo noſtri vatis contendi debet. eſt autem miris verborum luminibus illuſtratus a facundiſſimo Claudiano. Auratus hic legebat, indicante Douza,

Tantaleo corripere ore liquor.

argute potius, quam vere. Antiqui dicebant *Tantaleus*, *Tyndareus*, pro *Tantalus*, *Tyndarus.* quod monuit Scaliger. M. Pacuvius Hermiona:

Tyndareo fieri contumeliam, cujus a te veretur maxime.

L. Attius Telepho:

Quantam Tyndareo gnata, & Menelai domus
Molem excitarit belli, paſtorque Ilius.

26. LAPSA] Petronius: *fera ſua ſponte delapſa cecidit.* tamen *laxa* eſt in noſtris; *laſſa* in Groningano, Italica ſcriptura. quod fortaſ-

Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos.
Altera maternos exaequat turba Libones.
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit praetexta maritis,
Vinxit & aspersas altera vitta comas:
Jungor, Paulle, tuo, sic discessura, cubili.
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Te-

tasse praestiterit. Cicero de Senect. C. 3. *quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela, qui se & libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent, nec a suis despicerentur.* Luccejus ad Ciceron. V. ad famil. 14. *Quod si non possumus aliquid proficere suadendo, gratia contendimus & rogando, si quid nostra caussa vis, ut istis te molestiis laxes.*

29. PER AVITA DECORA TROPHAEI] melius Groninganus, cum uno Gebhardi, *per avita tropaea decori.* quo modo etiam Beroaldus ediderat. Barthius legebat, *proavis decorata tropaeis.* mihi non est animus abire ab iis, quos indicavi, libris. neque scio si *tropaea* satis recte *proava* dici possint. nostram lectionem Passeratius ac Beroaldus bene exposuerunt. Nec tamen cepit Parisinus.

30. AFRA NUMANTINOS] variant libri. sed meliores *Aera* habent: quod minimum abit ab *Afra*, uti recte a Scaligero est restitutum. Cicero Catilin. 4. C. 10. *ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas, Karthaginem, Numantiamque delevit.* pro Murena C. 28. *bis consul fuerat P. Africanus, & duos terrores hujus imperii, Karthaginem, Numantiamque deleverat.* de Amicit. C. 3. *Qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis, primum ante tempus: iterum sibi suo tempore, reipublicae paene sero: qui, duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit.* Aurelius Victor de Viris illustr. C. 58. *Consul ante annos factus, Carthaginem intra sex menses delevit. Numantiam in Hispania, correcta prius militum disciplina: fame vicit. hinc* NUMANTINUS *dictus.* v. Cicero Somn. Scipion. C. 2. Macrobius II. Sat. 12. *Et, ne vilior sit testis poëta, accipite assertore Cicerone in quo honore fuerit hic piscis* [acipenser] *apud P. Scipionem Africanum illum & Numantinum.*

34. VINXIT ET ACCEPTAS ALTERA VITTA COMAS] *altera vitta* est matronalis, diversa a virginali. nam & virgines vittatae. docuit Turnebus L. 23. Adv. C. 5. & Livinejus ad nostrum. tum utroque uberius & doctius illustris Spanhemius Observ. in Callimach. p. 661. insignis est locus Valerii Catonis in Diris:

Ausus egen' primus castos violare pudores?
Sacratamque meae vittam tentare puellam?

ubi, ni fallor, melius legetur *vittam temerare.* quo modo locutus est Naso L. 6. Fastor.

Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos
Hoc duce: nec viva defodietur humo.

pro *acceptas*, reposuit Lipsius e libro vetere *aspersas*, ex ritu illo nuptiis solenni, aqua spargendi crines. supra noster,

Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est.

vide magni Viri excursus in Tacit. L. 3. Annal. ipso fine.

36. IN LAPIDE HOC UNI NUPTA FUISSE LEGAR] summa castimoniae laus, in uno tantum fuisse matrimonio. Valerius Maximus L. 2. C. 1. *Quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur. Existimabant enim eum praecipue matronae sincera fide incorruptum esse animum, qui depositae virginitatis cubile pudicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimae cujusdam intemperantiae signum esse credentes.* inde etiam tituli superbia, sepulcro inscripti. lapis vetus apud Georgium Fabricium:

Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos,
  Sub quorum titulis Africa tonsa jaces:
Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
  Quique tuas proavus fregit, Achille, domos:

Me

RENATVS
VOLVSIAE. IVSTAE
MATRI. CARISSIMAE
OMNIVM. FEMINAR
SANCTIORI. VNIVIRAE

alter apud Reinesium:

D. M.
REIANIAE. C. F.
MAECIANAE. CONI. INCOMPARABILI
VNIVIRAE. ET. CASTISSIMAE

37. CINERES TIBI ROMA COLENDOS] *verendos* est in Groningano; unoque Colbertino, pro diversa lectione. sed praeplacet vulgata. Cicero Agrar. 2. C. 35. *Haec qui prospexerint, majores nostros dico, Quirites, non eos in Deorum immortalium numero venerandos a nobis & colendos putatis?*

38. AFRICA TANTA] ita Scaligeri liber. quod firmari potest auctoritate Ciceronis, Accus. 2. in Verr. C. 1. *itaque majoribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est. neque enim tam facile opes Karthaginis tantae concidissent, nisi illud & rei frumentariae subsidium, & receptaculum classibus nostris pateret.* tamen aliud suadent membranae. *tunsa* est in duobus Regiis, & in nostro primo. quod sequuntur veteres editiones: & Beroaldus pro comminuta, fracta, ac lacerata exponit. ita enim legit, & imitatione comprobavit, Bernardus Bauhusius, non pessimus inter Jesuitas poëta, L. 2. Epigr. 15.

Scipio major, de clypeis.
Nil mihi vobiscum est: ignavae hinc cedite lamnae:
Ite alio clypei: vos levis Afer amat.
Mars ego Romanus; tunsa hac jacet Africa dextra;
Scuta gerat laeva, dextera laeva cui est.

sed vera scriptura est tonsa: nescio cur hanc minus probet Hier. Columna ad Ennium p. 83. b. quae exstat in altero Colbertino, in nostro secundo, in Groningano, ac Borrichiano. tondebantur captivi, more Romano. Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 14.

Jam tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatae munere gentis eris.

& L. 1. Fastor.

Caussa recens melior. passos Germania crines
Porrigit auspiciis, dux venerande, tuis.

etiam Barthius *tonsa* legebat L. 44. Advers. C. 18. ubi perperam est editum

Quorum sub pedibus Africa tonsa jacet.

& Gebhardus *tonsa* recepit: qui tamen, ubi *tonsam Africam* exponit pro *depopulata*, magnas nugas egit. magis etiam majores Robertius Titius L. 6. Locor. contr. C. 25. & nunc nuper Philippus Silvius, omnis munditiae medulla, ita est interpretatus: *sub quorum titulis, o Africa, prostrata fractaque jaces.* qua nova notione verbi *tondere* vir elegans locupletare poterit suum Calepinum.

39. PROAVI SIMULANTEM PECTUS ACHILLIS] sic Groninganus, unus Regius, unus Colbertinus. tamen hanc lectionem tamquam frivolam, dignam auctore Beroaldo, (ita loquitur) satis procaciter traduxit Gebhardus: legendumque contendit *stimulantem*. Nos autem jam plus semel vidimus, Beroaldi commenta, quae vocant isti censores, exstare in membranis, quibus veteriores adhuc non sunt inventae. nocuit viro multorum in literas meritorum, quod Scaligerum expertus sit iniquiorem. Rex ille Perses, timidissimus atque ignavissimus, simulatione virtutis dignus haberi volebat proavo Achille, ad quem genus suum referebant Macedonum reges. Falso tamen ingentes istos animos prae se ferre videbatur, quum Martem expertus adversum, in vincula sese, mox etiam in triumphum duci a Romanis sit passus. signanter Livius L. 44. C. 4. *Ventum quidem erat eo, ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset Consul, magna clades accipi potuerit. Sed quum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex,*

&

Me neque censurae legem mollisse, nec ulla
  Labe mea vestros erubuisse focos.
Non erat exuviis tantis Cornelia damnum:
  Quin erat & magnae pars imitanda domus.
Nec mea mutata est aetas: sine crimine tota est:
  Viximus insignes inter utramque facem.
Mi natura dedit leges a sanguine ductas:
  Nec possum melior judicis esse metu.

Quae-

& ab duodecim millibus prope clamorem & strepitum pugnantium audiret: nec auxit copias, integros fessis submittendo: neque ipse, quod plurimum intererat, certamini affuit. quum Romanus imperator, major sexaginta annis, & praegravis corpore, omnia militaria munera ipse impigre obiret. Haec ad rem ipsam. nunc verbo *simulantem* idoneum vadem accipe Horatium L. 1. Epist. 19.

Quid, si quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore Catonem;
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

istud porro *stimulantem*, quod in nonnullis libris reperiri non inficior, quamvis defenderint, Justus Lipsius ad L. 1. Velleji C. 6. & Franc. Modius Novantiq. Epist. 18. tamen nemini persuaserunt. Longius multo abit elegantissimi Colvii conjectura infelix, legentis Not. in Apulej. L. 11. Metam.

Et Persen proavo tubulantem pectus Achille. *tubulantem pectus*, inquit, *id est tumefacientem, erigentem, ut fastuosi solent.* quae noster hic ad Achillem, ea ad Alexandrum retulit Justinus L. 33. C. 1. *Perseo, praeter Macedonicum invictae opinionis exercitum, decennis belli sumtus, a patre paratus, in thesauris & horreis erat: quibus rebus inflatus, oblitus fortunae paternae, veterem Alexandri gloriam considerare suos jubebat.* haec ille omnia statim secunda congressione amisit, Achilli & Alexandro valde dispar.

40. QUIQUE TUAS PROAVUS] & hic *proavo* reponunt, ex libris, ego librum sequor Groninganum, in quo *proavus.* dixerat de rege Perse, ferociam mentito proavi Achillis: nunc venit ad suum proavum L. Aemilium Paullum, qui totam Aeacidarum domum fregit, atque excidit. Vellejus L. 1. C. 9. *Tum senatus populusque Romanus L. Aemilium Paullum, qui & praetor & Cos. triumphaverat, virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, Cos. creavit. is Persen ingenti praelio, apud urbem nomine Pydnam in Macedonia, fusum fugatumque castris exuit, deletisque ejus copiis, destitutum omni spe coëgit e Macedonia profugere. quam ille linquens, in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit. Ad eum C. Octavius praetor, qui classi praeerat, pervenit; & ratione magis quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit.* quibus paria apud Livium, Justinum, Plutarchum leges.

44. QUIN ET ERAT MAGNAE] Groninganus, *Quin erat & magnae.* id quod mihi concinnius sonat.

47. MI NATURA DEDIT LEGES] quum aliae sint bonae legum metu, sibi pro omnibus legibus ait esse solam naturam. pari ratione Metellum laudat Cicero L. 2. ad Attic. epist. 1. *praeclare Metellus impedit, & impediet. quid quaeris? est consul φιλόπατρις, & ut semper judicavi, natura bonus.*

47. A SANGUINE DUCTAS] *dictas* habet Groninganus. & sic legendum scifcit etiam Nic. Heinsius Not. in Ovid. Epist. Medeae ℣. 39. *dicere leges* saepe occurrit apud optimum quemque scriptorem. inde *foedus dicere*, id est, certis legibus constituere, apud Papinium legitur L. 2. Theb.

Si tibi plena fides, si dicti cura maneret
Foederis, ad fratrem completo justius anno
Legatos hinc ire fuit,

tamen τὸ *ductas* non videtur mutandum: quum Cicero dixerit L. 3. de Off. C. 17. *Nec vero in praediis solum jus civile, ductum a natu-*

tu.

Quaelibet austeras de me ferat urna tabellas;
Turpior adsessu non erit ulla meo.
Vel tu, quae tardam movisti fune Cybebem,
Claudia, turritae cara ministra Deae.
Vel cui, commissos quum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.

Nec

tura, malitiam fraudemque vindicat. &c. & Valerius Flaccus L. 6. ✝. 125.

Magnanimis mos ductus avis, haud segnia mortis
Jura pati; dextra sed carae occumbere prolis Ense dato.

id quod ipse mox interpretatur, ✝. 288.

tua pectora nato
Suggere nunc, animamque parem; si fata peroso
Tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi
Paruimus, parvique viam didicere nepotes.

pro Milone C. 4. *Est igitur haec, judices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.*

48. NEC POSSIM MELIOR] variant libri. sed legendum videtur ex superioribus, *Nec possum.* in me id praestat naturae bonitas, quod vix metus legum in aliis facit.

50. TURPIOR ASSENSU] bene Passeratius, *Turpior assessu.* nulla femina, sive nupta, sive virgo, inhonestior erit propterea quod mihi adsederit. adludit morem Romanum, quo in judiciis amici adsidebant reis. ideo sub finem dicit:

Caussa perorata est: flentes me surgite testes.

etiam hic expressit Tullium suum, orat. pro P. Sulla C. 2. *An vero, in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina reipublicae viderem, in his me apparere nollem?* pro Cn. Plancio C. 11. *qui cum missi sint ob aliam causam, tamen hujus repentino periculo commoti huic adsident, pro hoc laborant: huic si praesto fuerint, gratius se civitatibus suis facturos putant, quam si legationem & mandata sua confecerint.*

52. TURRITAE RARA MINISTRA DEAE] Nic. Heinsius malebat, *cura ministra.* probo, & res ipsa probat. sic Diana L. 11. Aen.

Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & nostris nequiquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias.

sic Venus ad Violantillam, L. 1. Silv. 2. Papinii:

Non ideo tibi tale decus, vultusque superbos,
Meque dedi, viduos ut transmittare per annos
Ceu non cara mihi.

oportet profecto egregie caram fuisse Matri Deûm, in cujus gratiam ederet tam insigne miraculum, cujusque pudicitiam falso suspectam ipsa tueretur. Suetonius Tiber. C. 2. *navem cum sacris Matris Deûm Ideae obhaerentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, ut ita demum se sequeretur, si sibi pudicitia constaret.* Ovidius L. 4. Fastor. ipsam inducit precantem:

Supplicis, alma, tuae, genetrix foecunda Deorum,
Accipe sub certa conditione preces.
Casta negor. si tu damnas; meruisse fatebor.
Morte luam poenas judice victa Dea.
Sed, si crimen abest, tu nostrae pignora vitae
Re dabis: & castas casta sequere manus.
Mota Dea est; sequiturque ducem, laudatque sequendo.

Minucius Felix: *Testis mater Idaea, quae adventu suo & probavit matronae castitatem, & urbem metu hostili liberavit.* ceterum *matronam* vocant, quotquot hujus historiae meminerunt: & quis non meminit? Papinius autem *virginem* dixit L. 1. Silv. 2.

non Claudia talis
Respexit populos mota jam virgo carina.

nimirum ex usu sermonis Romani, quo *virgines* dicuntur & mulieres nuptae, etiam quae pepererunt. Virgilius Ecl, 6. de Pasiphae:

Ah virgo infelix, quae te dementia cepit?

Servius: VIRGO *a viridiore aetate: nam jam mater fuerat Phaedrae, Ariadnes, & Androgei. Calvus in Io:*

Ah

Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis, urbisque querelis:
Defensa & gemitu Caesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat: & lacrimas vidimus ire Deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, & tu, Paulle, meum post fata levamen.
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.

Vidi-

Ah virgo infelix, herbis pasceris amaris. sic Astynomen, Chrysi filiam, L. Septimius *virginem* vocat L. 2. C. 30. quam paullo ante dixerat denuptam regi Ectoni. est itaque saepe aetatis nomen, non integritatis. ignoravit hoc M. Ant. Delrius; atque ideo reprehendit Hier. Fracastorium, qui Putipharis uxorem non semel *virginem* vocaverit, Com. in Senec. Hippol. ℣. 620. p. 188. neque tamen semper procedit regula Junii Phylargyrii, sciscentis ad Eclog. 3, *virginem* dici etiam quae peperit, usque ad secundum partum; postmodum *mulierem* perhiberi. aliter jam a Servio edocti sumus.

58. DEFENSA ET GIMITU] male hic *Defleta* habent vulgatae. *Defensa* est in octo libris calamo exaratis, & in primis editionibus. quod bene exposuit Scaliger. veterem scripturam ejecit Volscus: neque diffitetur. sed nec ceteri interpretes viderunt haec esse ad morem forensem conformata. Reo aderant laudatores, qui testimoniis suis ejus innocentiam comprobarent, integritatemque defenderent. pro laudatoribus Cornelia sibi fuisse ait lacrimas maternas, & publicum urbis universae luctum, seque ac mores suos ipsius Augusti gemitu defendi, qui nec ipse fletum tenere potuerit in jactura familiari. Cicero pro Balbo C. 18. *Proferam testes, proferam legatos, excitabo laudatores, quos ad hoc judicium, summos homines ac nobilissimos, deprecatores hujus periculi, missos videtis. ----- ----- potuit magis de re judicare, quam cum ad vestrum judicium cives amplissimos legavit, testes hujus juris, vitae laudatores, periculi deprecatores?* ibidem C. 19. *Adsunt principes civitatis, & defendunt, amore, ut suum, testimonio, ut nostrum, officio, ut ex nobilissimo civi sanctissimum hospitem, studio, ut diligentissimum defensorem commodorum suorum.* Hinc opinor liquet, rectum esse ac verum τὸ *defensa*.

61. GENEROSOS VESTIS HONORES] ex hoc loco colligebat Scaliger, ornamentis consularibus elatas fuisse matronas, quarum filii magistratus curules gessissent: & Scaligeri fidem secutus Johannes Kirchmannus L. 1. de Funer. Rom. C. 10. id si vel maxime verum foret, nihil tamen faceret ad hanc nostram: quae rapta admodum adolescens duos reliquit filios, sed pueros, & qui per aetatem nullum gessisse poterant magistratum curulem. Verior itaque est expositio Beroaldi, referentis honores vestis ad foecunditatem; idque vel lege vel more datum matronis plurimum liberorum matribus, ut veste quam ceterae honoratiore efferrentur. vide Turnebum L. 23. Adverf. C. 7. Behotium L. 1. Apophor. C. 14.

63. TE LEPIDE, ET TE PAULLE] ita haec distinxit Scaliger, ut regi debeant a verbo sequente *vidimus.* aliter autem Groninganus, & meo animo rectius:

Tu, Lepide, & tu Paulle, meum post fata levamen.
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.

Tu, o Lepide, tuque, o Paulle, filii mei, solatium estis mortis meae immaturae. in vestro complexu, in vestro sinu, oculos mihi meos clausistis, supremo pietatis officio erga matrem. in minore versu Nic. Heinsius legebat,

 Con-

Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem:
  Consule quo facto tempore rapta soror.
Et bene habet. numquam mater lugubria sumsi.
  Venit in exsequias tota caterva meas.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
  Haec cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater. illa meorum
  Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adjice matris.
  Tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis.
  Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges:
  Somniaque in faciem credita saepe meam.

At-

Condita sunt vestra lumina nostra manus.
sed non addicunt libri; qui omnes, magno consensu, *vestro sinu* habent. & sane bene. Virgilius L. 4. Aen.

Semianimemque sinu germanam amplexa tenebat
Cum gemitu.

Pedo Albinovanus:

At miseranda parens suprema nec oscula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente sinu.

Cicero Philipp. 12. C. 9. *Tres viae sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut quam primum illud pignus libertatis populi Romani D. Brutum adspicere possim: cujus in complexu libenter extremum vitae spiritum ediderim.*

66. CONSULE QUO FACTO TEMPORE RAPTA SOROR] constructio difficilis, sensu intricato. forte,

Consule quo, fati crimine rapta soror.

nam sic loquebantur de obitu inmaturo. vide notam ad ℣. 17. *Inmatura licet, tamen huc non noxia veni.* adde quod verbum *rapi* est in hac re solenne. Ovidius de suo psittaco: *Raptus es invidia*, &c. vide locum.

70. HAEC CURA ET CINERI SPIRAT INUSTA MEO] Cicero Accus. 1. in Verr. C. 44. *homo importunissime, cur tantam injuriam P. Annio mortuo fecisti? cur hunc dolorem cineri ejus atque ossibus inussisti?* Accus. 5. C. 49. *Non ex litibus aestimatis tuis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare.* Catilin. 2. C. 9. *tantus illorum temporum dolor inustus est civitati, ut jam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.* de Harusp. respons. C. 25. *inest hoc tempore haud obscurum odium, atque id insitum penitus, & inustum animis hominum amplissimorum.* pro Sextio C. 7. *Quorum si nondum scelera vulneraque inusta reipublicae vultis recordari, vultum atque incessum animis intueamini.* Ceterum *cineris* vox admodum est adposita movendis adfectibus, habetque certam quamdam religionem. M. Antonius epist. ad A. Hirtium & C. Caesarem, Philipp. 13. C. 10. *Cognita morte C. Trebonii, non plus gavisus sum, quam dolui, dedisse poenas sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri, & apparuisse numen deorum intra finem anni vertentis.*

73. ADJICE MATRIS] quum tu, o Paulle, tamquam pater osculatus fueris liberos nostros communes, meam quoque vicem fungere, & matris loco iterum osculare. in nostris duobus est, *adjice matrem.* qua forma locutionis valde gaudebant secutorum temporum scriptores, jam inde a Tiberii principatu.

Atque ubi ſecreto noſtra ad ſimulacra loqueris,
Ut reſponſurae ſingula verba jace.
Seu tamen adverſum mutarit janua lectum,
Sederit & noſtro cauta noverca toro:
Conjugium, pueri, laudate & ferte paternum.
Capta dabit veſtris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
Vertet in offenſas libera verba ſuas.
Seu memor ille mea contentus manſerit umbra,
Et tanti cineres duxerit eſſe meos:
Diſcite venturam jam nunc ſentire ſenectam,
Coelibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum eſt, veſtros accedat ad annos.
Prole mea Paullum ſic juvet eſſe ſenem.
Filia tu ſpecimen cenſurae nata paternae
Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et ſerie fulcite genus. mihi cymba volenti
Solvitur aucturis tot mea fata malis.
Haec eſt feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

Cauſ-

92. SIC JUVAT] omnes libri, *ſic juvet.* quod rectum eſt.

93. FILIA TU SPECIEM CENSURAE NACTA PATERNAE] feliciſſima eſt ſagaciſſimi Lipſii correctio, L. 4. Ant. Lect. C. 1. & veriſſima,

tu ſpecimen cenſurae nata paternae.

quo plane modo legitur in Vaticano Livineji, Palatinis Gebhardi, Borrichiano, uno Colbertino, Groningano, & binis noſtris. Tu, o filia, quae ita ſancte nata es, ut cenſuram patris tui tuis exprimas moribus, imitare matrem tuam, & in uno ſolo matrimonio aetatem tuam exigito. Vox *ſpecimen* notione eadem apud Tacitum legitur L. 3. Ann. C. 4. *Nihil Tiberium magis penetravit, quam ſtudia hominum accenſa in Agrippinam, cum decus patriae, ſolum Auguſti ſanguinem, unicum antiquitatis ſpecimen appellarent.* nec ſemel Cicero ita locutus eſt, ac Plinius Caecilius. decore ex perſona Corneliae conjugis noſter poeta effert laudibus cenſuram mariti Paulli: quamquam in alia omnia diſcedunt hiſtoriarum monumenta. Vellejus L. 2. C. 95. *Cenſura Planci & Paulli, acta inter diſcordiam, neque ipſis honori, neque reip. uſui fuit: cum alteri vis cenſoris, alteri vita deeſſet: Paullus vix poſſet implere cenſorem, Plancus timere deberet, ne quidquam objicere poſſet adoleſcentibus, aut objicientes audire: quod non agnoſceret ſenex.* adde Dionem initio libri 54.

94. FAC TENEAS UNUM, NOS IMITATA, VIRUM] *tenere virum* noſter dixit, ut Cicero *tenere matrimonium*, orat. pro M. Coelio C. 14. *non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas, clariſſimi ac fortiſſimi viri, patriaeque amantiſſimi?*

95. SERIE FULCITE GENUS] Lucretius L. 4.

Et quibus ante domi foecundae ſaepe nequiſſent
Uxores parere, inventa eſt illis quoque compar
Natura, ut poſſent gnatis munire ſenectam.

Caussa perorata est. flentes me surgite testes,
Dum precium vitae grata rependit humus.
Moribus & coelum patuit: sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur avis.

99. CAUSSA PERORATA EST] Cicero orat. pro Sextio C. 2. *quamquam a Q. Hortensio, clarissimo, viro atque eloquentissimo, caussa est P. Sextii perorata.* C. 29. *Dicta est a me causa, judices, & perorata. Jam intelligitis, quantum judicium sustineatis, quanta res sit commissa vobis.*

100. DUM PRECIUM VITAE GRATA REPENDIT HUMUS] dum judicio inferno vita mea anteacta comprobatur. *precium vitae* vocat mercedem morum & sanctitatis ac pudicitiae, apud inferos sibi repensam, quorum integritatem in vindicando neque odium neque gratia obcaecat. *humus* sunt ipsi inferi. noster alibi *terras* appellat. sic L. 2. Eleg. 5.

Ah gemat in terris, ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita laetitia.

tum Eleg. 14.

Illi sub terris fiant mala multa puellae,
Quae mentita suas vertit inepta comas.

L. 3. Eleg. 3.

Sub terris si jura deûm, & tormenta gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput.

Juvenalis dixit *regna subterranea*, Sat. 2. ℣. 149. loco alibi, ni fallor, producto. Cicero L. 1. Tusc. Quaest. C. 16. *in terram cadentibus corporibus, hisque humo tectis, e quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum.* verum hujus versiculi sensum habemus. quemquam bene ad laudationem funebrem, atque ad honorem sepulturae, *humi* voce pro patria & civibus sumta, detorserint interpretes, jam cuivis, ut arbitror, liquidum est. priorum sententiis in qualecumque compendium missis album calculum nuper adjecit Philippus Silvius, magnarius ille glandis negotiator.

101. MORIBUS ET COELUM PATUIT] de Africano minore Laelius in dialogo sui nominis, C. 3. *ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur Deos potius, quam ad inferos pervenisse.*

102. CUJUS HONORATIS OSSA VEHANTUR EQUIS] potior pars librorum *aquis* habet. eas *aquas honoratas* volunt esse, per quas Charon honoratas & honestas matronas vehit in Elysium. Scaliger, cui *equis* placuit, de sepultura Consulari exponit. quo etiam Turnebus ire videtur L. 23. Advers. C. 7. horum neutrum mihi persuaderi potest: neque enim τὸ *honoratis* vel hic vel illic satis digne collocatur. memini Nic. Heinsium, virum acutissimum, olim mihi in familiari sermone indicasse, videri sibi legendum,

Cujus honoratis ossa ferantur avis.

i. e. cujus ossa inferantur tumulis illustrium avorum. ut *ferri* pro *inferri* noster dixerit, more suo solenni. Ea res multis ex antiquitate auctoritatibus fulciri posset, si ageretur nunc de reliquiis hujus matronae tumulo majorum inferendis. quod profecto numquam in mentem fuit Propertio. Tota haec scena agitur apud judices inferorum, quibus se purgat Cornelia de nescio cujus culpae suspicione. fuisse enim aliquo rumore perstrictam, non obscure colligas ex superioribus. diluto isto crimine, & vindicata morum suorum sanctitate, concludit, quum sibi vel ipsa coeli regio patere debuerit propter virtutis merita, jus & fas esse ut manes sui vehantur in Elysium apud suos avos, Scipiones & Libones, claros illos atque honoratos viros. quae quum recte se habeant, quam minima mutatione scribendum arbitror,

Cujus honoratis ossa vehantur avis.

simile negotium iisdem prope verbis extulit Pedo Albinovanus, ejusdem aetatis poeta, in funere Drusi Neronis:

Ille pio, si non temere haec creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos.

porro *ossa*, ne quem id moveat, hic notant ipsos manes. ita paullo ante habuimus,

In mea sortita vindicet ossa pila.

& supra Eleg. 5.

Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono.

nam Cerberum latratu trifauci appetere exsangues umbras, notius est quam ut debeat multis probari. Horatius Epod. 5.

Quin

Quin, ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quae vis Deorum est Manium.

Ovidius Diris in Ibin:

Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Insequar & vultus ossea larva tuos.

Seneca Epist. 24. *nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, & tenebras, & larvalem habitum nudis ossibus cohaerentium.* & Cynthia, hoc ipso libro, Eleg. 7.

Nunc te possideant aliae, mox sola tenebo:
Mecum eris, & mixtis ossibus ossa teram.

tenuit hanc mentem, more suo, Michael Marullus L. 1. Epigr. 41.

tibi dedita servit
Mens tamen, & duros serviet ad cineres.
Quod si quis misero post funera sensus amori est,
Tunc quoque amet vultus ossea forma tuos.

& Hieronymus Angerianus Carm. 176.

Si non legitimas complerim munera vitae,
Errabo ante tuas ossea larva domos.

FINIS.



J O A N N I S P I E R I I V A L E R I A N I

in Sex. Propertii antiquum caput.

ERgo haec illa boni facies veneranda Propertii?
Illa oculis facies semper amanda meis?
At non artificum ingenio, aut mortalibus ausis
Facta haec effigies: munus opusque deûm est:
Sive Amor hanc, sive alma Venus, seu docta Minerva
Rarum a Vulcano pignus amoris habent.
Qua super, ut quondam de malo, (ita dictat Apollo)
Certavere diu Cypria, Pallas, Amor.
At modus est pugnae impositus Jove judice tandem,
Si rarum hoc vates Fuscus haberet opus.
Adsensere igitur: neque enim in mortalibus ullus,
Cui tantum adspirent Cypria, Pallas, Amor.

G U I D I P O S T H U M I.

PAllida quod nimium male finxerit ora Propertii,
Ne precor artificem carpite: talis eram.
Finxit enim durae moerentem facta puellae:
Aruerat sanguis, fugerat ore color.
Hac ego marmoreos sumsi de Gorgone vultus:
Hujus eram vivus, mortuus hujus ero.
Usus abest vitae tantum: verum hunc quoque & olim,
Alterius vivens pectore, non habui.



I N-

I N D E X I.

Omnium Verborum quæ habent Libri IV. Elegiarum

P R O P E R T I I.

Ex numeris, Romani *ſive* majores *notant* libros; *ex* minoribus, illi *qui* comma (,) *poſt ſe habent*, Elegiam; *reliqui* puncto (.) *ſtipati*, *ejus Elegiæ* verſum. *Ita ut* I. 2, 3. 15. 20. 22. *&c.* *ſignificet illud verbum extare* libro primo, elegia ſecunda, verſibus tertio, decimo quinto, vigeſimo & vigeſimo ſecundo, *&c.*

INDEX I.

aeſtimet

INDEX I.

ani-

INDEX I.

INDEX I.

Bri-

cre-

D.

E.

INDEX I.

foro

INDEX I.

INDEX I.

im-

K.

L.

lau-

me-

natos

ni-

INDEX I.

I N D E X I.

INDEX I.

O.

INDEX I.

Q.

redit

INDEX I.

S.

 29.

simu-

INDEX I.

ſumſi

V.

vene-

vesa-

vin-

INDEX I.

X.

Z.



INDEX II.
AUCTORUM,

Quorum fit mentio in Commentario ad

PROPERTIUM,

Et qui in illis laudantur, illustrantur, notantur vel corriguntur.

Auctor

INDEX II.

D.

E.

Eraſmus

H.

I.

N. Nae-

INDEX II.

N.

O.

P.

INDEX II.

Q.

R.

Rupertus

Valle

W.

X.

Z.

INDEX III.

RERUM ET VERBORUM,

Quae in Notis ad

PROPERTIUM

Explicantur.

Amor

B.

C.

Crepare

Gran-

I N D E X III.

F f f f Insti-

INDEX III.

Pro-

T.

Tuni-

INDEX III.

FINIS.



